CAROLVS MAGNVS REDIVIVVS,

HOC EST,

CAROLI MAGNI GERMANORVM, GALLORVM,

ITALORVM, ET ALIARVM GENTIVM MONARchæ potentiſsimi, cum HENRICO M. Gallorum & Nauarrorum Rege florentiſsimo comparatio: vtriusq; Regis hiſtoriam breuiter complectens, quam Regum & Principum Speculum poſsis appellare.

AVCTORE IO. GVILIELMO STVCKIO TIGVRINO.



Vt pullos gallina ſuos fouet atque tuetur
Ne miluis fiant præda cibusq; feris
Haud ſecus hoſtilem contra rabiemq; doloſq;,
Rex Gallus Gallos protegit vſque ſuos.

M. D. XCII.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, FRIDERICO IV. COMITI PALATINO RHENI, DVCI BAVARIAE, S. ROM. *Imperij Archidapifero, ac Principi Electori primario, Domino ſuo Clementiſsimo* *S. D.*

DVBIVM non eſt, Princeps & Elector illuſtriſsime, quin Celſitudo tua ex Io. Caſimiri Principis illuſtriſsimi, glorioſæ memoriæ, patrui ac quaſi patris ſui chariſsimi & obſeruandiſsimi obitu acerbo & immaturo ingentem meritò cum toto Palatinatu, immò cum vniuerſa Repub. Chriſtiana dolorem luctumq́ hauſerit: quem Deus pro immenſa & infinita ſua bonitate S. ſui Spiritus (qui quidem optimus eſt & efficaciſsimus cõſolator) virtute atq; ſolatijs lenire ac mitigare, luctumq́ hunc veſtrum atq; mœrorem gaudio atq; lætitia compenſare dignetur. Etſi enim pręclarè cum illo beateq́ actum eſſe nemo eſt qui dubitet, qui omnibus vitæ, ſeu militiæ potius huius noſtræ (vt eam veriſsimè Iobus appellauit) ærumnoſæ laborioſæq́ miſerijs, moleſtijs atque periculis ſiue præſentibus ſiue futuris liber atq; ſolutus, cum Deo, cũ Chriſto Immanuele noſtro, cum angelorum et electorũ innumerabiliũ choro vitam viuit verè vitalem, immortalem ac beatam: tamen C.T. totaq́ Reſpub. Chriſtiana alieno hoc periculoſoq́ tempore illo quaſi patre patriæ fideliſsimo, ſapientiſsimo, fortiſsimoq́ orbata, maximo meritò in luctu & ſqualore verſatur.

Verùm vt innumera alia vitæ huius incommoda atque

damna vel publica, vel priuata: ita quoq; damnum, & iacturam hanc maximam vos nosq; omnes, voluntate acquieſcentes diuina, æquis animis, ac moderatè patienterq; ferre oportet. Pręter alia autē in hoc luctu C.T. conſolari magnopere atque recreare debet ſingularis admirabilisq; Dei prouidentia atq; miſericordia (cuius quidem ille in ipſa ira ſua nunquam omnino obliuiſcitur) quòd eo demùm tempore hunc heroicæ virtutis laudisque patruum ſuum (quo illa ceu patre, tutore ac moderatore tenerę & ineuntis ſuæ ætatis optimo fideliſsimoq; vſa eſt) ad ſe ex his terris in cœleſtes illas ſedes atq; domicilia euocare voluit, quo C.T. ex tutela iuxta bullam auream & imperialem excedens, confirmata ętate, corroboratoq; non parum iudicio, capax iam adminiſtrationis huiuſce muneris ampliſsimi eſſet. Sic olim apud Romanos pueri ingenui ac nobiles, prætexta & bulla aurea depoſita, exitu anni XVII. virilem ætatem ingredientes togam virilem ſumere ſolebant, quę idcirco & virilis, & quòd albi coloris nulla admixta purpura eſſet, pura & deniq;, quòd libertatis erat initium, libera fuit dicta. Nemo ſecundum ſapientiſsimorum quorumq; ſententiam bene alijs imperare poteſt, niſi qui prius benè alijs paruerit. Quoniā igitur C.T. adhuc ab ineunte ætate cùm patrui, benedictæ memoriæ, tùm aliorum virorum ſapientiſsimorum (inter quos Otho à Grunrad vir, vt familiæ eius nobiliſsimæ nomen ſonat, conſilio, ſapientia, & alijs virtutibus florentiſsimus numerari inprimis nominarique debet) conſilijs, præceptis atq; monitis ſaluberrimis optimè paruit & obtemperauit: nō dubitamus quin illa poſthac ad optimè fœliciſsimeq; ſuis imperandum indies apta magis & idonea ſit futura. De hac igitur paterna, hæreditaria, & quidem ampla, excelſa & ſublimi dignitate Electorali, quam C.T. ineunte hoc nouo anno, Deo auſpice, ſub-

ditis

ditis cunctis fauentibus,plaudentibus,Deoq́ſupplicanti-
bus,fœliciſsimè auſpicata eſt,cùm tota Repub.Chriſtiana,
verè atque ex animo gratulor, Deumq́ precor, vt diutur-
nam ei vitæ huius ac valetudinis vſuram impertiat,Sancti-
que ſui ſpiritus donis atq́ muneribus ita augeat, vt popu
lo curæ fideiq́ ſuæ à Deo commiſſo atq́ concredito quàm
diutiſsimè fœliciſsimeq́ præeſſe ſimul atq́ prodeſſe poſsit.
Quoniam autem parentes & maiores C.T.illuſtriſs.ac ęter
na laude digniſsimi,cùm erga patriam meam, tùm erga Re
ges Regnumq́ Gallicum optimè ſemper affecti & animati
fuerunt,idq́ nō verbis ſolùm,ſed etiã reipſa atq́ factis egre
giè declararunt,& C.T.cùm auitæ virtutis, tùm ſingularis
ſuæ erga Regem hunc Galliæ,qui nunc,Dei gratia,Regno
illi pręeſt,in proxima illa expeditione Germanica multa cla
ra & illuſtria documenta dedit:idcirco hanc meã Carol.M.
clariſsimi olim Franciæ,Germaniæ,Galliæ,Italiæ,& aliarũ
gentium Regis,& Imperatoris,& Henrici M.Galliæ & Na
uarræ Regis florentiſsimi comparationem hiſtoricã, vt C.
T.potiſsimùm dedicarem et quaſi conſecrarem,in animum
meum induxi. Spero etiã omnino fore,vt quemadmodum
C. T. non auo ſolùm & maioribus ſuis perpetua memoria
laudeq́ digniſsimis,verùm etiã huic ipſi Gallię & Nauarrę
Regi,qui nunc rerũ,Dei gratia, potitur, nominis affinitate
eſt coniunctus(Henrici.n.I V.& Frider.I V.nomina auguſta
& honorifica,Regni,Imperij,fœlicitatis,pacis opũq́ fauſta
omina atq́ ſymbola , affinia ſibi inuicē ſunt & cognata) ita
quoq́ virtutibus,rebus geſtis,benè imperandi ſcientia,fœ-
licitate deniq́ ad vtriuſq́ ſimilitudinē quàm proximè acce
dat. Etſi verò hęc mea lucubratio,ſi res & perſonas,quæ in
illa tractantur & explicantur, magnas & magnificas quis
conſyderet, magna meritò & tanto Principe, qualis eſt C.
T.digniſsima videri poſsit;tamē ſi forma,modus,ratio atq́

ſtilus rudis & incultus, quo illa tractata à me & explicata ſunt, expendatur, fateor, & quidē liberè & ingenuè fateor, tenue nimis & exiguū, ac amplitudine tua minus dignum eſſe hoc meum opuſculū. Quamobrem tantò magis C. T. rogo, oro atq; obteſtor, vt pro magnitudine & abundantia bonitatis humanitatisq; ſuę, paruū et exiguū hoc meum opuſculum atq; munuſculum, ex animo C. T. obſeruantiſsimo profectum, ſereno vultu, & placido beneuoloq; animo accipere, bonam in partē interpretari, & aduerſus malignorum quorumuis hominū morſus atq; calumnias patrocinio ſuo fideli tueri atq; defendere velit. Idem quoq; cupio ſimul gratiſsimi mei erga C. T. de me meisq; optimè meritam, animi eſſe teſtimonium: in quo quidem ſuo erga me fratremq; meum chariſsimū fauore atq; clemētia vt perſeueret, & ſibi cōmendatos habere pergat, demiſſè humiliterq; rogamus.

Deus Opt. Max. (ne diutius C. T. maximis & grauiſsimis, ab initio præſertim Adminiſtrationis huiuſce ſuæ ampliſsimæ, cogitationibus & occupationibus diſtentam, interpellem) ſancto ſuo ſpiritu ita regat atq; gubernet, vt non modò Reip. ſed etiam Eccleſię religionisq; Chriſtianę & orthodoxæ, in qua optimè educatus & inſtitutus eſt, cultor, nutritius, propugnator & propagator, cōtra oēs inferorū portas, fortis, conſtans, diuturnus ac fœlix in hoc mundo eſſe poſſit, & poſt diuturnam, fœlicem, tranquillam & pacatam vitam munerisq; huius ſui auguſtiſsimi perfunctionē in Chriſto & per Chriſtum cœleſtem, æternam & beatiſsimā illam vitā conſequatur, Amen. Tiguri Cal. Mar. quo menſe C. T. primùm lucē hanc ante XVIII. annos aſpexit, cuius vſura faxit Deus vt diu fruatur: anno Seruatoris noſtri M. D. XCII. quem annū gubernationis veſtrę primum, & multos adhuc ſequentes fœlices fauſtosq; C. T. à Deo ſeculorū omniū conditore et moderatore immortali ac omnipotente precamur.

C. T. ADDICTISSIMVS
IO. GVILIELMVS STVCKIVS.

HENRICVS VVOLPHIVS.

CAROLVS ecce tibi rediuiuus: pellege: dices,
HEINRICVS *nunc eſt,* CAROLVS *ante fuit.*

IN CL. V. D. IOAN. GVLIELMI STVCKII SPECVLVM REGVM.

D. GAB. GERB. IAMBICVM.

MINVTVS Heroas libellus maximos,
Pictos ſuis coloribus,
Proponit orbi, contuendos Regibus,
Inſtar Specilli, Stuckius.
Vt lineamenta oris in puriſſimo
Humana pellucent vitro,
Sic pauculis in paginis his emicant
HEINRICVS, atq; CAROLVS.
Hos inter, vt lucet ſpecillorum nitor,
Sic fulget auctor Stuckius.

DE CAROLO MAGNO REDIVIVO, NOBILISS. CLARISSIMIQ. VIRI D. IO. Guilielmi Stuckij obſeruandiſs.

IOANNIS TURNOVI, ELEGIA.

REX HENRICE DEO Regum acceptiſsime Regi
Quis tua pro meritis ſceptra referre poteſt?
Quis ſacras juſto comprendet carmine laudes?
Quis memoret dextræ facta ſtupenda tuæ?

Ipſa tibi cedit longè ſuperata vetuſtas:
 Palmis obſcuras priſca trophæa novis.
Eſt tua nota polo virtus: eſt cognita terris:
 Eſt pelago, ſtygijs eſt quoq; nota vadis.
Francigenum ſuperas ô fortunate Monarchas,
 Atque atavos Reges laudis honore præis.
Hinc merito gemini geſtas diademata Regni,
 Chriſticoliq; gregis nomen & omen habes.
Ante tuos vultus fugiuntq; caduntq; Tyranni,
 Porrigit & victas gens inimica manus;
Converſiq; frequens mundi conventus ad aras
 Effundit pro te vota precesq; DEO.
Dat populus, dat clarus eques, dat thura ſenatus:
 BORBONIVM Regem compita cuncta ſonant.
Hiſtorici, vatesq; tuum per ſecula nomen
 Tranſmittunt, paribus, diſparibusq; modis.
Ante alios mea lux, TIGVRINI fama Lycæi
 STVCKIuS hoc tibi, Rex maximè, condit opus.
Quin etiam infantes tenero ridente labello
 Incipiunt nomen laude ſonare tuum.
Et majora manent, licet hæc ſint maxima: de te
 Credita vix mundo, ſydera juncta parant.
Chriſtigenis juſtum ſolus moderabere ſceptrum,
 Imperioq; premes climata cuncta tuo.
Vtq; fuit Regum latè Rex CAROLuS olim
 Maximus, (à magno qui benè nomen habet.)
Maximus in tenebris, eheu Rex CAROLuS olim;
 Sic luce in clara maximus vnus eris.
Te duce, Rex Regum. ſanctum reparabit ovile.
 Diſjectas coget, te duce, Paſtor oves.
CHRISTE gregis tanti Paſtor: reparator ovilis
 CHRISTIadum Regis dirige, quæſo manus.
Sis ô Rex Regum, Regi tu tamen amicum,
 Et tua condenti Regna benignus ades.

CAROLVS

CAROLVS MAGNVS REDIVIVVS IN CHRISTO.

VIVAT, VALEAT, VINCAT.

MOS eſt apud nos vetus admodum & laudabilis, vt quotannis die eo, qui Caroli Magni nomine eſt inſignis (quo quidem die magnus ille Imperator ante annos ferè DCCLXXXI. *fato ſuo functus eſt) oratio aliqua habeatur, qua officij noſtri admoneamur. Id muneris cùm mihi publica authoritate, cui equidem deeſſe nolui, nec ſanè debui, fuerit impoſitum, operæpretium, & loco, temporiq́ huic conſentaneum fore putaui, ſi de ipſius Caroli M. vita, moribus, virtutibus, rebusq́ geſtis præclaris & eximijs (vnde Magni cognomen eſt adeptus) in ampliſſimo ornatiſſimoq́ cœtu, pro ingenij mei tenuitate, verba facerem. Nam quoniam æquum & iuſtum eſt eorum nos, qui de patria, de Repub. Eccleſiaq́ noſtra benè fuerunt meriti, memoriam gratis animis colere, Caroli quoq́ certè illius Magni memoriam glorioſiſſimam, quam nulla vnquã tempora, nulla hominũ delebit obliuio, nos meritò gratiſſimis animis retinere ac proſequi decet, qui cùm de tota Repub. Chriſtiana, tùm de patria, ſchola Eccleſiaq́ noſtra optimè eſt meritus, plurima & maxima in illam contulit beneficia. Quanto autem tantus Imperator patriam noſtram complexus ſit amore, illud quoq́ argumento non eſt leui, quòd illam inuiſere, in illa aliquandiu commorari, atque ita præſentia ſua illam decorare ac coboneſtare voluit.*

Deinde cùm maiores eius, collegium templumq́ hoc noſtrum auguſtiſſimum ac magnificentiſſimum fundaſſent, maximiſque priuilegiis, muneribus atq́ donis ditaſſent, ille non modò hanc maiorum ſuorum liberalitatem ac munificentiam tabulis atque diplomate confirmauit ac ſtabiliuit, verùm etiam magno cumulo nouorum donariorum priuilegiorumq́ auxit. Id quod factum eſt anno Imperij eius X.

Indict. XIII. *Vt nihil dicam, quòd filius quoq; eius Ludouicus Pius cognomine; & nepos, Ludouicus Germanicus cognomento, patrem & auum ſuum imitati, patriam ſimiliter noſtram maximo proſequuti fuerunt fauore atque beneficentia, cuius rei teſtis eſt collegij atque cœnobij illius alterius fœminarum (quod* Frauwenmünſter *vulgò appellamus) inſtitutio atq; fundatio à Ludouico Germanico facta, cuius donationis originalis illuſtre habemus diploma. Eius Cœnobij abbatiſſa prima fuit Hildegarda Ludouici Regis filia. Secunda Bertha eius ſoror, Caroli Craßi Imperatoris Ro. ſoror, An. Do.* D.CCCL. *Caroli M. proneptis. De Hildegarda epitaphium huiuſmodi in cœnobio S. Galli repertum eſt:* X. KL. *Ian. Hildegarda virgo Chriſti D. Ludouici Regis filia de hoc ſæculo migrauit ad Chriſtum. Et humata eſt in Eccleſia S. Regulæ & Felicis martyrum Chriſti, in caſtro Thurego.*

Hic iacet in tumulo Chriſti digniſsima virgo
Hildegarda, nitens moribus egregijs.
Hæc fuit eximia Ludouici filia Regis,
Mentem ſponte ſua vouerat illa Deo.
Bis denos octo vita compleuerat annos:
Migrans ad ſponſum virga beata ſuum.

Aliorum eius poſterorum & ſucceſſorum, Regum clariſsimorum ſimilem benignitatem hîc prætermitto, literis & annalibus noſtris conſignatam, cuius commemoratio nimis longa foret atq; prolixa.

Quoniam igitur & Carolus ipſe Magnus, & eius cùm maiores & prædeceſſores, tùm poſteri & ſucceſſores patriam noſtram maximis affecerunt, ornarunt ſibiq; deuinxerunt beneficijs, quis non intelligit iuſtitiæ æquitatiq; eſſe conſentaneum, ipſiq; adeò iuri naturæ, vt tanti Imperatoris honorificam ſemper mentionem faciamus: atq; ita eius virtutum rerumq; geſtarum laude digniſsimarum recordatione, cùm gratos nos, vt par eſt, erga illum præbeamus, tum ad earum imitationem

tionem extimulemur. Quoniam verò Henricus IIII. *Rex Galliæ & Nauarræ Chriſtianiſsimus (pro cuius ſalute & incolumitate, cum qua patriæ noſtræ ſalus & incolumitas omninò eſt coniuncta, aſsiduas meritò ad Deum publicè priuatimq́; preces atque vota fundimus) Caroli illius Magni & agnatus eſt quaſiq́; propago, & in Regno hoc Gallico ſeu Francico iuſtus legitimusq́; hæres atque ſucceſſor, & denique virtutum eius laudumq́ue præſtantiſsimarum ſtrenuus eſt imitator, ita vt maxima ſit inter vtrumque non ſolùm generis, familiæ Regni, ſed etiam vitæ, morum, virtutum, actionumq́; laudabiliſsimarum affinitas atque coniunctio, idcirco vtriuſque comparationem inſtituere, ac cuiuis ceu oculis ſpectandam proponere ſtatui, cùm aliorum, tùm Plutarchi philoſophi & hiſtorici nobiliſsimi exemplo ac imitatione, cuius in conferendis clarorum & illuſtrium virorum vitis præclara, laudabilis, vtilis fructuoſaq́; opera extitit. Hoc pacto vna, vt eſt in prouerbio, fidelia duos dealbabimus parietes, hoc eſt grata memoria cùm illi mortuo (ſeu vt verius loquar, non mortuo, ſed vitam illam verè vitalem & immortalem viuenti) tùm huic viuo iuſtum debitumq́; tribuemus honorem, iuſtam meritamq́; pro maximis vtriuſq; in nos noſtramq́; patriam meritis, referemus gratiam. Interim tamen in recolenda, benè de nobis meritorum hominum, ſiue viuorum, ſiue mortuorum memoria, in ipſis hominibus ceu cauſis ſecundis ſubſiſtere animis noſtris atque hærere debemus, ne in ſuperſtitionem & idololatriam prolabamur (deos enim quoſdam, inquit Cicero, conſtat ex magnis beneficijs eſſe conſtitutos) ſed potius mentes animoſque noſtros altius erigere, & ad Deum ipſum ceu cauſam & auctorem omnium bonorum beneficiorumq́ue primarium attollere debemus, vt ei potiſsimùm omnia ab hominibus, ceu diuinæ beneficentiæ inſtrumentis, accepta & in nos collata ſiue publica, ſiue priuata beneficia, accepta referamus, eiq́ue nos tùm pectore, tùm ore, tùm opere gratos præbere ſtudeamus. Ex hac porrò vitæ vtriuſque narratione ſimul & comparatione pulcherrima, meo iudicio, ſalubeirimaq́; & caducæ, fragilis ac ærumnoſæ*

huius vitæ benè fæliciterq́ degendæ, & æternæ, immortalis ac beatiſſimæ illius vitæ conſequendæ præcepta non politici ſolùm & ciuilis, ſed etiam eccleſiaſtici ordinis ſortisq́ homines haurire poterunt. Quoniam autem, ſat ſcio, vt meæ mihimetipſi tenuitatis optimè conſcius, hæc mea narratiuncula, cùm rerum perſonarumq́, quas tractandas ſuſcepi, præſtantiſſimarum dignitati atque ſplendori, tùm acerrimo acutiſſimoq́ iudicio, expectationiq́ legentium nequaquam reſpondebit, idcirco quoſuis hanc ipſam meã lucubrationẽ lecturos, tantò vehementius rogo, oro atque obteſtor, vt pro ſingulari cuiuſuis humanitate, ea, quæ ſum dicturus, æquis beneuolisq́ animis percipere, & bonam in partem interpretari velint.

Etſi verò multi ſunt vel antiqui, vel recentes vitæ rerumq́ geſtarum Caroli Magni ſcriptores & hiſtorici (inter quos tamen nonnulli multas nugas, nænias atque fabulas vanas & aniles, veris aſperſerunt) tamen palma, mea ſententia, deferenda, fidesq́ præcipuè adhibenda eſt Eginharto Germano, antiquo, nobili claroq́ ſcriptori, qui Caroli Magni non ſolùm coæuus, ſed etiam amicus, familiaris, miniſter, ſcriba ſeu Cancellarius, conſiliorum denique actionumq́ ferè omnium conſcius atque ſocius intimus & fideliſſimus extitit. Vnde ipſemet in præfatiuncula ſua in hanc ſuam hiſtoriam: Mihi, inquit, conſcius eram, nullum ea veracius, quàm me ſcribere poſſe, quibus ipſe interſui, quæq́ præſens oculata, vt dicitur, fide cognoui. Pluris autem, vt veriſſimè miles ille apud Plautum ait, eſt oculatus teſtis vnus, quàm auriti decem. Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè ſciunt. Non deſunt tamen nonnulli, qui hanc hiſtoriolam, quæ Eginharto inſcribitur, Albino ſeu Alcuino, quo præceptore, & ſtudiorum morumq́ ſuorum moderatore fideliſſimo Carolus Magnus vſus eſt, aſcribunt.

Hunc itaque ipſum ceu oculatum fideque digniſſimum teſtem ac ſcriptorem, & narrationem ſimul, quam ille adhibet, ordinem atque ſeriem ceu tempori rationiq́ maximè conuenientem, ſequi certum eſt. Nam quoniam alij quoque, Caroli M. vitam et res geſtas literis memoriæq́

moriæq́ mandarunt, vt Robertus Gaguinus, Donatus Acciolus, Io. Auentinus, Nauclerus, Crantius, Carolus Sigonius huius ipſius Eginharti (ſuppreſſo tamen plærunque eius nomine) breuem, planam, perſpicuam, & quod caput eſt, veracem hiſtoriam ſecuti ſunt, idem mihi quoque in hac mea lucubratiuncula faciendum eſſe duxi. Si qua tamen alia præter ea, quæ Eginhartus ſcripto ſuo complexus eſt, in alijs hiſtoricis occurrent, commemoratione fideq́ue digna, quæq́ue ad propoſitum noſtrum pertinere videbuntur, ea ex illis deprompta adijcere eſt animus.

Verùm antequam vlterius progrediar, velim vnumquenque, quod ipſum à re propoſitoq́ noſtro non erit alienum, mecum vnà recordari & in memoriam reuocare, ſignum illud atq́ prodigium diuinum in æde ſiue baſilica noſtra maiore (quam groß münſter *vulgo appellamus) anno* LXXII. *à Deo omnipotente editum. Huiuſmodi enim ſigna, quibus Deus nobis quaſi aures vellicat, noſq́ ad veram ſalutaremq́ pœnitentiam inuitat & allicit, minimè profectò nos ſurdis auribus præterire, eaq́ negligere & aſpernari, ſed animis noſtris aßiduè voluere atque reuoluere decet, quibus nimirum ad veram ſeriamq́ pœnitentiam primo quoque tempore capeſſendam & agendam impellamur. Duæ ſunt, vti notũ eſt, cum maiore illo noſtro S. Felicis & Regulæ templo coniunctæ à poſteriore eius parte turres, quæ vnà cum ipſo templo, ut annales noſtri teſtantur, à Ruperto ſiue Rutprechto (quem Galli Robertum vocant) Alemanniæ Duce, magiſtro equitum ſiue Duce militum et cognato Ludouici Regis Francorum, quem alij* III. *alij* IIII. *huius nominis eſſe volunt (nam de eo non planè conſtat) extructæ ſunt anno Do. & Seruatoris noſtri* DCLXXX. *Hic enim vnà cum Vigharto fratre ſuo Presbytero (qui Ludouico Regi ſanguinis communione fuerunt coniuncti) omnia prædia atque bona ſua, quæ illis ex paterna hæreditate obtigerant, Ludouici Regis cognati ſui permißione atque venia perſiti, illa ad eccleſiaſticum vſum contulerunt. Ac Rupertus quidem collegium atque templum hoc noſtrum S. Felicis & Regulæ, Vighartus autem Lucernæ ad Ruſam*

ſt.in honorem S. Mauritij & eius ſociorum, nec non S. Leodegarij, & omnium ſanctorum cœnobium ſiue collegium (quod in Donatione ſuæ diplomate paruum tugurium vocat) fundarunt, & conſtrui curarunt, vterq́; etiam omnia bona & poſſeſſiones ſuas ad vtriusq́; conſeruationem, & ad cultum diuinum ibi exercendum contulit.

Porrò noſtri templi turris altera, quæ ſeptentrionem montemque Tigurinum ſpectat, in cuius inferiore parte ſiue trunco eſt campanile, & ſtatua equitis equo inſidentis viſitur (quam veriſimile eſt Ruperti fundatoris etiam imaginem) anno LXXII. *ſecundo die Maij (quo menſe antiquitus quotannis Regij Francorum & Gallorum conuentus agitari conſueuerunt) poſtridie eius diei, quo Synodus Eccleſiaſtica fuit habita, ſub veſperam fulmine tacta paulatim tota, cum ingenti totius ciuitatis noſtræ tremore atque trepidatione, conflagrauit ad truncum vſque vbi ſunt campanæ, fruſtra ſtrenuis & fortibus nonnullis viris incendium illud omni opera atque labore ſuo non ſine vitæ periculo extinguere conantibus. In cuſpide autem eiuſdem turris Luna fuit coniuncta cum Stella inaurata, quæ tandem in terram decidit. Cui igitur quæſo dubium eſt, quin diuinum illud fulmen, illud turris illius antiquiſſimæ incendium, & conflagratio, illa Lunæ atque ſtellæ ruina caſusque (vt taceam de domeſticis & inteſtinis noſtris malis, atque vulneribus, quorum illud ſimiliter fuit præſagium) incendium illud Gallicum, quod eodem anno paucis menſibus, die illo fatali ſancti Bartholomæi accidit, hoc eſt, diram, triſtem, funeſtam, horrendam, crudelem, immanem, inaudicam & inuſitatam illam Pariſinam & Gallicanam cùm innumerabilium omnis ſtatus, ætatis, & ordinis hominum, tum plurimorum quaſi turrium, id eſt, fœliciſſimorum virorum lanienam atque cædem prænunciarit?*

Deinde illa Lunæ creſcentis in turris culmine atque faſtigio collocatæ (quæ cùm Eccleſiæ, tum Reipub. modò creſcentis, modò decreſcentis in hoc mundo eſt ſymbolum) ruina atque caſus quid aliud portendit, quàm eiuſdem Eccleſiæ & Reipub. Gallicanæ (quæ

in tuto,

in tuto, pacato, tranquillo & florente ſtatu videbatur eſſe conſtituta) ſubitum & quidem grauiſſimum caſum, qui ab occaſu parum abfuit: Nam vt Luna illa corniculata atque creſcens ſubitò de faſtigio ſuo decidit, ita, proh dolor, Eccleſia & Reſpub. Gallicana eo anno grauem paſſa eſt ruinam atque caſum, & ex quieto, tranquillo & florente ſuo ſtatu in extremam prolapſa eſt miſeriam.

Præterea ſtella illa inaurata, quæ Lunæ creſcenti affixa vnà cum ipſa in terram decidit, quid obſecro aliud præſignificauit, quàm triſtem luctuoſumque cùm innumerabilium aliarum Regni & Eccleſiæ Gallicanæ ſtellarum atque luminum, id eſt, virorum omni virtutum genere reſulgentium, tùm verò atque in primis ſtellæ illius ſplendidiſſimæ, hoc eſt, illuſtriſſimi & ſereniſſimi illius tunc quidem Regis Nauarræ, hodie per gratiam Dei Regis Galliæ & Nauarræ caſum triſtem luctuoſumq́; prænuntiarit, qui vnà cum agnato ſuo Principe Condæo, glorioſæ memoriæ, ſubitò ex nuptiali illa ſua feſtiuitate atq; lætitia in extremum luctum, ex libertate in ſeruitutem, ex florente ſtatu in tragicam planè miſeriam calamitatemq́; incidit.

Hoc porrò incendium atq; fulmen Gallicum anni LXXII. *multa alia fulmina atq; incendia dira ac funeſta, id eſt, clades atq; calamitates luctuoſiſſimas per* XX. *continuos annos fuerunt conſecutæ, quibus mirùm profectò eſt Regnum & Eccleſiam illam totam non conflagraſſe ac penitus abſumptam eſſe. Quæ quidem illius ſociæ, fœderatæ, nobisq́; multis nominibus coniunctiſſimæ nationis incendia, id eſt, bella inteſtina nos quoq; attingunt: iuxta Vergiliani illud.*

Nam tua res agitur paries cum proximus ardet.

Verùm non eſt quod animis noſtris deſpondeamus, et omnẽ cùm Gallorum ſociorum & fratrũ noſtrorum, tùm noſtræ ſalutis ſpem abijciamus, modò Deum vtriq; matura pœnitentia placare ſtudeamus. Deus enim, qui in ipſa ira atque furore ſuo miſericordiæ ſuæ ſemper recordatur, neque omnem illius memoriam abijcit, in illo ipſo incendio & conflagratione illius turris, gratiæ & miſericordiæ ſuæ, noſtræq́; ſalutis communis clara & illuſtria nobis ſigna atque documenta dedit.

Nam primò quemadmodum turris ſuperior illa pars coſlagrauit, inferiore illius parte, ſiue trunco & fundamento manente ſaluo & incolumi, & illa ipſa turris, conflagrata ampliſſimi noſtri magiſtratus auctoritate atque munificentia ex cupro, cùm antea fuiſſet lignea, pulcherrimè fuit inſtaurata & reædificata, ſic ſperamus Dei inprimis ſummi & cæleſtis illius noſtri magiſtratus, freti clementia, deinde Regis virtute ac fortitudine, Regnum illud Gallicum in priſtinum pacis dignitatisq́ ſtatum reſtitutum iri. Deinde vt luna illa creſcens cecidit quidem de ſuo faſtigio in terram, minimè tamen fulmine igniq́ue illo fuit conſumpta, tandemq́ue in priſtinum ſuum locum fuit reſtituta, in quo illa adhuc ſtat, ſic Reſpub. & Eccleſia Gallicana, etſi horrendo illo XX. *imò* XXX. *annorum incendio horrendum in modum deuaſtata fuit ac deformata, tamen, Deo illam tuente ac defendente, nequaquam adhuc, inuito Diabolo & omnibus eius ſatellitibus, exciſa eſt & exterminata, quin Regem patremq́ue nacta fortiſſimum & fideliſſimum paulatim reædificatur, & in priſtinum ſuum ſtatum reſtituitur. Item vt ſtella quoque illa noſtræ turris lunæ affixa decidit quidem vnà cum luna in terram, nec tamen incendio illo conflagrauit, ſed tandem vnà cum luna in turris culmine rurſus fuit collocata: ſic ſplendidiſſima et clariſſima illa ſtella, hoc eſt, Rex Galliæ atque Nauarræ, qui Reipub. & Eccleſiæ Gallicanæ affixus planè eſt & addictus animo, ſtudio & cogitatione ſua, de eius ſalute dies noctesq́ue cogitans, etſi grauem ſubijt atque perpeſſus eſt horribilemq́ue caſum, tamen mirifica, imò ſtupenda Dei potentia atque clementia præter omnem ſpem expectationemq́ue hominum, non ſolùm priſtinæ libertati, ſaluti dignitatiq́ue ſuæ, de qua actum planè eſſe videbatur, fuit reſtitutus, ſed etiam ad ſupremum illud maieſtatis poteſtatisq́ue culmen, Deo proceribusq́ue Regni id approbantibus, fuit euectus. Atque hoc ipſum cui dubium quin ſtella illa noua, inuſitata, miraculoſa, quam Deus illo ipſo anno in cælo accendit, & quaſi ſignum aliquod ad benè ſperandum ſuſtulit, fuerit ſignificatum. Hoc item eſt ſydus illud, quo anno* M.D.XX. *die menſis Martij* III. *repertum eſt*

in Hel-

in Heluetia in Tauri montis hiatu,qui tam magnis imbribus acciderat, monumentum propheticum T.Sibyllæ repertum eſt, cuius hoc eſt initium. Orietur Sydus in Europa ſupra Iberos, ad magnam Septentrionis domum,cuius radij orbem terrarum illuſtrabunt,&c. Sydus illud viri docti & cordati interpretantur hunc ipſum Henricum M. Galliæ,quæ ad Septentrionem eſt Hiſpaniæ,Regem,de quo Sibylla, vnica tandem auiti ſanguinis propago. Huc accedit aliud ſignum eius temporis, quod ipſum quoque obſeruatione eſt digniſſimum, & nequaquam ſilentio prætermittendum. Nam altera turris,quæ meridiem ſpectat,montemque Albis, quam Rupertus ille inchoatum reliquit,ei,quæ fulmine tacta conflagrauit,contigua, cùm ſingulari Dei benignitate, tum ſtrenuorum & fortium ciuium opera atque labore ab incendio illo omnino intacta & immunis permanſit. In illius inferiore quidem parte eſt Caroli M. (vnde Caroli M. turris vulgò appellatur) ſedentis in ſolio Regio,capite coronam auream, & manu vna gladium ſemiſtrictum cum capulo aureo (quod ſignum eſt iuſtitiæ) altera pomum aureum,cui crux infixa (quod cùm pietatis, tum amoris,charitatis,pacis & concordiæ eſt ſymbolum) tenentis atque geſtantis ſtatua habitu regali viſitur,in cuſpide autem turris gallus ſtat gallinaceus, ventorum tempeſtatumque quaſi index ac monſtrator. Notum eſt autem vulgò,auem illam animal eſſe prudens, ſagax,prouidum, cautum,circumſpectum (vnde Iobus cap.51.gallo inquit,quis dedit intelligentiam?) laborioſum: item vigilans, imperioſum, pugnax,gallinarum & pullorum ſuorum amantiſſimum, vnde prudentiæ, vigilantiæ, fortitudinis, φιλοϛοργίας deniq; & charitatis eſt ſymbolum, de cuius virtutibus multa præclarè Plinius lib.10.ca.21. diſſeruit. Quemadmodum igitur & turris illa altera, & quæ in illa eſt Caroli M. ſtatua, & gallus ille gallinaceus ab incendio fuit immunis: Sic Deus pro admirabili ſua gratia Regem hunc Galliæ & Nauarræ, qui eſt quaſi turris quædam valida ac munita, qui eſt quaſi alter Carolus M. de cœlo ad nos delapſus, qui denique & natione eſt Gallus, & quouis gallo gallinaceo prudentior, fortior,

bellicoſior, ſubditorum ſuorum ceu gallinarum & pullorum ſuorum amantiſſimus, admirabili Dei conſilio atque beneficio, quod omnes homines meritò in admirationem, immò ſtuporem rapit, ex innumeris & infinitis fulminibus, flammis, facibus, ignibus, incendijs, id eſt, periculis maximis & præſentiſſimis ſaluus incolumiſq; euaſit, ad reparandum nimirū et reſtaurandū Regni Gallici ſtatū à Deo reſeruatus.

Nunc, vt ad rem propoſitumq; noſtrum, vnde digreſſus ſum, redeam, quædam in Eginharti hiſtoria ſtatim ab initio occurrunt, quæ, quoniam propoſito huic noſtro, & hodierno Regni rerumque Gallicarum ſtatui atq; conditioni, apta valdè ſunt & accommodata, nos quoque ab ijs potiſſimùm exordiemur.

Primò igitur omnium docet, quàm vilis & abiecta, quàm exanguis & eneruata familiæ Merouææ ſeu Merouingiæ, ex qua Franci Reges ſibi creare ſoliti erant, & vltimorum illius familiæ Regum ſtatus atque conditio fuerit, ita vt nihil ferè præter Regis nomen atq; titulum, & inanem quandam dignitatis Regiæ ſpeciem ſiue laruam habuerint. Nam vt omnia humana in deterius ſemper vergunt ac ruunt, donec tandem omnino corruant: ita Regia quoque illa familia Merouea à Merouæo filio Clodouei II. *(qui* III. *Rex Francorum numeratur) deducta ac denominata, cum multorum Regum fuiſſet ſeminarium, omnem ferè tandem ante occaſum ſuum ſub* V. *aut* VI. *vltimis Regibus ſplendorem dignitatemq; ſuam amiſit. Nam quemadmodum in prima & aurea illa (vnde etiam aureo capiti diuino oraculo comparatur) mundi monarchia Aſſyriaca, duæ fuerunt, quæ illam tenuerunt illique imperarunt, familiæ, nempe Ninia ſeu Niniuingia à Nino & Semiramide deducta, ex qua poſtremus monarcha fuit Sardanapalus, & Phulbelochia à Phulbelocho qui Sardanapalum, coniuratione aduerſus illum facta, è medio ſuſtulerat, denominata, ita (vt norunt omnes, qui vel primoribus labris hiſtorias Gallicas deguſtarunt) in Regno Francico ſeu Gallico tres familiæ nobiliſſimæ, nempe Merouingia à Merouæo, Carolouingia à Carolo M. vel (vt alij volunt) à Carolo Martello Caroli M. auo, & Capetingia ab Hugone Capeto nomen originemq; ſuam trahentes, & ex ſe inuicem pro-*

ſeminatæ ac propagatæ, perpetuò quodam & nunquam interrupto ordine atque ſerie per annos mille (quod ſanè admiratione eſt dignißimum) ſibi inuicem in Regni huius poſſeßione & adminiſtratione ſucceſſerunt. Capeuingiæ autem familiæ duæ fuerunt propagines, nempe gens Valeſia & Borbonia, ex quibus, cum illa ſit extincta, altera nunc optimo iure in Regno Gallico ſucceßit: Statum porrò familiæ Merouingiæ, & Regum ex illa vltimorum Eginhartus his verbis deſcribit. Iamdudum, inquit, gens illa nullius vigoris erat, nec quicquam in ſe clarum, præter inane Regis vocabulum præferebat: Nam & opes & potentia Regni penes palatij præfectos, qui maiores domos (haußmeyer *vel* hofmeyer) *dicebantur, & ad quos ſumma Imperij pertinebat: neq; Regi aliud relinquebatur, quàm vt Regio tantùm nomine contentus (ergo Rex erat nomine ſeu titulotenus) crine profuſo, id eſt, prolixo, barbaq; ſubmiſſa, (talis fuit antiquorum Franciæ Regum habitus cultusq; corporis, vnde à Clodio Comato ſeu Capillato, Comati ſeu Capillati fuerunt appellati, & Capillitium inſigne fuit Regium, de cuius iure multa extant in hiſtorijs) in ſolio reſideret, ac ſpeciem dominantis effingeret, legatos vndecunq; venientes audiret, eisq; abeuntibus reſponſa, quæ erat doctus, vel etiam iuſſus, ex ſua velut poteſtate redderet, cùm præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ ſtipendium, quod ei præfectus aulæ, pro vt videbatur (id eſt pro lubitu & arbitrio ſuo) exhibebat, nihil aliud proprij poßideret, quàm vnam præparui reditus villam, in qua domum, ex qua famulos ſibi neceſſaria miniſtrantes, atq; obſequiũ exhibentes, paucæ numeroſitatis habebat: Quocunq; eundem erat, carpento ibat, quod bobus iunctis, & bubulco ruſtico more agente trahebatur: Sic ad palatium, ſic ad publicum populi ſui conuentum, qui annuâtim (menſe ſub Maio) ob Regni vtilitatem celebrabatur, Rex, ſic domum redire ſolebat. At Regni adminiſtrationem, & omnia, quæ vel domi, vel foris agenda ac diſponenda erant, præfectus aulæ procurabat. Eſt autem, vt hoc obiter addam, carpentum vehiculi matronalis genus, à Carmente Euandri matre dictum, ſecundum illa Ouidij: Nam*

prius Auſonias matres carpenta vehebant, Hæc quoque ab Euandri dicta parente reor. Hinc Liuius: Matronis, inquit, conceſſum eſt, vt plauſtro ad ſacra ludosq́, carpentis feſto profeſtoque die vterentur. Galli tamen olim ex carpentis depugnare ſoliti. Scipio quoque Naſica Boijs deuictis in triumpho ſpolia Gallicis carpentis tranſuerſo ſcribitur. Hinc apud Gallos fabri lignarij Charpentiers, id eſt, Carpentarij vocantur.

Eundem ſtatum & conditionem Auentinus his verbis deſcribit, & quaſi depingit, quæ quoniam ad ſuperiorum confirmationem & explicationem pertinent, ſubijcere libuit. Vnà cum Dagoberto (quem Grimoaldus aulæ præfectus, Regnum affectans, ſacerdotum ritu tonderi, ſacriſque initiari curarat, & ad Scotos relegauerat) Imperij Francorum maieſtas corruit. Præfecti prætorio (quos Germani Maroſalices, maiores domus, ſiue aulas, et duces Francorum nuncupabant) Regnum trahere, rapere, lacerare atque omnem potentiam in ſe transferre, omnia munia negotiaque Regia domi foriſque obire cœperunt. Reges otio torpeſcere, inane Regis nomen ferre, in vmbra & angulis deliteſcere, omnem ætatem ſilentio, venationibus, voluptatibus, tranſigere cœperunt. A vulgi conſpectu remoti, neminem admittere, neminem audire, neminem cognoſcere conſueuerunt, pollui Regem ſupplicis conſpectu arbitrantes, quem Perſicorum quoque Regum olim morem fuiſſe legimus. Semel quoque anno leges illi vmbratiles ad conuentum Regni ſolennem, menſe Maio bobus vectus aduentabat. Ibi data acceptaque ſalute, mox ſe latebris rurſus abdebat. Paſcebatur eius familia à Palatij præfecto. Pertulerant C. fermè annos huiuſmodi Regum ignauiam atque ſocordiam Galliæ & Germaniæ populi. Hæc Auentinus, hæc ſcribunt & teſtantur etiam alij hiſtorici.

Qualis autem gentis Merouingiæ ſub vltimis eius Regibus, talis olim Niniuingiæ ſub poſtremis Aſſyriæ Regibus ſtatus fuit atque conditio, vt antiquæ illorum temporum hiſtoriæ clariſſimæ teſtantur, quorum poſtremus Tonoſconcoleros Aſſyriacè Sardanapalus Græcè

Græcè dictus, prodigioſæ luxuriæ homo (vnde in prouerbium abijt, vt homo mollis, effœminatus, vt voluptuarius Sardanapalus per Antonomaſiam appelletur) miſerrimè interijt. Sed quid opus eſt antiqua recenſere, annon idem quæſo hac ipſa noſtra ætate ſeu tempeſtate potius in eodem Galliæ Regno, in familia Valeſia paulò ante eius occaſum ſcimus accidiſſe? Quis enim ignorat tres poſtremos familiæ Valeſiæ Reges, nimirum Franciſcum II. Carolum IX. Henricum III. non tam re & poteſtate, quàm nomine ſeu titulotenus Reges fuiſſe, matris & oligarcharum quorundam imperio poteſtatiq́, ne dicam tyrannidi ſubiectos, qui ipſis ſimul totiq́ Regno pro ſua voluntate ſeu libidine potius imperarunt, cuncta domi foriſq́ pro ſuo arbitrio adminiſtrarunt. Annon Regina mater corruptiſſimorum & flagitioſiſſimorum quorumque vſa opera, filios ſuos in otio, in vmbra, in ludis, choreis, libidinibus, amoribus quoque educari, atque ita mores illorum corrumpi ac deprauari curauit? Qua de re multi ſæpè proceres ſapientiſſimi & pijſſimi, penes quos ſumma rerum poteſtas & adminiſtratio eſſe debebat, grauiſſimè ſunt conqueſti. At nihil mulieri illi erat antiquius, gratius & iucundius, quàm vt filij ſui remoti ab omni re negotioq́ graui & ſerio, ſibi totiq́ Regno vtili, iocis ſcurrilibus, ludis obſcænis, otio, amoribus, delitijs, voluptatibus omne vitæ ſuæ tempus tranſigerent, quò nimirum illa tantò facilius, maioriq́ cum licentia, cum amoribus & delitijs ſuis cuncta in Regno illo pro libidine ſua miſcere, agitare ac turbare poſſet. Quemadmodum igitur olim, vt paulò ante ex Eginharto & Auentino diximus, ſub poſtremis illis gentis Merouææ Regibus, Regni rerumq́ omnium poteſtas penes aulæ ſeu palatij magiſtros erat, ita ſub tribus poſtremis iſtis gentis Valeſiæ Regibus omnis poteſtas partim penes Reginam matrem, partim oligarchas quoſdam extitit, qui cuncta pro ſuo gerentes arbitrio, trium poſtremorum iſtorum Regum ætate puerili atq́ tenera, vita vmbratili, molli, delicata & voluptuaria, illorumq́ deniq́ indulgentia, ſecuritate atq́ ſocordia ad Regnum Gallicum non tam gubernandum, quàm perturbandum, ac tantùm non euertendum impiè nefarieq́ abuſi ſue-

runt. Hinc tot tanteq́ lachrymæ, hinc bellum iſtud inteſtinum, tam dirum, tam tetrum, tam funeſtum, tam peſtiferum, tam denique diuturnum natum eſt, vnde tot tanteq́ clades & calamitates (quarum ne nunc quidem eſt finis) in totum illud Regnum redundarunt. Porrò Childericus, ſiue Hildericus, ſiue (vt hodie nomen illud exprimimus) Huldricus nominis huius III. (nam duo ante illum huius nominis Francorum Reges fuerunt, vt vita & moribus corruptus, ita fortuna aduerſa & calamitoſa ei ſimillimi (Stupidus propter ingenij mentisq́ ſtuporem cognominatus, Vtilonis Reguli Boiorum (qui Pipini ſororem Hyttrudam nomine in matrimonio habebat) & aliorum conſpiratione, Zachariæ & Stephani II. Papæ Ro. vt Eginhartus & Auentinus, iuſſu & auctoritate miſer, de Regio ſolio dignitateque ſua deturbatus, captus, tonſus, vnà cum Giſala Regina & coniuge ſua à Theſſalono, filio Vtilonis Boiorum Reguli, in Boiariam abductus, in cœnobium S. Henneræ, quod eſt Reginoburgij, tanquam in carcerem & ergaſtulum perpetuum fuit detruſus. Giſala verò Regina & coniunx eius in cœnobium Cochlienſe ad lacum eiuſdem nominis (Cochelſee) in ſuperiore Boiaria, ſub radicibus alpiũ ſitũ relegatur, vbi defuncta & humata eſſe dicitur. Id accidit anno Do. D. CCL. vel D. CCLI. vt alij volunt. Anno à Merouei Imperio CCCII.

O infelicem, calamitoſam luctuoſamq́ Childerici iſtius Regis fortunam, qui ſimul & Regno, & capillitio (quod inſigne erat Regium, quodq́ Crotildis illa tanti fecerat, vt filijs ſuis caput, quàm capillos amputari maluerit) & libertate, & patria & coniuge deniq́ ſua priuatus magno cum dedecore atque ignominia in monaſterium ceu carcerem perpetuum atque exilium fuit relegatus. Nolo hîc pluribus diſputare, quo iure, quaue iniuria hoc factum ſit, Regnumq́ Francicum à Childerico ad Pipinum fuerit translatum, id me ſapientioribus, & iurium legumq́ peritioribus dijudicandum relinquo. Hinc autem patet, Papas Ro. iam pridem Reges & Imperatores vel creandi & coronandi, vel deponendi & Regia ſua dignitate priuandi, Regna deniq́ & Imperia ab vna gente ad aliam transferendi ius poteſtatemq́ ſibi arrogaſſe

arrogaſſe & vſurpaſſe. Hîc iure igitur mihi cum poëta illo Lig. exclamare & interrogare poſſe videor:

Num Petrus, num Clemens, num cætera turba priorum
Sceptra Latina dabat?

Etſi verò Rex ille hanc pœnam & calamitatem vitijs atq; peccatis ſuis (ſi vera ſunt, quæ hiſtorici de illo tradunt) promeruerat, tamen & Papa Ro. & Burchardus primus Vuirtzburgenſis ſeu Herbipolenſis Epiſcopus, qui vnà cum Volhardo Pipini Archicapellano à Pipino Romam ad Zachariam Pontif. Ro. miſſus fuit, & Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus, à quo in Sueßionum ciuitatem inauguratus fuit, & Vtilo Pipini affinis, & Pipinus ipſe, qui in eius locũ ſuffectus eſt, vir aliâs virtutibus præclarus, & reliqui conſpirationis huius aduerſus illum initæ ſocij, calamitatisq; auctores, non omninò videntur eſſe excuſandi.

Sed omiſſa longiore hac de re diſputatione, videamus rurſus, quanta inter Huldrici III. vltimi gentis Merouingiæ (vt nõnulli volunt) & Henrici III. vltimi gentis Valeſiæ Regis tempora atq; fortunam ſit ſimilitudo. Quis enim eſt tam in Gallia hoſpes, hoc eſt, rerũ Gallicarum tam rudis et imperitus, qui neſciat parum abfuiſſe, quin quod olim Hilderico illi III. acciderat, Henrico quoq; III. accidiſſet, hoc eſt, vt ipſe quoq; de ſolio ſuo Regali deiectus in monaſterium aliquod fuiſſet detruſus, niſi fraudem hanc atq; vim, quæ ei intentabatur, partim fraude vulpina, partim vi leonina præuenire atq; repellere in animum ſuum induxiſſet. Nam primò quidem pro calliditate & aſtutia, qui duxis ſimulandi diſsimulandiue more ac conſuetudine ſua, animaduerſis iſtis hoſtium ſuorum conſilijs atq; inſidijs, aſſumpto habitu monaſtico ceu pelle vulpina, Regni gubernacula ſe deponere, & aliis tradere velle ſimulauit, hoſtium nimirum ſuorum dolos fraudesq; hoc pacto eludendi, & cum illis ceu vulpibus, vt eſt in prouerbio, vulpinandi gratia, ſequutus poëtæ illius iudicium atque conſilium hoc diſticho expreſſum:

Iudice me, fraus eſt conceſſa repellere fraudem,
Armaq; in armatos ſumere iura iubent.

Itaq; tandem commodam nactus occaſionem, pellem aſſumpſit leoninam, & iniurias partim ſibi iam antea illatas, partim inferendas, quæq; ei parabantur, viriliter vltus eſt ac repulit.

Verùm ne ſic quidem hoſtiũ ſuorũ vim inſidiasq; effugere potuit, ſed quemadmodũ Hildericus, ſeu Huldricus ille III, ex monarcha factus monachus, ſimul & Regno, & libertate, & coniuge, & patria ſua fuit priuatus: ita Henricus III, à monacho (ô facinus ſtupendum, horrendum, ingens) à monacho inquam (quod hominum genus Rex ille ſemper vnice amarat, fouerat, magno in precio et honore, familiariſsimũ deniq; habuerat) crudeliſsimè fuit interemptus: nec Regia tantùm dignitate, ſed ipſa vita fuit ſpoliatus, familia ſimul eius nobiliſsima & antiquiſsima deleta penitus & extincta.

Apparet igitur ex his omnibus, quàm propè rerum Gallicarum, ſub tribus vltimis ex gente Valeſia Regibus ſtatus, accedat ad antiquum illum Regni Francici & Gallici ſub vltimis illis gentis Merouneæ Regibus ſtatum, à quo Eginhartus hiſtoriam ſuam exorditur. His igitur præmiſsis, quæ viam quodammodo aditumq; ad ſequentia muniunt, nunc ad ipſam Regis vtriuſque comparationem aggrediar, ex qua patebit, Magni nomen honorificum & auguſtum non Carolo tantùm illi antiquiſsimo & clariſsimo Gallorum, & Germanorum Regi ac Imperatori, verùm etiam Henrico IIII. Gallorum, & Nauarrorum Regi (qui hodie floret) Chriſtianiſsimo, optimè conuenire, ac proinde ei quoq; meritò eſſe tribuendum.

Vnde autem potius exordiar, quàm ab ipſo vitæ vtriuſque ortu, hoc eſt, natalibus ſeu natiuitate, quæ quidem parentes, maiores, genus, tempus locumq; natalem complectitur. Quod igitur ad parentes & maiores vtriuſq; clariſsimos attinet: Caroli quidem M. pater fuit Pipinus Breuis ſeu Puſillus cognomento. forſan ſic dictus ob breuem ſeu puſillam corporis ſtaturam, & ad differentiam Pipini Craſsi, qui Pipini huius auus, Caroli Magni proauus fuit. Etſi autem breuis ille fuit & puſillus corpore, tamen animo, virtutibus, rebusq; geſtis magnus fuit, nec breuis, ſed longa, imò perpetua eſt eius virtutum rerumq;

rumq́ geſtarum gloria, cuius præcones ſunt omnes hiſtorici. Patriæ etenim & vniuerſæ Reipub. Chriſtianæ ſtrenuam ac fidelem operam nauauit, illamq́ à multarum barbararum gentium vi, impetu & incurſionibus fortiſſimè fideliſſimeq́ eſt tutatus.

Hic ab initio aulæ præfectus fuit, quem magiſtratum illum (qui tum temporis regiæ dignitatis, auctoritatis, poteſtatisq́ vim obtinebat) à patre, auo & maioribus ſuis hæreditario iure ad ſe deuolutum, primò communiter cum fratre ſuo Carolomanno, deinde, poſtquam ille monaſticæ vitæ ſe addixit, ſolus magna cum laude geſſit. Tandem verò, Hilderico Rege per auctoritatem Pontificis Ro. depoſito, ipſe eiuſdem Pontificis auctoritate atque opera, ob egregia in ciuitatem & eccleſiam. Ro. merita, ex præfecto palatij factus eſt Rex Galliæ. Hîc, antequam vlterius progrediar, quæri meritò poteſt, rectè ne Pipinus fecerit, vir aliâs virtutibus rebusq́ geſtis clariſſimus, quod Childericum legitimum ſuum Regem, Dominum ac Magiſtratum de legitimo illo ſuo Regno atque dominio deturbari, & ad monaſticam ſeruitutem redigi, ſeq́ in eius locum ſublimari, & ad regiam illam dignitatem, prouehi eſt paſſus, quod quidem ego me doctioribus & iuris legumq́ peritioribus, dijudicandum relinquo.

Quòd ſi quis dixerit, Papa iuſſu & auctoritate (vt Eginhartus liberè fatetur) id factum, & idcirco id iure factum videri. Reſponderi meritò poteſt, nihil Papis & Pontificibus Ro. eſſe in Regna & Imperia ciuilia, præſertim verò in Regnum Gallicum ſeu Francicum omnium ferè totius orbis terrarum Regnum liberrimum, iure vel diuino vel humano, iuris ac poteſtatis. At dicat alius Pipinus Hilderico Rege ſapientia ac virtutibus longè fuit præſtantior, ac proinde Regno illo dignior eiq́ vtilior. Id ſi verum eſt, ergò continuò quiuis conſiliarius, præfectus, officiarius, qui vel ſuo vel aliorum iudicio, Regi ac Magiſtratui ſuo ſummo ſapientia & alijs virtutibus præſtabit, Regnum & Imperium inuadere, ei ſeſe intrudere, id accipere, & legitimo ſuo Domino eripere poterit. Quanta per Deum, hinc confuſio, rerumq́ perturbatio conſequeretur?

Dixerit etiam non nemo benè feliciterq́; hoc ei poſteriśq́; illius ſucceſsit, ergò benè fecit. Reſpondere poſſum cum poëta illo,

Careat ſucceſsibus opto,
Quiſquis ab euentu facta notanda putat.

Quibus verbis docet, & quidem verè rectéq́; docet nobilis ille poëta, facta quæuis ipſo iure atq; lege, non autem ſucceſſu atq; euentu, ſiue ſecundo ſiue aduerſo notanda, hoc eſt, æſtimanda, & vel probanda vel improbanda eſſe. Eſt enim iniquum, inquit Plinius, ſed vſu vulgò receptum, quòd honeſta conſilia, vel turpia, pro vt malè aut proſperè cedunt, ita aut probantur vel reprehenduntur. His adde quòd poſt Caroli M. obitum inter filios eius atq; poſteros horrenda miſerandaq́; extiterunt bella inteſtina, quibus ſapientes nonnulli & cordati viri volunt Deum, qui, vt in Decalogo ſcriptum eſt, parentum peccata in tertiam & quartam generationem punit, hunc Pipini Breuis in ſuum Regem atq; Dominum perfidiam puniuiſſe.

At dicat alius, Pipinus vir fuit bonus atq; probus, æquitatis iuſtitiæq́; amans, non ergo regale hoc munus ambiiſſet, vel ſibi oblatum recepiſſet, niſi id iudicaſſet æquitati & iuſtitiæ eſſe conſentaneum. Reſpondeo, legibus, non exemplis viuendum eſt. Pipinus fuit homo, & idcirco peccare potuit, vnde vel ſanctiſsimos & ſapientiſsimos quoſq; homines affectibus in tranſuerſum raptos, turpiter grauiterq́; ſæpenumerò peccant ac labuntur. Hinc verò (nam aliorum παθήματα noſtra debent eſſe μαθήματα) Reges, Imperatores ac Principes documentum capiant vtile ac ſalutare, vt nimirum non ipſi otio atq; deſidiæ, ſecuritati & ſocordiæ, venationibus, ludis, libidinibus ac voluptatibus indulgeant, omnem rerum politicarum & Eccleſiaſticarum curam, adminiſtrationem poteſtatemq́; alijs temerè permittant, ne idem illis, quod & Hilderico in Regno Francico, & Sardanapalo olim in prima illa monarchia Aſsyriaca, & deniq; plurimis alijs accidit, vſu ueniat, nempe vt ipſi quidem in extremum adducti contemptum, ex Dominis fiant ſerui, & ij, qui antea illorum fuerunt ſerui, eorum euadant Domini, & cùm ipſos, tùm illorum hæredes ad perpetuam ſeruitutem redigant.

Pipinus aũt cùm X V. *annos, aut, vt alij volũt,* X V I I I. *Francis im peraſſet, finito bello Aquitanico, quod contra Vaifarium Aquitaniæ Ducem ſuſceptũ, per continuos* I X. *annos geſſerat, apud Pariſios mor bo aquæ intercutis diem ſuum obijt an.* D. C C. L X V I I I. V I I I. *Cal. Octobris, id eſt, die* XXIV. *Septẽb. in cœnobio Dionyſiano ſepultus, ſu perſtitibus* 2. *filijs Carolo M. & Carolomanno, ad quos ſucceßio Regni diuino nutu peruenerat. Hîc etiam, antequam à Pipino Breui diſcedam, non eſt tacendum, quod eius ſobrinus fuit Theodoricus Saxo, qui Comes Andegauenſis, & Hugonis Capeti abauus fuit, anno* D. C C C. X L. *gener Vuittekindi Magni Ducis Saxonũ. Theodorici autem illius Saxonis filius fuit Robertus Fortis, anno* D. C C C. L X V I. *Iudas quoq; Machabeus, ſcilicet ob heroicam fortitudinem cognominatus, qui Hugonis Capeti proauus in eadem cum Carolo Magno linea ponitur. Roberti autem Fortis filius fuit Robertus, anno* D C C C C X I I. *Roberti filius fuit Hugo Magnus, anno* D C C C C L V I I. *Huius denique filius fuit Hugo Capetus Rex Galliæ Valeſiorum atq; Borboniorũ genarcha. Hæc addere volui, quòd inde conſtat, Henricum M. Caroli M. eſſe agnatum ſeu gentilem.*

Henrici Magni pater fuit Antonius Borbonius Rex Nauarræ cùm ſingulari bonitate, & alijs virtutibus, cùm fortitudine rebuſque fortiter geſtis clarus, qui Henr. I I. *in Piccardia legatus, anno* X L I I. *in Septentrionalis Belgicæ parte Teraubanenſem arcem nobiliſsimam ac munitiſsimam cepit, & ſolo æquauit. Flandros vnà cum Comite Reutio, eorum Ductore, fudit ac fugauit. Filerium oppidulum, aliaq; caſtella in Arteſienſibus cepit: multaq; alia, bellicæ virtutis ac fortitudinis ſpecimina edidit. Poſtea abdicata Pictardia, Aquitaniæ gubernator factus eſt, anno* M. D. L I I I. *Octob.* X X I. *die. Tandem anno* L X. *ſub nomine primi Principis, Regis & fratrum Auguſtiſsimorũ, atq; adeò totius Regni cura & adminiſtratio (quam Regentiã vulgò vocãt) vt proximo agnato in celeberrimo Regni ordinum cõuentu ei delata eſt, atq; ita totius Regni cõſenſu, auctoritate & decreto apud omnes Francos prærogatiuã primi Principis habuit,*

vnde liquidò conſtat, ad Henricum M. eius filium primogenitum ius Regni pertinere. Tandem bello hoc inteſtino in obſidione & oppugnatione Rotomagenſi globulo tormentario ictus, anno M. D. LXII. *die* 17. *Nouemb. fato ſuo functus eſt.*

Caroli M. mater fuit Bertha nomine, quam Eginhartus Berthrudam vocat (quidam Vuerthrudam appellant) Heraclij, vt nonnulli volunt Imperatoris Conſtantinop. filia, fœmina eximijs virtutibus ornata, quæ in extrema ſenectute mortua eſt, quam Carolus M. ad finem vſq; eius vitæ, pro pietate ſua, conſtanti & quidem ſingulari amore, honore & obſeruantia coluit. Henrici M. mater fuit cùm generis, tùm virtutis claritate atq; præſtantia illa nihilo inferior, nec nomine tantùm, ſed etiã reipſa Ioanna, hoc eſt, gratioſa, S. Spiritus gratijs, donis atq; muneribus præclaris cumulata & abundans, Henrici Albretij Regis Nauarræ (qui Ioannis Albretij filius fuit) filia vnica, regniq; Nauarreni hæres, Franciſci I. *Regis Francorũ ex ſorore Margareta neptis, mulier ſeu virago potius & heroina religioſa ac ſapiens, quæ vt filium hunc ſuum vnicũ amauit, & pro materna ſua charitate piè ſanctéq; educauit atq; inſtituit, ita ille viciſſim ei omnia iuſta debitaq; amoris & obſeruantiæ officia, quæ à grato pioq; filio proficiſci poſſunt, ad vitæ vſque finem plenè cumulatéq; præſtitit.*

Caroli M. auus fuit Carolus Martellus Princeps & Dux Francorum, cuius præſtantiſſimæ virtutes reſq; geſtæ ab omnibus hiſtoricis decantantur, & ad cœlum vſq; maximis laudibus efferuntur. Verè fuit Martellus (quæ vox lingua Gallica ſeu Francica ſonat malleum, ſiue piſtillum, & fiſtucam) hoc eſt, flagellum, domitor atq; victor quorumuis immaniſſimorum patriæ & Eccleſiæ hoſtium. Is nanq; ceu verus tyrannomaſtix ſeu potius tyrannoctonos, tyrannos per totam Franciam dominatum ſibi vendicantes oppreſſit, & Sarracenos ex Hiſpania eruptionibus crebris Galliam occupare tentantes (quòd idem hodie quoq; fieri videmus) duobus magnis prælijs, vno in Aquitania apud Pictauium ciuitatem, altero iuxta Narbonam apud Bytram ſeu Byrram fluuium deuicit atque proſtrauit, & in Hiſpaniam redire

redire compulit. Hic etiam cœnobium illud re & nomine opulentum Augiæ Inſulæ (Rychennouw *) in Turgauia ſitum extruxit ac fundauit, eiuſque primum abbatem creauit Pirmirium eremitanum, qui ex Gallia illas in oras anno* DCCXXIIII. *venerat. Magiſtratum itaque illum, id eſt, aulæ præfecturam, ſibi à patre & maioribus ſuis relictum atque commiſſum egregiè adminiſtrauit, qui quidem honor, vt Eginhartus noſter teſtatur, non alijs à populo dari conſueuerat, quàm ijs, qui & claritate generis, & opum amplitudine cæteris antecellerent, quique Reges neceſſitudine aliqua attingerent: Francis præfuit annis* XXVII. *mortuus anno* DCCXLI. *Conſobrinus eius fuit Hildebrandus, ſeu Lambertus. Henrici M. auus fuit Carolus Dux Vendocinus, Par Franciæ, Piccardiæ gubernator: qui Franciſcam Alenconiam Renatis Ducis Alenconij filiam anno* M. D. XIII. *in vxorem duxit, quæ nuptiæ Caſtelloduni fuerunt celebratæ, obijt anno* M. D. XXXVII. *Is præfuit Regio Conſilio, quo res Galliæ adminiſtrabantur, tum quando Franciſcus* I. *Rex captiuus in Hiſpania detinebatur: & eius prudentia et fidelitate Regnum Galliæ fuiſſe tunc conſeruatum, teſtatur Bellaius, qui temporibus illis floruit. Huius Ducis Vendocini ſoror Antonia Borbonia nupſit Claudio Lotharingico, Guiſij & Aumalij Comiti (vnde Guiſij cæteri deſcenderunt) quæ nuptiæ anno* M. D. XIII. *Lutetiæ Pariſiorum fuerunt celebratæ. Hunc ipſum Carolum Borbonium (quod hîc ſilentio præterire non poſſum) Ludouicus* XI. *Rex Galliæ vnà cum Longouillano Prorege Aquitaniæ cum valido exercitu auxilio miſit Ioanni Regi Nauarræ Henrici M. proauo materno: ad eam Regni Nauarreni partem, quam Ferdinandus* V. *Rex Arragoniæ, Pontificiæ excommunicationis prætextu, vi atque iniuria occupauerat, recuperandam. Atque ita mira Dei prouidentia Henrici M. auus paternus, eiuſdem proauo materno Regis Galliarum iuſſu opem auxiliúmque tulit.*

Ex hoc autem aui atque auiæ eius fœlici & auſpicato matrimonio nati ſunt, filij nempe Antonius primogenitus, Henrici M. pater:

Franciſcus Anguiani Comes ſecundogenitus, cuius ductu & auſpicijs memorabilis illa ad Serzollam victoria parta eſt, qui ſine liberis obijt: Carolus tertiogenitus, Cardinalis Borbonius, & Archiepiſcopus Rotomagenſis Henrici M. patruus: Ioannes quintogenitus, & Ludouicus Princeps Condæus, fortiſſimus heros, patriæq́; propugnator, anno M. D. LXIX. XIII. *Martij ad Irnacum fortiter pugnans, primum captus, deinde contra datam fidem occiſus,* IV. *poſt ſe reliquit filios. Hi ſunt Henricus Princeps Condæus primogenitus (qui veneno impiè nefarieque ſublatus eſt è medio, relicto filio poſthumo) Franciſcus Princeps Contiacus, Carolus Cardinalis Vindocinus, & Carolus Sueſſorum Comes: qui* III. *poſteriores nunc omnes fortiſſimè pro Henrici M. ac totius patriæ ſalute pugnant, quibus Deus contra hoſtium ſuorum vim atque inſidias prudentia, & ſimul diuturnam valetudinis vitæque vſuram largiatur. Et hæc de Henrici M. auo, & aui ſimul filijs ac nepotibus.*

Proauus Caroli M. fuit Pipinus Craſſus cognomento, ſic forſan ob corporis habitum dictus, qui etiam Heriſtillius fuis cognominatus. Is Palatij magiſter Theodorici Regis an. Do. CCXIIII. *magiſtratum illum ſummum & quaſi regalem benè, fideliter ſapienterq́; adminiſtrauit. Vxorem eius nonnulli Adelheidam vocant, alij Plutbradam Grimoldi Reguli Boiorum filiam.*

Henrici autem M proauus fuit Franciſcus Comes Vendocinus, qui in matrimonio habuit Mariam Luxemburgiam Ludouici Franciæ Conneſtabilis filiam, vel vt alij volunt, neptim rebus geſtis florentiſſimus.

Abauus Caroli M. fuit Anſegiſus S. Arnolphi filius, Clodouei II. *Regis Francorum Palatij magiſter, præfectus limites Antoripenſis, qui Beggam ſororem Grimoldi ſuperioris, filiam Pipini, ſororem itidem Dinæ Gariodrudæ, vxorem duxit, aulæq́; orientali præfectus & ducatu Brabontino à Rege Francorum donatus fuit. Eius frater fuit S. Ludolphus Dux Moſellanus, cuius vxor fuit Maria Francica.*

Francica. Is tandem in bello cum Venetis fortiter pro patria pugnans occubuit.

Henrici autem M. abauus fuit Ioannes Borbonius Comes Vendocinus, Princeps, virtutum rerumq́; geſtarum gloria florentiſſimus. Fuit enim vnus ex heroum illorum numero, qui ſub Carolo VII. *patriæ protectores, & Anglorum flagella fuerunt appellati. Eripuit ex Anglorum manibus Fronſacum, vxorem habuit Iſabellam de Bellaualle.*

Caroli M. atauus anno Do. XXLI. *fuit S. Arnulphus, nimirum propter vitæ morumque ſanctitatem ſingularem ſic dictus, vt etiam Ludouicus* XI. *Dux fuit Moſellanus, Lotharij* II. *Regis Francorum aulæ magiſter, communis ſtipes, vt iuriſconſulti loquuntur, ſiue Genarcha Carolingiorum & Capetiorum, vt S. Ludouicus communis eſt Valeſiorum & Borboniorum ſtipes. S. Arnolphi vxor fuit Doda Saxonica ſoror Itta. Tandem depoſito munere politico, eccleſiaſticum vitæ genus amplexus, factus eſt Mediomatricum ſeu Metenſium Epiſcopus.*

Henrici autem M. atauus non minoris gloriæ atque laudis fuit Ludouicus Borbonius, Comes Vendocinus, qui ſupremus fuit Franciæ magiſter, quem veteres aulæ præfectum, & Comitem Palatinum vocabant. Is cum fuiſſet gubernator prouinciæ Syluanectenſis, interfuit ſanguinolentæ illi pugnæ Azincurtianæ anno M.CCCCXV. *Imperante Carolo* VI. *in qua vnà cum alijs Principibus captus fuit ab Anglis. Deinde egregiam fortemq́; operam Carolo* VI. *contra Anglos & Burgundos nauauit anno* M.CCCCXXVIII. *Comitatus enim eſt Ioannam illam Aræam virginem Lotharingam, & pro ſua virili patriam tutatus eſt. Anglos inde maximis laboribus atque periculis conatus eijcere. Vxor eius fuit Ioanna Lauallenſis, ipſe obijt anno* M.CCCCXLVI.

Porrò S. Arnolpho (qui Caroli Magni atauus, & communis Carolinorum & Capetiorum, vt S. Ludouicus Valeſiorum & Borboniorum ſtipes fuit atque genarcha) Auentinus hiſtoricus ſubiun-

git in linea aſcendente Arnulphum Caroli M. tritauum, Aſopertum tritaui patrem, Hugobertum tritaui auum, denique Vtilonem Boiorum Regulum tritaui eius proauum. Atque ita Caroli Magni genus ille deducit à Bauariæ Principibus, ita vt Vtilo Theodonis M. Reguli Boiorum frater, limiti inferioris Germaniæ inter Scaldim, Moſam, Rhenamque fluuios & Oceanum aduerſus Danorum vim & impetus à Theodorico I. Rege Francorum præfectus, & Satrapa Antorſtenſis appellatus, ſecundum illius hiſtoriam, ex Theodorici Franci filia Hugobertum, Hugobertus Aſopertum, Aſopertus ex Plutylda filia Lotharij Regis Francorum Arnulphum, Arnulphus eiuſdem nominis Arnulphum Sanctum ſeu Diuum cognomine, (qui relicta Rep. Mediomatricum Epiſcopus creatus eſt) S. Arnulphus Anſegiſum, Anſegiſus ex Begga filia Pipini Superioris, Pipinum inferiorem Craſſum cognomine, Pipinus Craſſus Carolum Martellum, Carolus Martellus Pipinum Breuem, Pipinus denique Breuis Carolum M. genuerit. Hodie quoque Dei beneficio, reperiuntur aliquot Caroli Martelli, hoc eſt, heroicæ virtutis principes, qui in tyrannis quibuſuis cùm externis tùm internis Galliam opprimere & in ſuam poteſtatem redigere conantibus, domandis, fidelem & fælicem Regi patriæque ſuæ operam nauant. Verùm de hac Caroli M. genealogia, quam à Boiariæ Principibus deducit, Auentinus ſe dubitare confitetur, & idcirco illam lectoris iudicio relinquit. Alij verò genealogiarum Francicarum ſtudioſi ac periti, Carolum M. non Bauarum, ſed Francum genere atque familia fuiſſe contendunt atque probant, & idcirco S. Arnulphi, qui Caroli M. atauus fuit, genus ad Francorum Reges referunt, quemadmodum ex tabulis genealogicis Regum Franciæ apparet. In illis enim S. Arnolphus communis ſtipes Carolinorum & Capetiorum in recta linea deſcendente maſculina, à Dagoberto eſt duodecimus, à Pharamundo ſeptimus hoc ordine, qui ſequitur. Nam poſt S. Arnulphum in linea aſcendente, ponitur Arnoldus, poſt Arnoldum Ansbertus, poſt Ansbertum Albertus, poſt Albertum Albericus, poſt Albericum Clodius Comatus, poſt

à Car-

Clodium Comatum Pharamundus, poſt Pharamundum Marcomius Magnus, poſt Marcomium M. Clodius, poſt Clodium Dagobertus, poſt Dagobertum Genobaldus, poſt Genobaldum Dagobertus I.

Quod ad Henricum M. attinet, illius, vt ex hiſtorijs liquidiſſimè conſtat, tritauus fuit Ioannes Borbonius, Marchiæ Comes. Tritaui pater fuit Iacobus Borbonius, Marchiæ Comes, Ludouici Ducis Borbonij filius minor natu, Franciæ equitũ magiſter, qui vnà cum Petro Borbonio Duce in nobili illo prælio Pictauienſi anno M.CCCCLVI. *(in quo Ioannes Rex cum fratre Philippo captus eſt) pro patria fortiter pugnans occubuit. Tritaui auus fuit Ludouicus primus Dux Borbonius, Par & Camerarius Franciæ, Magnus cognominatus. Tritaui proauus Henrici M. Robertus Franciſcus Comes Claremontij & Charleſij, Ludouici S. ex Margarita filia Comitis Prouinciæ Reimundi filius, genarcha lineæ & ſtirpis Borboniæ, vt frater eius Philippus* III. *Audax cognomine, maior natu ſtirpis & familiæ Valeſiæ. Tritaui atauus Ludouicus* XI. *Sanctus cognomine. Tritaui tritauus Ludouicus Rex, Ludouici Sancti pater, &c.*

Vt igitur Caroli M. genus (ſiue illud à Boiariæ Principibus, ſiue, quod doctiſſimis quibuſque & rerum Francicarum peritiſſimis magis placet, à Merouæis & Francis deducatur) eſt antiquum clarum, nobile, planeque Regium: ita Henrici Magni genus cùm paternum, tùm etiam maternum vetus eſt, clarum & illuſtre. Nam vtrumque verè Regium, Regum Franciæ antiquiſſimum & primorum propago, à Carolo M. imò ab ipſo Merouæo, ſiue Pharamundo primis illis Franciæ Regibus ortum & deriuatum. Vna eſt enim Regum omnium Franciæ communis gens & quaſi arbor, ſed gentis & arboris huius tres ſunt familiæ & quaſi rami, qui tamen omnes ſunt gentiles, agnati, ſyngenei, vnius eiuſdemque gentis, originis & quaſi radicis maſculinæ ab vno eodemque ſtipite deſcendentes. Sic igitur & Claudius Capillatus, ſiue Comatus, ſiue Merouæus communis eſt, vt iuris conſulti loquuntur, ſtipes & genarcha Merouæorum, Ca-

E

rolinorum & Capetiorum, S. Arnolphus communis eſt ſtipes & genarcha Carolinorum & Capetiorum, denique Hugo Capetus aut eo propior S. Ludouicus communis eſt ſtipes Valeſiorũ et Borboniorum. Atque hæc quidem ipſa Henrici M. familia atque genealogia vetuſta, clara, illuſtris, Regalis, à non paucis antiquitatum hiſtoriarumque Gallicarum, ſeu Francicarum indagatoribus diligentiſſimis accuratè vereque deſcripta, eius in hoc Regno Francico, ſeu Gallico, (rumpantur vt ilia omnibus eius hoſtibus, maleuolis ac inuidis) hæreditariæ, iuſtæ legitimaꝗ́ ſucceſſionis firma eſt ſolidaꝗ́ demonſtratio.

*Nunc vt ad locum tempusꝗ́ verumꝗ́ natale veniamus, natus & in hanc lucem editus eſt Carolus M. (ſicut fama conſtantiſſima, & antiquis, more patrio, celebratur carminibus, teſte Auentino) in ea arce, quæ inde Carolobergomum, hoc eſt Caroli mons (Carsburg) dicitur: quæ arx eſt ſuperioris Boiariæ, ſupra Monachiam (*München*) quindecim millia paſſuum, propter Verrem Vindelicorum lacum (*würmſee*) maximum, vbi eiuſdem nominis fluuius effunditur. Eſt autem tota illa Boiariæ ſuperioris regio amœniſſima, venationibus, aucupijs & piſcationibus fœliciſſima, quæ omnis generis piſces alit lautiſſimos ac nobiliſſimos. Eius incolæ etiamnum hodie Regiam ſuperiorem veluti in cunabula tanti Imperatoris monſtrare ac tantùm non venerari conſueuerunt. Quidam tamen Angilæmis (Ingelheim) non procul à Moguntiaco illum natum eſſe volunt, nonnulli etiam in Brabantia, decepti nominum affinitate, nam Carolomannos ibi natos eſſe & regnaſſe conſtat inter authores. Vt igitur olim, teſte Cic. in Oratione pro Archia poëta, Homerum Colophonij ciuem dicebant eſſe ſuum, Chij ſuũ vendicabant, Salaminij repetebant: Smirnæi verò ſuum eſſe confirmabant (vnde etiam delubrum eius in oppido dedicauerant) atq; etiam permulti alij pugnabant inter ſe ac contendebant: ſic Germani de natali tanti Imperatoris loco pugnant inter ſe atque contendunt.*

Henricus autẽ M. natus & ipſe eſt in arce, Pau dicta, ampliſſima et munitiſſima Bearnia regionis amœniſſimæ, in qua eſt Parlamentũ.

Natus

Natus ergò eſt vterq; in arce in loco edito & excelſo, qui excelſæ & ſublimis vtriuſq; dignitatis ac maieſtatis, Regiæ nimirũ et Imperatoriæ mihi videtur fuiſſe præſagium.

Quoad tempus natus eſt Carolus Magnus anno ab orbe ſeruato DCCXLI. *quo tempore Pipinus pater eius grauiſsimum cum Vtilone Boiorum Regulo bellum gerebat, quo etiam tandem ante Auguſtæ Rhetorum mœnia victo, Boiaria potitus eſt.*

Henricum verò Magnum enixa eſt, mater ſua fœliciter & auſpicatè anno à Chriſti in his terris ortu ſalutifero, M.D.LIII. *quo anno grauiſsimum inter Henricum* II. *Regem, eius ſocerum, & Carolum* V. *Imp. bellum geſtum eſt: quo etiam anno orbis Chriſtiani ſpes maxima, Eduardus* VI. *Anglorum Rex extinctus eſt, cuius in demortui locum Deus mox Henricum hunc M. naſci voluit.*

Natus ergò eſt vterq; inter tubas turbaſque bellicas, inter horrentia Martis arma, quod ipſum fœlix, fauſtumq; vtriuſq; bellicæ fortunæ, fœlicitatis atq; virtutis augurium videtur fuiſſe.

Nomen etiam quod (vt hoc quoque addam) vtrique ſacroſancto lauacro fuit impoſitum, Caroli nimirum & Henrici, vtriuſq;, meo iudicio, futuræ virtutis, fortitudinis, fœlicitatis ſingularis omen fuit atque ſymbolum. Et hæc de natiuitate.

Educatus fuit Carolus M. Ingelheimij (vnde Ingelheimenſis vulgò fuit exiſtimatus) optimè & inſtitutus cùm in pietate & religione Chriſtiana, tum linguis, & artibus liberalibus. Artium autem ac diſciplinarum cùm ſacrarum et diuinarum, tum prophanarum et humanarum doctoribus ac præceptoribus vſus eſt viris ſua ætate doctiſſimis. Hi fuerunt Petrus Piſanus diaconus, quem ſenem audiuit in Grammaticis, et in literis Græcis et Latinis: Albinus cognomento Alcuinus (Alconiam vocant) Anglus Bedæ diſcipulus, qui primus cum Ioanne Claudio bonas literas in Academia Pariſieñ. docuit, multas præclaras lucubrationes conſcripſit, quarum quædam Carolo M. aſcribuntur, vt liber ille contra cultum imaginũ, item diaconus ex Britannia, Saxonici generis homo & vir longè doctiſsimus, quibus omnibus Rhe

torice, Dialectice, Arithmetice, Aſtronomiæ, Coſmographiæ, et Muſicæ, ac in primis Chriſtianæ doctrinæ atque religionis, plurimã nauauit operæ. Artes liberales ſtudioſiſſimè coluit, earumque doctores veneratus eſt plurimùm, & maximis affecit honoribus. Poëticæ quoque fuit ſtudioſus, vt teſtantur verſus illi in honorem Rholandi ſororis filij ab eo conſcripti.

Tu patriam repetis triſti nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lachrymoſa dies.
Sed qui luſtra geris octo & binos ſuper annos,
Ereptus terris, iuſtus ad aſtra redis.

Singulari ergo Dei beneficio in illa tempeſtate, in illa inquã temporum intemperie atq; barbarie, cũ ſumma eſſet literarũ et literatorũ inopia, nactus eſt diuinarũ, humanarumq; literarũ doctores doctiſſimos, quorũ opera incredibiles in illis breui progreſſus fecit. Norat ille literas optimas eſſe vitæ probè inſtituendæ & degendæ, Reipub. benè ſapienterque gubernandæ, omnium denique virtutum, officiorum conſiliorumque ſaluberrimorum magiſtras, adiutrices & adminiſtras fideliſſimas, quæ citra adulationem & ſimulationem liberrimè cum quibuſuis loquuntur, eos docent & erudiunt, & idcircò plurimum illis operæ, ſtudij, laboris atque temporis impendit. Hæc ſtudia, vt ſcitè Orator, Philoſophus & conſul ille Romanus dixit, adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium ac ſolatium præbent (vnde λιμὴν ἀτυχίας, id eſt, portus fortunæ aduerſæ à quodam fuerunt dictæ) delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Hinc Alexander ille Magnus. Homeri iliada rei militaris viaticum appellare, & noctu ſub ceruicalibus habere eſt ſolitus. Hinc Ariſtoteles rogatus quid eſſet eruditio, in proſperis, reſpondit, ornamentum, in aduerſis ſolatium. Norat Carolus M. maximos & potentiſſimos quoſque Principes, Reges, Imperatores, monarchas philoſophiæ, &, quarum illa eſt quaſi parens quædam atq; procreatrix, artium diſciplinarumq; liberaliũ ſtudioſiſſimos ac peritiſſimos fuiſſe, quorũ nomina et exempla commemo-

memorare longũ nimis eſſet et operoſum. Contrà igitur deteſtanda eſt illorum barbaries & inſcitia, qui Reges ac Principes ab harum artium cognitione exiſtimant alienos eſſe debere, ac quibus Gordiani illud dictum nimis arridet, Imperatorem & milites arma, non literas ſcire debere. Contrà rectè magnus ille Aragonum Rex, cùm audiſſet quendam affirmantem, non decere Principem literas, fertur exclamaſſe: Eam vocem bouis eſſe, non hominis. Verius quis illam aſini potius rudentis, quàm hominis ratione vtentis, vocem eſſe dixerit. Idem Rex plus ſe literis, quàm armis promouiſſe fatebatur. Sic Diogenes potentem & opulentum hominem, qui rudis & illiteratus eſſet, χρυσόμηλον, id eſt, pecudem aureis velleribus ornatam, Socrates autem mancipium aureum appellare eſt ſolitus. Eruditio quàm Principi & Reipub. moderatori ſit vtilis, imò neceſſaria, Plutarchus peculiari libro demonſtrauit. Vegetius quoque in libro ſuo de re militari, neminem, dixit, plura & meliora ſcire debere, quàm Principẽ, cuius doctrina non ipſi tantùm, ſed omnibus eius imperio ſubiectis profit plurimũ.

In hoc fui aliquantò longior, propter peruerſam quorundam opinionem, qui literas & artes diſciplinasq́ liberales Regibus, Principibus ac magiſtratibus non vſui & ornamento, ſed dedecori potius, damno & impedimento ad Rempub benè gubernandam, resq́ fœliciter gerendas eſſe ſibi perſuadent, & alijs conantur perſuadere.

Veniamus nunc ad Henrici M. educationem ac inſtitutionem. Ea fuit honeſta, liberalis, ſancta, religioſa valdeq́ laudabilis, ex qua nunc maximi fructus atque commoda non ſolùm in ipſum, ſed in totum Regnum Gallicum redundant. Nam cùm ipſius matris ſuæ glorioſiſſimæ fœminæ, tùm piorum & doctorum quorundam virorum opera, conſilio, ſtudio & labore in ſacris & diuinis potiſſimùm literis, in quibus vera, ſolida & ſalutaris doctrina atq; eruditio continetur, quæq́ tùm ad vitam hanc fragilem & caducam piè, ſanctè, iuſtè & honeſtè tranſigendam, tùm ad æternam adipiſcendam ſunt vtiliſſimæ, egregiè fuit inſtitutus, religione ac moribus bonis probè imbutus. Quantum verò ad linguas, & literas prophanas, humanas ac libera-

les attinet, quoniam non ſatis habuit temporis, & otij ad illas colendas ac percipiendas, minimè quidem earum tantam, quanta in Carolo Magno fuit, habet notitiam, & tamen earum non eſt rudis planè & ignarus, linguam, præter vernaculam tenet atque callet Latinam, Italicam & Hiſpanicam, &, vt Carolus Magnus mathematum, vt Aſtronomiæ, Arithmeticæ, ita Henricus M. Opticæ (quam perſpectiuam vulgò vocant, cuius in re militari maximus eſt vſus) magnam dicitur habere notitiam, literarum præterea & literatorum hominum, Caroli Magni exemplo & imitatione, maximo flagrat amore, quod vel indè apparet, quòd viros doctos ac eruditos vehementer amat, ornat, honorat, magnoq́ habet in precio, illorum familiaritate & conſuetudine plurimùm delectatur, deinde quòd Academias, atque ſcholas literarum ſtudiorumq́ nutrices, non modò ſartas tectas tueri ac conſeruare, verùm etiam augere & amplificare ſtudet, de quo infrà pluribus. Quod autem Carolo Magno doctrina & eruditione longè eſt inferior, id cauſæ eſt, quòd, vt paulò antè attigi, in iſto belli inteſtini incendio & ardore ex ipſis incunabulis, ex vmbraculo & otio, non modò in ſolem atque puluerem, ſed in ipſum diſcrimen aciemq́ue fuit productus, ac quaſi protractus, ita vt tota illius vita, iuxta illud Iobi, ad hunc vſque diem verè quaſi continua quædam militia fuerit. Et hæc ſatis ſunt dicta de vtriuſq; educatione.

Educationem autem naturali ordine ſequitur vitæ conditio & inſtitutum ſiue munus, & quaſi Sparta, quam quiſque nactus eſt, & quæ cuiq; Dei conſilio ac voluntate obtigit.

Nunc igitur videamus primò, quomodo Carolus Magnus ad Regium hoc munus ac dignitatē peruenerit. Defuncto nanq; Pipino patre ad Carolum (qui tunc agebat annum XXV.) & Carolomannum eius filios ſuperſtites, fratres germanos ſucceſſio Regni diuino iure peruenit. Franci ſiquidem facto ſolenniter generali conuentu, ambos ſibi Reges conſtituerunt, ea conditione, vt totum Regni corpus ex æquo partirentur, & Carolus eam partem, quam Pater eorum Pipinus tenuerat, Carolomannus verò eam, cui patruus eorum Carolo-

mannus

mannus præfuerat, regendi gratia ſuſciperet. Hac autem Regni partitione inter fratres facta, res ſtatim & experientia ipſa docuit, quàm difficilè quamque periculoſum ſit Regni conſortium, & quàm difficilè ſit duos, vt vna in domo gallos gallinaceos iuxta dictum vernaculum & tritum, ſic vno in Regno & Imperio eſſe Reges & Imperatores. Vnde rectè Homerus, ὐκ ἀγαθὴ πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔςω: Et Ennius:

Nulla ſancta ſocietas nec fides Regni eſt.

Nam Carolomannus partim ſua ſponte prauis affectibus, nimirum inuidiæ & liuoris ſtimulis incitatus, partim adulatorum & aſſentatorum quorundam verbis (qui fratres inter ſeſe committere conabantur) quaſi facibus inflammatus, non quidem apertas, ſed occultas cum fratre ſuo ſimultates & inimicitias exercebat: ita vt non ea, qua par fuerat, fide, ſicuti promiſerat, opem ei atque auxilium in primo, quod à Carolo M. ſuſceptum geſtumq́; fuerat, bello Aquitanico tulerit.

Dubium etiam non eſt, quin vxor quoq; Carolomanni frigidam ſuffuderit, & igni huic ſiue Camino ignem & oleum addiderit, hoc eſt, illum aduerſus Carolum fratrem ſuum ira & odio magis ac magis inflammarit, cuius quidem rei non leuis eſt, meo quidem iudicio, hæc coniectura, quòd mulier illa ſtatim poſt mariti ſui obitum vnà cum liberis, & improbis nonnullis proceribus, qui hoc ei ſuaſerant, ad Deſyderium Regem Longobardorum, qui grauiſſimus infeſtiſſimusq́; Francorum & Gallorum hoſtis fuerat, ſpreto contemptoq́; Carolo M. mariti ſui fratre, transfugit, eiuſq́; ſeſe patrocinio ſubiecit, quæ quidem grauis funeſtaq́;, quod paulò poſt ſecutum fuit, belli Longobardici occaſio atque cauſa extitit. Hîc verò admiranda profectò eluxit Caroli Magni animi moderatio, lenitas, manſuetudo, patientia, fides deniq; & charitas erga fratrem conſtantiſſima, qua illius odium, inuidiam, ſimultates, ita tulit ac tolerauit, vt ne ad iracundiam quidem, nedum ad odium aut ſimultatem, aut ad vindictam incitari ſe paſſus ſit.

Nunc videamus, quæ hac quoq; in parte ſimilia in Henrico M. occurrant animaduerſione digna.

Primò igitur omnium, vt Carolus M nutu diuino (vt verè pieq; Eginhartus loquitur, vnde etiam Conſtantinus M. dicere ſolitus eſt, Imperium fato dari, cui verò datum fuerit, ei dandam eſſe operam, vt imperio dignus eſſe videatur) iure & diuino & humano, iure hæreditario, iure ſucceßionis accedente, conſenſu populi ac procerum, ad Regnum hoc vnà cum fratre ſuo peruenit: ita Henricus M. ſingulari Dei conſilio atque prouidentia, recta regiaq; via, hoc eſt, lege & conſuetudine Regni Francici perpetua, iure naturali, hæreditario, ſucceßiuo, ad eandem hanc regiam dignitatem peruenit, ſucceßionem hanc eius approbantibus Regni proceribus, ac omnibus ijs, qui non natione tantùm, ſed etiam animo & reipſa, non fucati & falſi, ſed veri & germani ſunt Franci, hoc eſt, Francici ſeu Gallici patrijq; iuris, legis, conſuetudinis, æquitatis, iuſtitiæ ac libertatis amantes & ſtudioſi.

Deinde vt Carolus M. aliquandiu, nempe per biennium ferè, Regnum hoc Francicum cum Carolomanno fratre ſuo communi conſilio atque opera adminiſtrauit: ita Henricus III. paulò ante ſuum obitum Henricum hunc IIII. & Magnum, in Regni Gallici ſeu Francici quaſi ſocietatem adſciuit, illius conſilio atque opera mutua in eius adminiſtratione vti voluit, ac diutius quidem indubiè vſus fuiſſet, ſi diuturniorem ei Deus vitæ huius vſuram conceßiſſet.

Tùm vt Carolomanno fratre defuncto Carolus M. ex aſſe Regnum hoc Francicum iure diuino & humano, ac Francorum procerum conſenſu adeptus eſt: ita Henricus M. poſt Henrici III. obitum (quem ille fratris, imò patris ac domini loco habuerat, atq; coluerat) ipſo Regni iure perpetuo & inuiolabili ad Regnum hoc præter omnem ferè ſpem & expectationem peruenit, accedente ſimul voluntate, conſenſu & ſuffragio cùm Regis defuncti, quam paulò ante mortem manifeſtißimè declarauerat, cùm procerum & optimatum Regni, ducum, principum, militum, cunctorum deniq; eorum, qui verè Franci,

Franci, hoc eſt, patriæ ſuæ amatores ſunt cenſendi & appellandi. Non ergò aut per cuniculos, per fraudes ac per inſidias ad Regium hoc munus obrepſit, non per vim ei ſeſe intruſit, ſed recta, Regia, iuſta legitimaq́; via atque ratione ad illud, ſingulari Dei voluntate & arbitrio, fuit euectus.

Porrò vt ab initio inter Carolomannum & Carolum Magnum, fratres germanos maligni malitioſiq́; quidam adulatores (quos aulæ peſtes, vitæ morumq́; adulteratores & corruptores veriſsimè dixeris) inimicitiarum & ſimultatum ſemina ſpargere, & veluti flabella quædam diabolica illum odii & inuidiæ ignem (quem extinguere vel ſopire debuerant) fodere, nutrire, ac magis magisq́; inflammare ſtuduerunt: ita non defuerunt, nec adhuc deſunt callidi, verſuti & aſtuti quidam homines, qui Henricum M. cum Regē defuncto Henrico III. agnato & affine ſuo, cum Carolo Cardinale Borbonio patruo ſuo (quem etiā captiuū, ſeptuagenariū, cōtra ius Regni, cōtra ius diuinum & humanum, contra illius ipſius voluntatem, Regem deſignare ac conſtituere voluerunt) cum alijs quoq; cognatis, propinquis & conſanguineis ſuis, cum ipſis deniq; ſubditis ſuis ſummæ, mediæ, infimæ, politicæ & Eccleſiaſticæ ſortis atq; fortunæ hominibus (quos ille patrum, fratrum & filiorum loco habet, colit, amat, fouet, tuetur) inteſtinis peſtiferisq́; bellū committere, & ſuſpicionum, odiorum, ſimultatum ſcintillas, conuitijs atq; calumnijs ſuis, ſpecioſiſsimo religionis, iuſtitiæ, charitatis erga patriam & Eccleſiam prætextu, ſpargere conati ſunt, & adhuc conantur, vnde bellum inter eos inteſtinum excitetur. Sed Dei beneficio, irriti, caſsi & vani adhuc fuerunt impij nefarijq́; iſtorum hominum conatus, & Deus illorum concordiam ſartam tectam adhuc cōſeruauit, & in poſterū quoq;, vti ſperamus, conſeruabit.

Quemadmodum poſtremò Carolus M. incredibili & conſtanti ſua lenitate, manſuetudine atq; patientia vicit hæc mala atq; ſuperauit, ijsq́; medicinam adhibuit ſalutarem: ſic Henricus M. ijſdem virtutibus ceu medicamentis efficaciſsimis & ſaluberrimis, nimirum admirabili ſua cùm ſapientia atq; prudentia, tùm bonitate, manſuetudi-

F

BIBL. NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ne, moderatione vulnera iſta adhuc curauit, nec ſeſe vllo pacto ad iram, ad odium, ad ſimultates prouocari paſſus eſt.

Et hæc de vtriuſque vocatione, id eſt, ratione atque via, qua vterque ad Regale hoc munus peruenit.

Nunc cōſequens eſt, vt videamus, quomodo vterq; ſuſceptis Regni Francici habenis, ſeſe geſſerit, & prouinciā hanc ſuam, quæ ei diuina ſorte atq; prouidentia obtigit, adminiſtrarit. Amplißimus hîc ſeſe offert dicendi cāpus, amplißima copioſißimaq́; materia, quæ vel eloquentißimū quenq;, nedū me penè infantem & inopem à dicendi facultate obruere poßit. Verùm breuitati ſimul & veritati ſtudebo, & quoad eius fieri poterit, Deo iuuante, dicam breuius, quàm res tanta dici poſſit. Dicendū verò hîc nobis de vtriuſq; partim virtutibus, partim actionibus rebusq́; geſtis. Virtutes autem aliæ ſunt, intellectus, aliæ cordis & affectus, quarum non opus eſt, vt hîc catalogum ſubtexam, qui in promptu eſt omnibus. Mentis ſeu intellectus virtutes ſunt, ingenium, iudiciū, memoria, ſolertia, ſagacitas, ſapientia, prudentia, rerum diuinarū humanarumq́; ſcientia atq; cognitio, & alia id generis. Cordis & affectus virtutes, dotesq́; diuinæ ſunt, fides, ſpes, charitas patientia, fortitudo, temperantia, continentia, & aliæ id generis. Quod ad actiones attinet, dubium non eſt, quin illæ virtutum partim ſint parentes, procreatrices & nutrices (nam habitus animi actionibus comparantur, conſeruantur & augentur) partim ſunt filiæ, fœtus atq; fructus (nam ex virtutibus actiones proueniunt) partim deniq; ſunt teſtes, indices, ſpecula atq; ſimulacbra. Quamobrem de actionibus dicendo, ſimul dicetur de virtutibus, quæ in actionibus externis apparent & elucent. Actiones autem & res geſtæ vel ſunt publicæ, vel priuatæ & domeſticæ. Publicæ rurſus vel ſunt religioſæ & Eccleſiaſticæ, quæ ad religionē cultumq́; diuinū pertinent (ſub quibus ſcholaſticæ poſſunt comprehendi) vel ſunt prophanæ, politicæ & ciuiles, eæq́; vel pacis, vel belli. Nos verò Eginharti ſequentes methodum, quam etiam à Suetonio in deſcribenda Imperatorū quorundam Ro. vita adhibitam fuiſſe video, primò quidē de vtriuſq; vita & actionibus publicis, deinde priuatis & domeſticis dicemus.

Et ſi.

Etſi verò, quod ad actiones publicas attinet, non ſum neſcius & res actionesq́; diuinas, ſiue ſacras & Eccleſiaſticas, quæ ad religionem pertinēt, longè præſtare prophanis ac politicis, & inter politicas eas, quæ ſunt pacis, præferri meritò ac anteponi bellicis ac militaribus (qua de re præclarè Cic. in aureo illo ſuo Offic. lib. diſſerit) tamen à bellicis & militaribus, ſecundū Eginharti noſtri ordinē, potiſsimùm exordiar, à quibus vterq; , id nimirū poſtulante temporū eorum, in quibus verſati ſunt, intemperie ac neceſsitate, Regni adminiſtrationem exorſus eſt. Vtrūq; enim ſtatim poſt Regni ſuſceptionem bella grauia exceperunt.

Primū aūt bellū, quod Carolus M ſuſcepit (hæc enim prima fuerunt Regni eius quaſi rudimenta ac tyrocinia) fuit bellū Aquitanicū, quod à patre ſuo Pipino inchoatū & affectū, mira celeritate fœlicitateq́; confecit. Nā Hunoldū, ſiue, vt alij eū vocāt, Humoldū (qui poſt Vaifarij mortē Aquitaniā occuparat) prouinciā illam relinquere & Vaſconiam petere coegit. Nec eo cōtentus, transmiſſo celeriter amne Garumna (qui nobilis fluuius ex montibus Pyrenæis erumpens, Vaſconiā ab Aquitania diuidit) hoſtē inſecutus, Lupū Vaſconū Ducem, ad quē Hunoldus cōfugerat, cùm ipſum Hunoldū tradere, tùm ſe, vxorē, liberos totāq; Vaſconiā eius imperio poteſtatiq́; ſubijcere compulit. In hoc ipſo aūt bello Carolomanni fratris ſui fidem, minimè fraternam, primò expertus eſt, qui, cùm ei ab initio auxilia, ad hoc bellū gerendū, promiſiſſet, promiſsis ſuis nō ſtetit, illumq́; ope & auxilio ſuo deſtitui paſſus eſt. At ille nihilominus, diuina fretus ope & auxilio, bellum illud ſuſceptū, celeriter fœliciterq́; confecit, & totam Aquitaniam in ſuam poteſtatem redegit, & cum victore exercitu in Germaniam redijt. Huic prouinciæ poſtea præfecit Ludouicum filium & ſucceſſorem ſuum, qui ei ad patris vſque obitum præfuit.

Hîc antequam vlterius progrediar, admirari ſatis non poſſum ſingularem Dei prouidentiam in hac ipſa prouincia. Nam quemadmodum multis ante ſeculis, & Caroli M. pater Pipinus, & eius auus Carolus Martellus, & ipſe Carolus M. vt omnes hiſtorici teſtantur, maximam & fideliſsimam in hac potiſsimùm prouincia, Aquitanica

nimirum & Vaſconia, aduerſus tyrannorum domeſticorum, & Sarracenorum ex Hiſpania in illam aſsiduè erumpentium vim & impetum tuenda & pacanda, operam nauauit, eidemq́, prouinciæ pacatæ, Ludouicus Pius Caroli M. filius, hæres atq; ſucceſſor ad patris vſq; mortem præfuit: ita noſtra ætate atq; temporibus & parentes Henrici M. (vt ſuprà quoq; dictum eſt de patre, qui abdicata Piccardiæ prouincia, Aquitanicæ & Vaſconicæ præfecturam ſuſcepit) & ipſemet ab ineunte ætate in hac potiſsimùm prouincia tutanda ac defendenda operæ ſtudijq́; plurimum poſuit. Quis neſcit, niſi rerum Gallicarum omnium inſcius, Henricum M. Aquitanica & Vaſconica illa gente fortiſsima & bellicoſiſsima adhuc vſum eſſe pacata, amica, fida, quæ maxima ex parte illum ceu naturalem, iuſtum legitimumq́; Regem, Dominum, patrem & patronũ ſuũ amat, obſeruat, colit, ei obtemperat, eum aduerſus quamuis cùm externã, tùm internã, Hiſpanorum præſertim (qui vt olim, ita hodie quoq; regionem iſtã aſsiduis infeſtisq́; ſuis incurſionibus infeſtant) vim iniquam & iniuſtã cũ vitæ fortunarumq́; ſuarũ omniũ diſcrimine, fortiſsimè fideliſsimeq́; tuetur ac defendit: & ille viciſsim Caroli M. aliorũq́; maiorũ ſuorũ exemplo ac imitatione prouinciæ illi atq; genti fidem, fauorem opemq́; ſuam ſingularem. præſtare non deſinit.

Secundum bellum, in quo Caroli M. virtus refulſit, fuit bellum Longobardicum ſeu Italicum. Nam vt pater eius Pipinus, Stephano II. Papa Ro. ſupplicante, bellum illud aduerſus Haiſtolfum Longobardorum Regem, ita, patrem imitatus, Carolus M. Hadriani Epiſcopi Ro. precibus adductus & impulſus idem bellum aduerſus Deſyderium vltimũ, & quidem opulentiſsimũ, potentiſsimumq́; Longobardorum Regem Italiam deuaſtantem horrendum in modum ac depopulantem ſuſcepit, & ſuperatis maximo cũ labore, difficultatibus atque periculis, inuijs & aſperis alpiũ (quâ Annibalem quoq; olim tranſiuiſſe volunt) iugis, illũ tandem victũ ac deditionẽ facientẽ perpetuo exilio mulctauit, & Leodiũ relegauit, vbi miſer vitã finijt: filiũ verò eius Adalgiſ. ex Italia eiecit. R dogauſum ſimiliter Foroiuliani ducatus præ-

tus præfectũ res nouas molientem oppreſsit: Italiam diuturna Longobardorum tyrannide & barbarie immani liberatam poteſtati ſuæ ſubiecit, ei filium Pipinum Regem propoſuit, res à Longobardorum Regibus ereptas Hadriano Eccleſiæ Ro. rectori reſtituit.

Vt igitur Carolus M. Italiam Longobardorum tyrannide liberauit, ita Henricus M. patriam ſuam & vniuerſam Rempub. Chriſtianam quorumuis tyrannorum vi, iniurijs & tyrannide liberare, & in libertatem vindicare magnopere cupit, idq́ omni virium & opum ſuarum contentione conatur.

Carolus M. in expeditione illa Longobardica ſeu Italica Geneuam primùm menſe Maio peruenit, vbi de belli illius gerendi ratione fuit conſultatum, inde ſumma adbibita celeritate (quæ optimum eſt res quaſuis fœliciter conficiendi adminiculum) copias in duo agmina diuiſas per Cottias ſiue Coctias illas alpes, atque anguſtias in Italiam traduxit. Vt igitur Geneua olim Carolo M. maximo fuit vſui ad bellum illud Longobardicum gerendum, tranſitum illi & eius copijs tutum & ſecurum præbuit, ibi copiæ militares ex omnibus partibus fuerunt collectæ, ibi conſilia de belli gerendi ratione inita fuerunt optima: ita hodie quoque eadem illa ciuitate (quæ totius Heluetiæ clauſtrum eſt, vallum ac propugnaculum validiſsimum) Henricus M. belli ſocia, adiutrice & opitulatrice fortiſsima, fideliſsima, conſtantiſsimaq́ vtitur. Horum autem laborũ ſuorum in belli illius Longobardici confectione præmia Romæ ampliſsima eſt conſecutus. Nam ab Imperatore, Pontifice, Senatu populoq́ Ro. lege lata, Conſul, Tribunus, Dictator perpetuus, patritiusq́ (quæ nomina atque tituli pleni habebantur dignitatis atque honoris) fuit appellatus.

Tituli hi non minus Henrico M. conueniunt, qui & conſul eſt, patriæ ſuæ atque Reipub. Chriſtianæ optimè conſulens, & Tribunus, id eſt, publicæ libertatis aſſertor ac patronus, & Dictator perpetuus, cuius dictis & iuſsis meritò omnes parere decet, qui ſummam poſt Deum ſecundum iura diuina & humana in ſuos poteſtatem habet vitæ & necis, & denique Patritius, ex patribus nobiliſsimis & genero-

ſiſsimis oriundus. Deinde Hadriani Pontificis Rom. & CCC. patrum conſultum perpetuum (quod in libris Pontificalibus refertur) factum eſt, in verbaq́ Caroli M. iuratum, quod eſt huiuſmodi, vt Auentinus ſcribit. Nullum poſthac fore neq́ Romanum, neque aliorum templorum Antiſtitem, niſi quem Carolus, ſucceſſoresq́ eius ſciuerint et iuſſerint. Refragantes huiuſcemodi patrũ decreto, diris deuoti ſunt, & niſi reſipuerint, adiecta proſcriptio. Defuncto igitur præſule quopiam, ſacerdotes lituum cum annulo ad aulam mittebant, cui ea princeps ſolenni ritu tradebat, is eiuſdẽ fani rector deſignatus erat. Ita obſeruatũ eſſe ſine controuerſia ad Henrici IV. Imperium legimus. Chariſsimi quiq́, ac ampliſsimi viri aduenæ etiam vltrò aulam frequentabant. Iſte dignitatis augendæ, & adipiſcendi ſacerdotij illecti, abſq́ ſtipendio in omnibus principi dicto audientes erant. quemadmodũ noſtro æuo Romæ fieri ſolet. Sub Henrico IV. & Gregorio VII. cum maximo Reipub. Chriſtianæ detrimento, de hoc aucupio armis, non citra ſanguinem decertari cœptum. Imperatores veterem morem, à tot ſanctiſsimis Pontificibus traditum, comprobatumq́ mordicus retinere: Max. Pontifices iã pares opibus Cæſareis in ſe trahere conabantur: nec amplius ferre parem, nedum ſuperiorem, ditati ab Imperatoribus noſtris, & ad id faſtigij perducti, poterant.

Hoc igitur ius (cuius Sigebertus quoque meminit) Pontificem eligendi, & ordinandi Apoſtolicam ſedem, atq́ Epiſcopos & Archiepiſcopos per ſingulas prouincias confirmandi, ita vt niſi à Rege laudetur & inueſtiatur Epiſcopus à nemine conſecretur, Carolo M. & eius poſteris ac ſucceſſoribus ab Adriano Pontifice conſenſu totius Concilij anno DCCIII. datum, Henricus M. cupit innouari et ſanctè inuiolateq́ conſeruari. Sed Pontifices Ro. id ſtatim (poſt Caroli M. obitum) ad ſe rurſus rapuerunt.

Finito porrò bello Longobardico, bellum Saxonicum, quod intermiſſum fuerat, fuit repetitum. Bellum autem hoc Saxonicum præ cæteris quæ ab illo geſta fuerunt, valde fuit dubium atq́ anceps, graue & funeſtum (quo plurimi heroicæ virtutis viri vtrinque fuerunt abſumpti)

ſumpti) fuit etiam diuturnum, nam XXXIII. annorum ſpatio durauit, idque Saxonum illorum antiquorum contumacia atq; perfidia, qui ſæpè deditione facta, datis obſidibus, dataq; fide, imperatis factis, mox quauis data & oblata occaſione, ad ingenium redeuntes, nouam moliti ſunt defectionem atq; rebellionem, bellumq; redintegrarunt. Sed quò maior in hoc bello fuit Saxonum ferocia & immanitas, leuitas, inconſtantia, perfidia, idololatria, tantò magis Caroli M. in bello hoc gerendo & conficiendo ſapientia, fortitudo, conſtantia in rebus tam aduerſis quàm ſecundis, patientia deniq; emicuit, quibus ille diuinis & cœleſtibus armis inſtructus & munitus, tandem bellum illud aliquoties intermiſſum, & redintegratum feliciter, Dei beneficio, confecit, gentemque illam bellicoſam, ferocem, feram & immanem, perfidam, dæmonum cultui et idololatriæ addictam planè ac mancipatam, non tam in ſuam, quàm in Chriſti poteſtatem redegit (decem circiter millibus Saxonum in Galliam traductis, & paſſim per Germaniam diſperſis) hoc eſt, ab idololatria ſeu dæmonolatria, à cæremonijs ſacriſque ſuis patrijs, impijs & impuris ad fidem religionemque Chriſtianam traduxit, qui tandem cum Gallis & Francis quaſi in idem corpus coaluerunt. Id tamen non tàm Caroli Magni armis, prudentiæ, conſilijs atque operæ, quàm diuinæ poteſtati, benignitati miſericordiæque eſt tribuendum, Deo nimirum ceu vero flexanimo. ſaxea illa, immò ſaxis duriora, & immania Saxonum corda emolliente, & ea faciente carnea, hoc eſt, ad cultum non ciuilem ſolùm & humanum, ſed ſacrum & diuinum vnius & veri Dei flectente & commouente, ita vt quibus Carolus Magnus antea vſus fuerat hoſtibus infeſtiſſimis, ijſdem poſtea vſus ſit miniſtris, ſocijs & auxiliatoribus fideliſſimis: Sic hodie quoq; Henricus M. Rex Galliæ & Nauarræ, tùm Dei præcipuè, tùm agnati & anteceſſoris illius ſui Magni beneficio, Germanorũ ac præſertim Saxonũ ceu ſociorũ et amicorũ fideliſſima ope atq; opera vtitur, qui ei aduerſus quoſuis hoſtes ſuos, internos pariter & externos, milite atq; pecunijs et alijs quibuſuis officijs, pro ſua virili, opitulantur. Hinc profectò eſt laudabiliſſima iſta Ger-

maniæ principum, multorum decantata ſcriptis & carminibus expeditio, cuius Dux primarius eſt illuſtriſs. vt re, ita nomine Chriſtianus Princeps Anhaltinus, Regis Chriſtianiſsimi Legatus. Non eſt etiam hîc ſilentio prætereundum, quod Vitekindus ſeu Vitekundus primarius & quidem clariſsimus, multiſq́ virtutibus ornatiſsimus Saxonum ductor, cùm ab initio Caroli M. hoſtis acerbiſsimus extitiſſet & Saxonas aſsiduè ad fidei & iuriſiurandi violationem, ad defectionem et rebellionem ſolicitaſſet, tandem Chriſtianam religionem amplexus, eidem factus eſt amiciſsimus. Nam Theodoricus Saxo Hugonis M. abauus, Hugonis Capeti atauus (qui Comes Andegauenſis, & Caroli M. agnatus fuit) huius ipſius Vitekindi à Carolo M. deuicti, & recens baptizati filiam vxorem duxit, idq́ Caroli M. conſilio, quo nimirum Francica Regiaq́ hac affinitate Dux ille tantò facilius in officio, fide atque amicitia erga Regnum Francicum poſſet contineri. Ab hoc ipſo non deſunt nonnulli, qui cùm Saxoniæ & Aſcaniæ Principes, tùm Capetios ſeu Capeuingos volunt, ſuam duxiſſe originem. Id ſi verum eſſet, quis non crederet ſingulari Dei fieri fato atque conſilio, quòd illuſtriſsimus Dux Saxoniæ et Anhaltini ſeu Aſcaniæ Principes, Henrico M. hodie tanquam propinquo & agnato ſuo opem ferunt?

Hoc ipſo autem durante bello Saxonico Carolus M. alia quoque bella cùm per ſe, tùm per alios aduerſus gentes barbaras geſsit, quæ ipſa quoque paucis iuuat attingere atq́ perſtringere, cùm tamen mihi non ſit animus hiſtoriam conſcribere. Memorabilis eſt Caroli M. expeditio in Hiſpaniam, ſuperato celerrimè Pyrenæi iugo, aduerſus Saracenos & alias gentes barbaras ſuſcepta: ita hodie quoque gens illa Hiſpanica Henrico M. vt olim Carolo M. plurimùm exhibet moleſtiæ atque negotij. Etſi verò proſperè rem geſsit in Hiſpania, gentemq́ illam domuit, & poteſtati ſuæ ſubiecit, tamen in reditu (ita nihil eſt omni ex parte beatum) exercitus eius victor ex Hiſpania cum opimis ſpolijs rediens, Vaſconum quorundam perfidia, in Pirenæis illis meatibus (ſic ab æſtu & ardore dictis) inſignem cladem acceperit,

cepit, vbi & Eghartus Regiæ menſæ præpoſitus, et Anshelmus Comes Palatij, et Rutlandus Britannici litoris præfectus occubuerũt. Hanc conſecuta eſt bellum Brittonicũ, quo gentem illam deuicit, Poſtea expeditionẽ rurſus ſuſcepit in Italiã, bellumq́ Beneuentanis intulit, quorum Dux Aragiſus mox timore perculſus, Rumoldo & Grimoldo filijs ſuis miſsis obſidibus, deditionem fecit. Poſt reditum eius (ita continuus bellis Deus eum exercuit) Boiarium bellum repente præter omnium opinionem Taſsilonis Ducis ſuperbia & confidentia, vxoriśq́ eius, quæ Deſyderij Regis Longobardũm filia fuerat, hortatu, excitatum opinione celerius rurſus finitum fuit. Poſt illud Sclauis, qui ſua lingua Vuelatabi, aliâs Viulſi fuerunt appellati, bellum à Carolo M. fuit illatum propter Abotritos ſocios et fœderatos ſuos, qui eius opem & auxilia aduerſus Sclauos illos ſibi per moleſtos implorauerant, quos ipſe breui vna expeditione domuit. Hoc quoque bello finito, mox aliud contra Auaros et Hunnos in Pannonia (ex quibus duabus vocibus Hunnorum & Auarorum vox Vngarorum conflata videtur promanaſſe) maximum, præter Saxonicũ, fuit conſecutum. Vnam tantùm in Pannoniam (quam nationes iſtæ incolebant) Carolus M. expeditionẽ ſuſcepit, reliquas Pipino filio, & alijs Prouinciarum præfectis, comitibus atq́ legatis commiſit. Bellũ hoc per VIII. annos continuos geſtum, Hunnis quidẽ & Auaris exitium atq́ interitũ, Panno niæ extremam vaſtitatem, Francis autem magnas opes atq́ diuitias peperit, quas ab Hunnis & Auaribus paſsim direptas & congeſtas, Franci victores reportarunt. Duo tamen ex proceribus Francorũ in illo bello perierunt, Ericus Dux Foroiulianus, & Gerboltus Boiariæ præfectus. Poſt bellũ verò et Hunnicũ et Saxonicũ (quæ duo fuerunt grauiſsima, maximeq́ diuturna bella, quæ Carolus M. geſsit) bellũ Bohemanicũ et Hilinonicũ exorta ſunt, quæ non diu durarunt. Vltimũ contra Nortmannos (qui Dani vocantur) ſuſceptum eſt, Godefridi Regis Danorum inſolentiæ, ambitionis ac potentiæ iniuſtæ domandæ cauſa, quo à ſatellite quodã interfecto, illud mox finem habuit. Hodie, ſingulari Dei beneficio, Nordmaniæ ſiue Daniæ Rex ſereniſsimus,

G

qui ante aliquot annos hinc deceſsit, Henricum M. ſingulari proſecutus eſt amore atq; fide, et ſuo exẽplo, literis atq; legationibus alios quoque Germaniæ Principes, ad Regi huic opitulandum in iuſtiſsima cauſa incitauit. Eius verò filius hæres atque ſucceſſor paternæ virtutis ſtrenuus imitator, eandem erga hunc Regem præ ſe fert, non verbis tantùm, ſed etiam re ipſa fidem atque beneuolentiam.

Finito bello Nordmannico ſeu Danico, Romã rurſus Car. M. cum magno admodũ exercitu profectus eſt, vt Leonẽ III. Pont. R. qui fidẽ eius cùm præſens (cũ ex carcere Albini cubicularij ſui opera elapſus, ad eum, in Saxonia bellum gerentẽ, ad Padebornam confugiſſet) tùm per legatos ſuos implorauerat, opem auxiliumq; ferendi, et perturbatum ciuitatis Eccleſiæq; illius ſtatum pacandi gratia. Pontifex enim ille, cùm prædeceſſoris ſui Stephani II. (qui mos eſt Pontificum Ro.) acta quadam atq; decreta reſcidiſſet ac irrita feciſſet, graui validaq; quorundã Zachariæ Pontificis prædeceſſoris amicorum ac propinquorũ, qui id ægrè moleſteq; tulerant, conſpiratione oppreſſus, oculis ei erutis, et lingua exciſa, in maximo vitæ ſuæ periculo atq; diſcrimine erat conſtitutus. Carolus itaq; M. cùm, magna adhibita celeritate, Romam perueniſſet, anno DCCC.VIII. Cal. Septemb. incredibili à Pontifice pompa atq; magnificentia maximoq; Epiſcoporũ, procerum atq; populi, ex omnibus Italiæ partibus, concurſu, frequentia, lætitia atq; gratulatione fuit exceptus. Conſtituto deinde iudicio, quo Pontificis Ro. cauſa, qui ab aduerſarijs ſuis grauiſsimorũ criminum nomine accuſatus fuerat, coram ipſo Carolo M. pro tribunali ſedente diſceptabatur: Pontifex Ro. à criminibus illis, ſuo ipſius teſtimonio, ſententia, iuramento & obteſtatione graui (cùm innocentem ſe eſſe, ſibiq; iniurium ab aduerſarijs ſuis factum eſſe iuraſſet) abſolutus eſt, ita vt in hac ſua cauſa ſimul & reus, & teſtis, & iudex fuerit. Grauis itaq; à Carolo M. & Capitalis pœna fuit in aduerſario eius decreta, quæ tamen ipſius Pontif. Ro. deprecatione mitigata fuit, ita vt exilio fuerint mulctati. Poſtea compoſitis controuerſijs et ſedatis tumultibus, VIII. Cal. Ianuarij ipſo natali Dominico Carolus M. Pontificis, Senatus populiq; Ro. communi con-

ni conſenſu atq; ſuffragio, propter plurima et maxima eius nec non patris & aui eius in ciuitatem, Eccleſiamq́; Ro. merita, quodq́; totã Italiam, Longobardorum tyrannide liberatã, ſuæ poteſtati belli iure ſubiecerat, odio quoq; Imperatorum Conſtantinopolitanorum, occidentis Imperator & Auguſtus, magna ſolennitate, chlamyde Auguſtali indutus, corona aurea pretioſiſſima eius capiti à Pontif. impoſita, renunciatus fuit, cum trina populi acclamatione, quæ fuit huiuſmodi. CAROLO AVGVSTO À DEO CORONATO, MAGNO, PIISSIMO, PACIFICO, IMP. RO. VITA ET VICTORIA. *Tunc igitur imperiũ occidentis à Græcis Imp. ad Car. M. eiusq́; ſucceſſores, et ad Francos fuit tranſlatũ, de qua imperij trãſlatione, qua auctoritate, quo iure quauis iniuria illa facta ſit, nõ mecũ eſt, nec huius temporis diſputare, diſputarunt ea de re viri quidem docti & ſapientes, ad quos vos remitto. Illud tamen certiſſimè affirmare poſſumus tranſlationem illam Dei factam eſſe nutu et arbitrio (ſine quo nihil fit) penes quẽ ſolum, Regna et Imperia, ab vna familia, vel gente ad aliã transferendi, ſumma eſt poteſtas (cuius quidem rei recẽs in Gallia exemplũ habemus) pro qua immenſa & infinita ſua poteſtate & ſapientia, quæuis etiam mala et improba hominũ facta ad optimũ, cùm ſuæ gloriæ, tùm ſaluti ſuæ Eccleſiæ conuenientiſſimum finẽ dirigit. Non eſt etiam hîc ſilentio prætereundũ, quod viri ſapientiſſimi quiq́; et iuris peritiſſimi, Carolum M. volunt Imperatorem occidentis factum eſſe primum iure belli, occupata armis Italia, & vrbe Roma, Longobardorum Regno deſtructo, et pace reſtituta, atq; legibus præſidijsq́; cõmunita. Deinde tranſactione cum Imperatoribus Græcis, qui, vt vni Domini, omne ius, quod habuerunt in Imperium occidentis, Carolo acceſſerunt. Itaq; volunt illum Imperium à Pontifice accepiſſe, cuius renunciatio, neq; electio fuerit, neq; traditio: ſed declaratio ſolùm, quòd Carolus ſit verè Imperator iure belli, & conceſſione Imperatorũ orientis, conſenſuq́; & ſubiectione voluntaria populi Ro. Conſtat enim tunc temporis Pontifices Ro. nec in vrbem quidẽ Romam quicquam ſibi vendicaſſe aut vſurpaſſe iuris ac poteſtatis, ſed ea tantùm, quæ ad ſacra pertinerent, procuraſſe.*

Quemadmodum autem Carolus M (vt ad propoſitum redeam) promptum ſeſe præbuit ad Leoni Pont. Ro. quem iniurioſè contumelioſeq́ tractari audiuerat, primò quoq́ tempore ſuccurrendum: & ad ciuitatis Eccleſiæq́ Ro. ſtatum turbulentum in tranquillitatē vindicandum: ita Henricus M. ad quibuſuis Eccleſiaſtici ordinis hominibus, ſiue Ro. ſiue reformatæ illi ſint religionis, iniuria affectis & oppreſſis opitulandum, & ad Eccleſiæ quietem & tranquillitatem conſtituendam ac conſeruandam, ad lites deniq́ quaſuis ſiue politicas ſiue Eccleſiaſticas dirimendas & componendas promptiſſimus adhuc ſemper & paratiſſimus fuit, idq́ reipſa & factis ſemper declarauit.

Deinde vt Carolus M à Pontifice, à proceribus & populo Romano, & Italico Imperator & Auguſtus fuit declaratus & ſalutatus: ita Henricus M præcipuè à ſummo & cæleſti illo Pontifice, Imperatore, & Auguſto (à quo ſolo proficiſcitur & dependet omnis poteſtas) lege atq́ conſuetudine patria ac perpetua, voce atq́ ſuffragio Regis, prædeceſſoris, affinis & agnati ſui proximi, deniq́ Ducum, Principum, procerũ, exercitus, populiq́ vocibus, ſuffragijs, acclamationibus, non tàm oris quàm cordis, concordiſſimis optimo meritiſſimoq́ iure Regni & Imperij Gallici Rex, Imperator, Auguſtus, pacificus, idq́ non ſemel, ſed ſæpius appellatus & ſalutatus fuit. Huc accedunt (vt taceam de alijs populis) multorum per totam Italiam, atq́ adeo in ipſa ciuitate et Eccleſia Romana cùm politici, cùm Eccleſiaſtici ordinis ſortiúq́ procerum ac Principum vota, atq́ voces, quibus illum legitimum Galliæ Regem atq́ Dominum eſſe agnoſcunt, libereq́ confitentur.

Præterea nomina & tituli illi honorifici, qui à populo acclamatione illa Carolo M. fuerunt tributi, Henrico quoq́ M. optimè veriſſimeq́ conueniunt, illiq́ meritiſſimo iure tribui poſſunt ac debēt. Is enim, quod res ipſa et acta eius teſtantur, verè eſt Auguſtus, qui auguſtis SS. donis et virtutibus auctus, Regni et Imperij Gallici non tuendi ſolum, verùm etiã augendi eſt ſtudioſiſſimus. Verè eſt à Deo coronatus, à quo etiã præſtãtiſſimis virtutibus, ad Regni adminiſtratiorē neceſſarijs, eſt ornatus et inſtructus, quæ quibuſuis coronis vel pretioſiſſimis lõgè præſtant.

ſtant. Is verè eſt Magnus, virtutũ rerumq́ geſtarũ magnitudine admirandus. Is pijſſimus meritò & Chriſtianiſſimus eſt appellandus, qui pietatis religionisq́ Chriſtianæ ſtudium & amorem quotidie reipſa factisq́ ſuis declarat. Verè eſt Pacificus, cui pace publica nihil eſt optatius, ad quã omnia refert ſua cõſilia. Verè eſt Imperator, qui non modò hominibus, Imperio poteſtatiq́ ſuæ ſubiectis, ſed etiam ſibiipſi, ſuis affectibus & cupiditatibus, cum ſumma omnium admiratione, optimè ſapienterq́ imperat. Non enim, vt etiam Cicero, quamuis Ethnicus, & veræ religionis expers, ſcitè vereq́ dixit, is Imperator eſt appellandus, & hoc nomine dignus iudicandus, qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare. Refrænet, inquit idem, prius libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiam, cæteras animi labes repellat, tùm incipiat alijs imperare, cùm ipſe improbiſſimis Dominis dedecori ac turpitudini parere deſierit. Hanc in ſententiam Auguſtinum præclarè diſſerentem, ſi quis vult, legat lib. 4. de Ciuit. Dei, Cap. 3. & lib. 19. Cap. 6.

Adhæc quòd populus Ro. læta fauſtaq́ ſua acclamatione Carolo M. vitam & victoriam eſt precatus: ita non modò Romani & Itali plurimi, nec ſolùm Galli, ſed pleriq́ etiam alij orbis terrarum populi, non tam oris, linguæ & faucium, quàm pectoris & animorum acclamationibus, votis ac precibus ſuis ſanctis vitam ei valetudinemq́ue diuturnam, & victoriam aduerſus quoſuis hoſtes ſuos precantur, quos clamores, quæ vota atque preces non caſſas eſſe & inanes, quotidiana, Dei beneficio, experientia ſatis ſuperq́ teſtatur.

Carolus poſtremò M. honorem illum ab initio dicitur eſſe auerſatus, nec eam voluiſſe recipere, ita vt apertè dixerit, ſe, magna licet illa & ſancta fuerit feſtiuitas, tamen eo die templum nõ fuiſſe ingreſſurum, ſi hoc Pontificis Ro. & reliquorum præſciuiſſet conſilium atque propoſitum. Hanc autem ille dignitatem imperatoriam detrectauit, partim pro humilitate & modeſtia ſua, quòd ab ambitione, hoc eſt, honoris & dignitatis immoderata & inordinata cupiditate eſſet alienus: partim Imperatoris Conſtantinopolitani inuidiam, odium & ſi-

multates (tam ille erat pacis, concordiæ charitatisq́; amans) euitandi gratia, qua de cauſa crebros ad Imperatores illos Conſtantinopolitanos legatos atque literas, humanitatis, amoris, officijsq́; pleniſſimas, mittere eſt ſolitus, quibus illos non dubitauit fratres ſuos appellare. Ita Henricus Mag. ab omni faſtu, ſuperbia & ambitione abhorret, modeſtiæ & humilitatis eſt ſtudioſiſſimus, & pacem, amicitiam, concordiam cum omnibus colere, odia contrà, offenſiones, ſimultates quorumuis, omnibus modis euitare, & cum quibuſuis vel inimiciſſimis in gratiam redire magnoperè cupit. Atq; hæc quidem fuerunt expeditiones militares atq; bella. Hæc, inquam, fuerunt, quæ annis XLVII. (tot enim regnauit) in diuerſis orbis partibus bella geſsit aduerſus barbaras, immanes Chriſtianoq́; nomini infeſtiſſimas gentes pro Regni, Imperij & vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ ſalute ac libertate, quæ ab hiſtoricis fuſiſſimè copioſiſſimeq́; explicata, ſummatiua & vno quaſi faſciculo complecti volui. In his bellis omnibus & ſuſcipiendis, & indicendis, & adminiſtrandis, & poſtremò conficiendis, eius cùm pietas, religio (cui inter media arma vacauit) tùm iuſtitia, prudentia, ſolertia, ſagacitas, fortitudo, magnanimitas, tolerantia, patientia, vigilantia, induſtria, temperantia, continentia, moderatio, lenitas, manſuetudo, fides, conſtantia, fœlicitas denique incredibilis & admirabilis conſpiciendam ſeſe omnibus præbuit, ab omnibus cognita fuit atque perſpecta. Etſi verò Henricus M. nondum tot & tanta bella aduerſus externos populos geſsit, quot & quanta à Carolo M. geſta ſunt, propterea quòd is ſubditorum multorum ſuorum rebellione & contumacia effrenata ac indomita, inteſtino ac domeſtico illo bello, proh dolor, implicatus eſt ac inuolutus, tamen omniũ ei vel inimiciſſimorum confeſſione atq; ſententia, maximæ & præſtantiſſimæ ſunt eius virtutes bellicæ, & inſignis rei militaris peritia, ita vt Carolo illi M. agnato ſuo hac quoq; in parte comparandus eſſe videatur. Nam ab ineunte ætate in caſtris bellisq́; verſatus, maximam ſibi rei militaris peritiam comparauit. Hac ille libentiſſimè aduerſus Chriſtiani numinis atque nominis hoſtes vteretur, ſi id ei per perditam profligatamque

tamque ſubditorum quorundam ſuorum perfidiam atque pertinaciam permitteretur. In primis verò præter alias virtutes celebranda meritò ac prædicanda eſt Henrici M. inter hæc ipſa bella atque arma, magna pietas atque religio, ita vt illum non tam humanis, quàm diuinis & cœleſtibus armis, hoc eſt, fide, ſpe, charitate, patientia, manſuetudine, ieiunijs, votis, precibus aſſiduis & ardentibus cum hoſtibus ſuis pugnare, illosq; vincere ac ſuperare inter omnes conſtet, experientia id teſtante quotidiana. Quid dicam, quòd tametſi maximæ reuera fuerunt res geſtæ Caroli M. tamen non minores, imò etiam admirabiliores videntur eſſe res geſtæ Henrici M. & quæ geruntur adhuc quotidie. Nam cogitandum nobis, quos & quantos Carolus M. rerum gerendarum neruos, occaſiones, adiumenta, auxilia, vires & opes habuerit: quibus penè omnibus Henricus M. ab initio fuit deſtitutus, & nunc quoq; non tantas habet, quantas ille habuit. Si deinde tempora, mores, homines, & reliquæ circumſtantiæ expendantur, indè quoque clarius patebit, Henrici Magni non inferiorem, ſed æqualem, vel etiam ſuperiorem fuiſſe in rebus gerendis fortitudinem ac fœlicitatem.

Nos Deum orabimus, vt quemadmodum Carolus M. finitis confectisq; iſtis bellis, illo præſertim XXXIII. annorũ bello Saxonico, pacem almã, lætã, ſerenã tutamq; in toto Regno & Imperio ſuo cõſtituit: ita Henr. quoq; M. tandẽ, Dei ope et auxilio, miſerrimo calamitoſiſſimoq; iſto bello inteſtino, quod iã amplius XXX. annis durauit, fœlicẽ finem imponere, & patriã Regnumq; ſuum (qui quidem ei finis vnicus eſt propoſitus) in pacem & tranquillitatem vendicare poſſit, cuius quidem nos ſpem, diuina freti miſericordia, habemus non exiguam.

Præterea vt Carolus M. his bellis ſtrenuè proſpereq; geſtis Regnum & Imperium ſuum, à patre & maioribus ſuis, ſeu potius à Deo ſummo & cœleſti illo patre, ac cœli terræq; Domino ſibi relictum, & traditum, non modò tutatus eſt & conſeruauit aduerſus quoſuis hoſtes feros & immanes, verùm etiam mirum in modum auxit & amplificauit, vt ſcriptores teſtantur, ita Deo ſupplicabimus toto pectore,

vt Henrico M. Galliæ & Nauarræ Regi Regnum hoc ſuum, ſibi à maioribus ſuis relictum, cùm tuendi & conſeruandi (non minor enim eſt virtus parta tueri, quàm illa comparare) tum etiam augendi amplificandiq́ facultatem, quæ voluntati eius reſpondeat, largiatur.

Nec verò Regnum tantùm & Imperium ſuum Carolus. M. multarum gentium regionumq́ acceſſione, ſed etiam nominis ſui famam atque gloriam magno cumulo auxit, ac longè lateq́ propagauit. Hæc enim clara & illuſtris virtutum, rerumq́ geſtarum vel præſtantiſſimarum fama longè lateq́ per totum terrarum orbem diffuſa, tantum ei etiam apud remotos & à Chriſtiano nomine abhorrentes populos atque Reges, amorem atque beneuolentiam conciliauit, vt illi vltrò ac ſua ſponte non amicitiam ſolùm, ſocietatem atque fœdera cum illo, miſſis legatis, literis, atq́ etiam muneribus ampliſſimis, contrahere, verùm etiam ſe poteſtati eius ſubijcere magnoperè exoptarint. Virtus enim optima eſt & efficaciſſima, vt honoris atq́ gloriæ, ita amoris & amicitiæ conciliatrix, quæ quidem etiam in hoſte placet & delectat, ac cuius tanta quidem vis eſt, vt vel remotiſſimos longiſſimoq́ locorum interuallo à ſe diſiunctos, atque adeò alieniſſimos à ſe inuicem ſibiq́ inimiciſſimos amore, beneuolentia, amicitiaq́ copulet atque coniungat.

Iure igitur & meritò Salomon Rex ſapientiſſimus bonam honeſtamq́ famam vnguento fragrantiſſimo & ſaluberrimo comparat. Nam quemadmodum vnguentum odoriferum, ſuaue & ſalutare effuſum totam aliquam domum locúmue complet, & omnes eius incolas mira voluptate afficit, reficit ac recreat: ita nomen bonum & honeſtum, quod ex virtutibus & actionibus honeſtis promanat, homines mira voluptate perfundit, & ad amorem inuitat & allicit. Virtus, virtus inquam, hominum & potentiſſimorum & inimiciſſimorum victrix eſt atq́ conciliatrix. Virtutum rerumq́ geſtarum fama partim amorem conciliat, partim terrorem hoſtibus contumacibus incutit. Vnde Cicero: Conciliatrix amicitiæ virtutis opinio. Idem virtus allicit & attrahit amicitias, vt magnes ſcilicet ferrum, Idem: Contrahit ami-

bit amicitiam virtus. Idem, Amicitiam & gignit & continet virtus. Idem, conciliat amicitias, & conſeruat virtus. Vt igitur Carolus Magnus, magnus fuit virtutibus, magnus rebus geſtis, ita magnus quoque fuit gloria, magnus amicitijs Regum & populorum florentiſsimorum & longinquiſsimorum, qui commoti & excitati fama eius virtutum rerumq́ geſtarum amicitiam eius ardenter appetierunt, in amiciciam illius ſeſe contulerunt, illam ſibi literis, legationibus, donis atque muneribus, quibuſuis deniq́ officijs comparare ſedulò ſtuduerunt.

Adelphonſus itaq́ Rex Galatiæ ſiue Calletiæ, & Aſturtiæ, ſiue Aſturiæ (quæ regio eſt Hiſpaniæ Tarraconenſis, equis tollutarijs, qui inde Aſturcones dicti, nobilitata) Rex potentiſsimus ſocietate ſibi eum deuincire ſtuduit, nec verò eius tantum ſocius & amicus, ſed quaſi proprius, cliens, ſubditus per literas & nuncios ſuos ſeſe appellari voluit. Similiter Scotorum Reges virtutibus eius atq́ munificentia deuincti, tanto illũ amore, honore et obſeruantia proſecuti ſunt, vt non dubitarint illum ſuum appellare Dominum, ſeq́ eius ſeruos & ſubditos haberi atq́ nominari voluerint. Atq́ huius quidem beneuolentiæ & obſeruantiæ teſtes fuerunt literæ quædam ab ipſis ad illum ſcriptæ. Sic hodie quoque diuina benignitate, & Anglorum & Scotorum Rex atq́ Regina, & Regni vtriuſq́ proceres eximiam ſuam erga Henricum M. Gallorum & Nauarrorum Regem beneuolentiam, obſeruantiam, animorumq́ propenſionem reipſa atque factis, hoc eſt, fideliſsimis promptiſsimiſq́ ſuis auxilijs atq́ officijs quotidie teſtificãtur.

Quid dicam (vt ad Carolum M. reuertar) quòd Aaron quoque Rex Perſarum potentiſsimus, qui, excepta India, totius penè Orientis Imperium tenebat, tantam cum ipſo amicitiam concordiamq́ coluit, vt eius gratiam omnium ferè totius orbis Regum ac Principum gratiæ longè præferret, imò illum quaſi ſolũm honore, amore, & obſeruantia ſibi colendum eſſe duceret. Quamobrem præter alia dona atque munera magnifica ei id petenti Elephantem, quem tum temporis ſolum habebat, ex longinquis illis oris dono miſit. Præterea cùm Caroli

H

Magni legati, quos cum donarijs ad ſanctiſsimum Domini & Saluatoris noſtri ſepulchrum locumque Reſurrectionis miſerat, ad eum veniſſent, eiq; Domini & Imperatoris ſui voluntatem ac petitionem expoſuiſſent, ille non ſolùm illos humaniſsimè liberaliſsimeq; excepit, & petitioni eorum plenè cumulateq; ſatisfecit, verùm etiam ſacrum illum & ſalutarem locum poteſtati eius ſubiici & aſcribi voluit. Poſtremò legatis eius domum redeuntibus itineris ſocios atq; comites adiunxit peritos & fidos cum veſtibus, aromatibus, alijsq; quæ fert regio illa orientalis, donis ampliſsimis & precioſiſsimis.

Vt autem olim Conſtantinus quoque M. Perſarum & alios Reges orientales barbaros muneribus, & quibuſcunq; poterat officijs ſibi conciliare, demulcere atque placare ſtudebat, quo Chriſtiani, qui imperio illorum poteſtatiq; erant ſubiecti, ijs tantò clementioribus & benignioribus vterentur, adhæc donaria, ad ſubleuandam Chriſtianorum illorum orientalium inopiam, mittere ſolebat: ita Carolus quoque M. pro pietate & religione ſua (vt Eginhartus & poſt eum alij teſtantur) eundem morem & conſuetudinem tenuit. Henricus M. etſi nec ipſe occupationibus atq; moleſtijs infinitis obrutus, peregrinationem huiuſmodi ad Chriſti ſepulchrum ſuſcipere, vel legatos illuc cum donis mittere poteſt, nec id ad ſalutem neceſſarium eſſe exiſtimat, tamen Chriſti ſepulchrum quotidie adit, inuiſit, frequentat, dum mortis, ſepulturæ ac reſurrectionis Chriſti ſalutiferæ, aliorumq; eius beneficiorum memoriam grata piaq; mente aſsiduè recolit, vnde ſolatia in tot tantisq;, quibus conflictatur, laboribus, ærumnis, moleſtijs atq; periculis haurit maxima & ſaluberrima. Non etenim vel ſepulchri, vel aliorum huiuſmodi monumentorum ſacrorum frequentatio, ſed mortis paſsionisq; Chriſti frequens religioſaq; cum vera fide & pœnitentia recordatio ad ſalutem noſtram propriè ſpectat. Dona etiam atq; munera ad Chriſti ſepulchrum mittit, dum in Chriſti membra atq; vicarios, hoc eſt, pauperes & inopes ſuam liberalitatem exerit.

Præterea (vt ad Carolum M. redeam) ipſi quoq; Imperatores Conſtantinopolitani, vt Nicephorus, Michael, Leo, etſi antiquitus & Francorum

Francorum potentia, vt Romanis ita Græcis ſuſpecta fuit & inuiſa, iuxta peruulgatum illud Græcorum dictum: φράγκον φίλον ἔχῃς, γείτονα δὲ μὴ ἔχῃς. Francum fac habeas amicum, ſed non vicinum, & hi ipſi Imperatores indignè moleſteq́; tulerunt Imperium Occidentale ad illum eſſe delatum, & idcirco ob ſuſceptum Imperatoris nomen, potentia eius illis valdè fuit ſuſpecta, tamen amicitiam eius ſua ſponte vehementer ambierunt, fœdus cum illo inierunt, quod ab vtriſq; omni officiorum genere cultum fuit.

Ergò, vt hunc locum paucis concludam, quemadmodum Carolo M. cum Rege Galatiæ & Aſturiæ, cum Regibus Scotorum, cum Aarone Rege Perſarum potentiſſimo, cum Imperatoribus Conſtantinopolitanis, vt Nicephoro, Michaele & Leone ac multis alijs amicitia interceſſit ampla & ſplendida, multis vtrinq; culta officijs: Ita Dei beneficio Henricus Magnus propter virtutum, rerum geſtarum fœlicitatisq́; famam clariſſimam & celeberrimam multis Regibus, Rebuſpublicis, populis orbis Chriſtiani, vt Italis, Germanis, Anglis, Scotis, Heluetijs, Rhetis, Sedunenſibus, Danis, Polonis, Suetis, Vngaris, Tranſyluanis, & alijs vtitur amiciſſimis ac beneuolentiſſimis. Atque hi quidem legationibus, literis, gratulationibus, expeditionibus militaribus, pecunijs, muneribus, ſupplicationibus pro eius ſalute publicis & priuatis, quàm benè fideliterq́; erga illum affecti animatiq; ſint, aſſiduè teſtantur. Quin etiã gentes à religione Chriſtiana alienæ, vt Turca, Perſa, Moſcouita, virtutes eius admiranturatq; ſuſpiciũt, ac proinde ei fauent, benè volũt, eũ amant, colũt & obſeruant.

Et hæc de vtriuſq; rebus geſtis & virtutibus bellicis ſatis, veniamus nũc ad res Vrbanas, Politicas, Ciuiles. Cic. lib. 1. Offic. quærit, ſint ne res bellicæ maiores, quàm vrbanæ, tandemq́; concludit, clariores quidem & ſplendidiores eſſe res bellicas togatis & vrbanis, ſed ijs reuera inferiores, ſi diligentius & accuratius conſyderentur. Parua enim, inquit, ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi. Contrà tamen idem, nimirum pro ratione illius temporis & cauſæ quam agebat, in oratione pro Muræna res bellicas vrbanis & togatis

affirmat longè eſſe anteponendas. Verùm nos omiſſa hac de diſputatione longiore, nunc videamus, quomodo vterq; ſeſe in Republica domi conſtituenda & moderanda, geſſerit, quæ fuerint vtriuſque acta, actionesúe ciuiles & politicæ. Illud tamen non eſt dubium, quin vtriuſq; maior ferè pars in bello potius, quàm in pace fuerit conſumpta.

Actionis porrò & adminiſtrationis vrbanæ ſeu togatæ membra præcipua ſunt, Leges, Magiſtratus, iudicia, ædificia, tributa, comitia ſeu conuentus publici. Vt autem à poſtremo exordiar, Carolus Magnus conuentus cùm ſolennes, ſtatos & ordinarios quotannis menſe Maio, pro patrio & antiquo more ac conſuetudine, tùm quando tempus, vſus & neceſſitas id poſtulabat, extraordinarios indici ac celebrari diligenter curabat, in quibus à Regni proceribus atque principibus ea conſultari atque decerni conſueuerunt, quæ ad publicam & communem totius Regni & Imperij vtilitatem atque ſalutem pertinere videbantur, & vt contrà ea, quæ in Republica vitioſa, corrupta & deprauata fuerant, quæque ad publicam peſtem & perniciem ſpectare videbantur, tollerentur, vel corrigerentur. Itaque finito aliquo bello, facto fœdere, vel inducijs, vbi vel minima erat quies & facultas, atque adeò inter ipſa aliquando arma, in medio belli curſu, cœtus huiuſmodi atque comitia, quibus ipſe non tantùm interserat, ſed etiam præerat, indicere & conuocare conſueuit, in quibus nonnunquam non tantùm de rebus politicis, ſed etiam Eccleſiaſticis, hoc eſt, ad religionem & Eccleſiam pertinentibus conſultabatur.

Norat etenim ſapientiſſimus ille Imperator, vtiles, imò neceſſarios & Reipublicæ valdè conducibiles eſſe publicos huiuſmodi cœtus. Cornelius Tacitus teſtatur, Britannos olim facilè vinci potuiſſe, quòd illi nunquam conuenirent, nec in commune conſulerent, quo nihil hoſtibus eorum fuerit optatius & vtilius. Vt igitur cœtuum & conuentuum huiuſmodi publicorum intermiſſio & neglectio periculoſa valde eſt & damnoſa: ita contrà diligens eorum vſurpatio Reipublicæ plurimùm prodeſt, plurimum commodi affert & emolumenti.

Quam-

Quamobrem vt Carolo M. Ita Henrico M. nihil poſſet eſſe gratius & optatius, quàm vt publicos huiuſmodi procerum Regni conuentus poſſet celebrare, nihilq́ ferè ei eſt maiori dolori, quàm quòd hoſtium & perduellium ſuorum pertinacia & obſtinatio cœtus huiuſmodi agitandi omnem ferè ei facultatem adimit.

Secundum membrum ſunt Leges, quæ ſcitè vereq́ Regnorum & rerumpub. vincula, columina, fulcra, fundamenta, mœnia & propugnacula appellantur, quas quidem vel ferendi & condendi, vel cognoſcendi & intelligendi, vel ſeruandi, vel interpretandi, vel cuſtodiendi & conſeruandi, vel etiam abrogandi cura, ſtudium atq́ munus propriè ad ſummos magiſtratus pertinet. Vnde oraculo diuino & quidem antiquiſſimo præceptum fuerit, vt ſimul atque Rex eſſet inauguratus, ſedulò curaret, legis volumen diligenter deſcribi, & vt eius ipſe eſſet aſſertor atq́ cuſtos.

Iuſtinianus ſtatim ab initio ſuarum inſtitutionum Imperatoriam maieſtatem, inquit, non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam: vt vtrumq́ tempus, bellorum & pacis rectè poſſit gubernari: & Princeps Romanus non ſolùm in hoſtilibus prælijs victor exiſtens, ſed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellens, fiat tam iuris religioſiſſimus, quàm victis legibus triumphator. His congruit pulcherrima & nunquam ſatis laudata Imperatoris Theodoſij M ſententia. Vt prodeſt, inquit, gentes barbaras noſtri nominis Imperio mancipari, ita noſtræ victoriæ videbuntur obedientibus fructuoſæ, ſi pacis commoda legum regulis componantur. Non abſimili etiam ſententia Imperator Martianus vſus eſt, cùm ſcripſit, ſe id die ac nocte proſpicere, vt vniuerſi, qui ſub ſuo Imperio viuunt, & armorum præſidio ab hoſtili impetu muniantur, ac in pace (legum nimirum beneficio) ſecuritate potiantur. Carolus igitur M. poſt ſuſceptum imperiale nomen, quum animaduerteret, multa legibus populi ſui deeſſe (nam Franci duas habent leges, plurimis in locis valde diuerſas) cogitauit quæ deerant addere, & diſcrepantia vnire: praua quoq́ ac perperam prolata corrigere. Sed in ijs

nihil aliud ab eo factum eſt, quàm quòd pauca capitula, & ea imperfecta legibus addidit, Omnium tamen nationum, quæ ſub eius ditione erant, iura, quæ ſcripta non erant, deſcribi ac literis mandari curauit.

Vnde patet quanta eius legum & quidem patriarum & antiquarũ (nõ enim temerè nouæ leges in Remp. ſunt introducendæ) cura atq; ſtudium fuerit. Hinc etiã apparet quando legis alicuius ſententia obſcura eſt & incerta, & verba ſunt ambigua, Principẽ ipſum eſſe conſulendũ. Sicut & olim Iuſtinianus reſpondit, de ijs, quæ primùm conſtituantur, aut interpretatione, aut conſtitutione optimi Principis certius ſtatuendum eſſe. Et Iuſtinianus ait: Si in præſenti tempore leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt, & leges interpretari ſolummodo dignum imperio eſſe oportet. Obſeruatione etiam dignum quod non tam leges nouas ferre atq; condere, quàm antiquas & patrias bene interpretari ſtuduit: Nec legum copia, ſed paucitate potius delectatus eſt. Præſtat multò legum paucitas cum bonis moribus, ac diſciplina, legumq; illarum ſanctio & obſeruantia, quàm legum vel optimarum & præſtantiſſimarũ copia & multitudo, ſine earum ſanctione & obſeruantia, ſine moribus & diſciplina bona. Vnde Flaccus poëtarum ſapientiſſimus non minus verè, quàm eleganter cecinit.

Quid triſtes, inquit querimoniæ
Si non ſupplicio culpa reciditur?
Quid leges ſine moribus
Vanæ proficiunt?

Corruptam eſſe Rempub. vbi plurima ſunt decreta, vſus & experientia rerum omnium magiſtra docet. Hinc Tacitus corruptiſſima Repub. plurimæ leges. Vbi plurimi medici ſunt, ibi plurimos morbos eſſe neceſſe eſt, vt Plato & Strabo auctores grauiſſimi ſcripſerunt. Apud maiores olim noſtros plus boni mores, quàm alibi bonæ leges valebant, quibus temporibus melior etiam erat Reipub. noſtræ ſtatus.

Exemplo igitur Caroli M. decet Reges ac Principes leges antiquas ac patrias ſartas tectas tueri, ſi quid in ijs iniquum tollere, ſi quid

dubium

dubium, perplexum, obſcurum, diſcrepans, interpretari, ſi quid mutilum & imperfectum addere, nec facilè nouas leges fabricare, & in Rempub. introducere.

Carol. M. ergò, teſte Auentino, vetuſtißimæ Francorum legi Salicæ capita quædam addidit, quaſdam nouas ſanxit, quas Abbas Anſegiſes conſcripſit, vt de moneta, menſura, ponderibus, quæ per totum Imperium Ro. ad æqualitatem redegit.

Extant Conſtitutiones præcipuæ Caroli M. de rebus Eccleſiaſticis & ciuilibus à Lothario Nepote, ex Aui Conſtitutionum libris collectæ, quæ cum in cœnobio Tegernſeenſi diu delituiſſent, & multis in locis detritæ à tineis & blattis corroſæ, à librario etiam deformatæ fuiſſent, tandem in lucem editæ ſunt anno XLV. *cum ſcholijs, annotationibus, & præfatione ad Carolum* V. *Imp. Rom. Viti Amerpachij viri doctrina clariſſimi. Ciuilium legum tituli (nam de Eccleſ. poſtea) ſunt de homicidijs & latrocinijs, de ſeruis fugacibus, de ſeruis Aldionibus, de cartis donationis faciendis, de libellarijs, de plateis vel cloacis curandis, de ſcabinis, de rerum nouarum, diſcordiarum, & contentionum ſtudioſis, de bonis denarijs, de homicidijs, & alijs iniuſtitijs, quæ à fiſcalinis fiunt, de collecto ad malefaciendum, de pontibus publicis deſtructis, de tributis, de homicidijs in Eccleſijs vel in atrijs earũ commiſſis, de falſæ monetæ percuſſoribus, de orphanis, de notarijs. De periurio, de cerarijs, tabularijs atq; Caſtularijs, de ſacramentis per geldonia inuicem coniurantibus, de theloneis, de mancipijs, de prunijs, de furtis, de iniuſtis connubijs, de falſis teſtimonijs, de æqualibus ponderibus, menſuris, de mendicis vagantibus coercẽdis, de vſuris et fœnorib. de fugitiuis & peregrinis, de medicinalibus, de inceſtuoſis, de iuſtitijs regalibus, de armis & armatura, de negotiatoribus, de iuramento, de periurijs, de aduocatis, de falſis monetis, de aribanno, de cenſu regali, de incantationibus, augurijs & diuinationibus, de pace & concordia, de marca, de vaſis regalibus, de haribanno, de ebrietate & propinationibus. Singulas has leges ab eo latas commemorare, aut commendare nimis eſſet operoſum, nec certè neceſſarium.*

Non minor autem quàm Caroli M. olim fuit, hodie eſt Henrici M. leges diuinas & humanas, patrias præſertim tuendi & conſeruandi cura atque ſtudium, ita vt illum verè νομοφύλακα, id eſt, legum cuſtodem tutorem ac patronum appellare poſsimus, quibus nouit cùm ſuam priuatam, tum publicam totius patriæ & Reipub. dignitatem, libertatem atque ſalutem contineri, contrà autem illarum neglectionem, violationem certiſsimam eſſe Rerumpub. ruinam atque interitum, Nec verò ſubditos tantùm ſuos, ſed etiam ſeipſum legibus illis alligatũ teneri ſibi planè perſuadet, iuxta ſententiam Principum Ro. quæ extat in iure ciuili. Dignam maieſtate Regnantis vocem, legibus ſe alligatum fateri Principem, quæ quidem Theodoſij Imp. vox fuit atque ſententia.

Tertium membrum politicæ adminiſtrationis eſt Magiſtratus, cuius, vt Cicero inquit, hæc vis eſt, vt præſit præſcribatq́; recta & vtilia, & coniuncta cum legibus: vt enim magiſtratibus leges, ita populo præſunt magiſtratus: vereq́ue dici poteſt, magiſtratum legem eſſe loquentem, legem autem mutum magiſtratum. Magiſtratibus, (inquit idẽ auctor grauiſsimus, qui omnes Romæ magiſtratus geſsit) opus eſt, ſine quorum prudentia & diligentia ciuitas eſſe non poteſt, ac quorum deſcriptione omnis Reipub. moderatio continetur.

Magiſtratus autem proprium munus eſt, intelligere ſe gerere perſonam ciuitatis, debereq́ue eius dignitatem & decus ſuſtinere, ſeruare leges, iura deſcribere, ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe. Summis autem magiſtratibus, vt monarchis, Regibus, Imperatoribus, Principibus in inferioribus magiſtratib. creãdis, ſeu eligẽdis, ſeu coercendis, et abdicandis ſumma adhibẽda eſt cura, prudentia, diligentia, vt ſine perſonarũ reſpectu eos potiſsimùm magiſtratus creent, quorũ cognita perſpectaque illis eſt fides, iuſtitia, integritas, ſapientia, prudentia, fortitudo, temperantia, continentia, charitas erga patriam, Eccleſiam, Rempub. Conſtantinus M. in primis curauit, vt Reipub. adminiſtrandæ, iuditijsq́; regendis & exercendis, & prouintiarum gubernationi præficerentur Magiſtratus, qui & viri boni eſſent, & vera pietate

tate imbuti. Idem Caroli M. fuit ſtudium, idem eſt hodie Henrici M. cui nihil eſt antiquius, quàm vt ſpectatæ fidei, iuſtitiæ, integritatisque viri publicis præficiantur muneribus. Extant etiam eius quædam de magiſtratibus leges. Magiſtratibus autem non permittenda infinita poteſtas, ita vt illis liceat, quicquid illis libet, ſed certis definienda terminis atque cancellis. Magiſtratus itaque Carolus M. in officio & obſequio continuit, oculos in illos habuit intentos, non infinitam & effrænam illis quiduis pro libidine ſua agendi licentiam permiſit.

Etſi verò non facilè & temerè vt nouæ ſunt condendæ, ferendæ, & Reipub. imponendæ leges, ita noui, & inuſitati antea inſtituendi ſunt magiſtratus: tamen ratio, ius neceſſitas id ſæpè poſtulat, ſeu potius flagitat, vt multis exemplis comprobari poſſet. Itaque Carolus quoque M. certis cauſis & rationibus adductus & impulſus, cùm id Reipub. Regniq́; ſui vtilitatem atq; ſalutem requirere ac poſtulare animaduerteret, nouũ illum XII. *Parium, vti vocantur, magiſtratum inſtituit ad Regũ, vt eſt veriſimile (cuiuſmodi fuerunt Ephori apud Lacedæmonios, Tribuni pleb. apud Romanos) vim poteſtatemq́; ſalutari temperamento moderandam.*

Confecto igitur tricennali illo bello Saxonico in Hiſpaniam magna collecta manu profecturus, Saracenos perpetuos religionis Chriſtianæ hoſtes ab Hiſpaniæ finibus arcendi gratia, illud XII. *Franciæ Parium Sodalitium ſiue Collegium inſtituit, qui proxima ſecundum Regem, ac velut pari (vnde nomen habent) dignitate eſſent. Sunt tamen qui* XII. *Franciæ primorum originem ad Arturum Britanniæ Regem referunt, qui Franciam per aliquot annos tenuit. Horum tanta olim fuit authoritas, vt de rebus omnibus ad Rempub. pertinentibus ad eos referret Rex, ſi qua controuerſia inter proceres eſſet, horum arbitrio componeretur: ſi quod crimen admiſſum ad exemplum pertineret, horum diſquiſitis ſententijs iudicaretur, denique penes eos erat rerum ſumma. Nam fœdera feriebant, bellaq́; iubebant: quos Latinè ea cauſa patritios putat appellandos Budæus, quaſi pa-*

tres communes Reipub. quorum ſpeciem quandam præferebant ὁμότιμοι apud Perſas, æqualis prope cum Rege dignitatis. Horum verò, vt & aliorum magiſtratuum dignitatem auctoritatemque Henricus M. cupit ſartam tectam tueri & conſeruare: qui quidem in illo tuendo & defendendo fidelem ei ac ſtrenuam nauant operam.

Quartum ciuilis gubernationis membrum ſunt Iudicia, quæ, vt rectè Cicero, aut diſtrahendarum controuerſiarum, aut puniendorum maleficorum cauſa ſunt reperta. Hæc Carolo Magno maximæ fuerunt curæ, vt iuſtè ſyncerè & integrè fierent, cum ſciret in iudiciorum integritate totius Reipub. ſalutem conſiſtere, ijs verò corruptis & adulteratis proximam eſſe ruinam & interitum. Cum itaque corrupta eſſent ſuo tempore iudicia, Ioſiæ, Ezechiæ, Conſtantini Magni, & aliorum Regum ac Imperatorum clariſſimorum exemplo, omni ſuo labore opera atque ſtudio elaborauit, vt illa puritati & integritati reſtituerentur, & ea, qua par eſt, fide, æquitate atque iuſtitia exercerentur. Hac de cauſa Galliam in quinos conuentus diuiſit, Viennenſem, Lugdunenſem, Senonenſem, Rothomagenſem, Rhemenſem, quibus cætera oppida adiunxit, & eorum vnum quodque in finitimo ſibi conuentu ius petere iuſſum erat. Apud Germanos ſimiliter Ciſrhenanos, qui in Gallia, Belgica, Celticaque habitant, iuridici conuentus inſtituti ſunt Veſontius, Moguntius, Treuerenſis, Agrippinenſis, Cameracenſis. Idem ſanxit vt in primaria cuiuſque regionis vrbe, quam Metropolim Græci vocant, Pontifex & Prætor ter quotannis, Aprili & Octobri ius dicerent, reſponſa redderent: & primùm pauperes, viduas, pupillos, data illis prudentiſſimo fideliſſimoque patrono, diligentiſſimè audirent, inimicos ſibi inuicem reconciliarent, et in gratiam reducerent. Vetuit grauiter ne illi lites in diem different, neue calumnijs locum darent. Opulentos verò, ac locupletes, Pontifices, præfectos, ſi qui eorum in gratiam & concordiam redire nollent, a ſe haud aliò delegarent. Sumptuarium præterea decretum de certa iudicum mercede promulgauit. Extant multæ præclaræ, vtiles & ſalutares eius de iure bene dicendo conſtitutiones at-

que

que leges. Nec verò ab alijs tantùm iudicia iuſtè caſtéque exerceri curauit, verùm etiam ipſe in iuredicendo aſſiduus fuit ac diligens, ita vt teſte Eginharto, nonnunquam mane interea dum calcearetur ac veſtiretur, non tantùm amicos admitteret, verùm etiam ſi Palatij Comes aliquam litem dicebat, quæ ſine eius iuſſu definiri atqe decidi non poterat, ſtatim litigantes introduci iuſſerit, & velut pro tribunali ſederet, lite cognita, ſententiam dixerit.

Sanxit etiam vt fures & homicidæ, & alij huiuſmodi criminum rei ad templa & aſyla confugientes repeterentur, ac vi inde eriperentur. Ac omnino Caroli M. quanta fuerit in iudicijs iuſtitia & ſeueritas illa Veſtphalici iudicij conſtitutio apertè declarat, de qua vide Auentinum.

Hac quoque in parte Henricus Magnus agnatum & prædeceſſorem illum ſuum Magnum ſtrenuè ſeduloque imitatur, qui omni ſuo ſtudio atque opera enititur & elaborat, vt parlamenta, fora, tribunalia, iudicia corrupta valdè & adulterata priſtino ſuo ſplendori atque dignitati reſtituantur, vt iudices ſpectatæ fidei, probitatis, integritatis atq; ſapientiæ deligantur, vt ius cuiq; ſuum citra προσωποληψίαν καὶ δωροδοξίαν, ſine perſonarum reſpectu, & munerum acceptione reddatur. Nec verò alijs tantùm hanc iudiciariam poteſtatem permittit ad illam exercendam aptis et idoneis, ſed ipſemet in iuredicendo nulli operæ atque labori ſuo parcit. Quibuſuis vel viliſſimæ & abiectiſſimæ ſortis conditionisq; hominibus facillimi ſunt ad illum aditus, pauperum, inopum, orphanorum, viduarum, ne potentum et opulentorum vi atq; calumnijs circumueniantur, circumſcribantur & opprimantur, paternam curam gerit, ſummamq; cautionem adhibet, ita vt huiuſmodi hominum miſerorum verè aſylum, portus atq; perfugium dici mereatur. Vterque igitur imitatus eſt Conſtantinum illum Magnum, ad quem infimo cuique facillimus ſemper patuit acceſſus. Is quoque cùm aulam ſuam vellet eſſe quaſi aſylum innocentiæ, aram ſalutis, perfugium atque præſidium miſeris & afflictis, conſtitutionem edidit pio & bono Principe dignam, vt pupilli, viduæ,

infirmi, & aliæ perſonæ, vt appellantur, miſerabiles, in ſuis tantùm domicilijs, prouincialiue conueniantur: neque vllo Principis reſcripto poßint inuiti aliò pertrahi, ne in ipſius quidem Imperatoris aulam. Ipſis tamen vt integrum ſit ac liberum, ſi alicuius potentiam reformidant, eò recurrere, & aduerſarium ad Principis cognitionem atque tribunal reuocare. Vtinam omnes Reges, Principes ac Magiſtratus Chriſtiani hac in parte, vt etiã in alijs, tres hoſce Reges ac Imperatores verè magnos, immò maximos imitarentur potius, quàm Philippum illum Macedonum Regem, qui aniculam quandã ab eo conflagitantem, vt cauſam ſuam audiret, à ſe repulit, dicens, ſibi tantum non eſſe otij, vt audiret vulgi cauſas. Huic illa, Ne ſis igitur, inquit, Rex: quo dicto ſcitè vereque ſignificauit Regis ac Principis proprium munus eſſe audire vulgi, & quorumuis vel infimæ ſortis hominum cauſas, cui quidem officio qui deſit, illum Regis titulo & honore eſſe indigniſsimum. Et certè diuinitus tutela orphanorum, viduarum, & talium perſonarum, quas potentiorum iniurijs conſtat obnoxias eſſe & expoſitas, Regum & Principum fidei commiſſa eſt. Et hæc de iudicijs.

Quintum politicæ & ciuilis adminiſtrationis membrũ ſunt Tributa & Vectigalia Publica, in quibus verè Cicero & Reipub. vniuerſæ neruos, & belli ſubſidia, & pacis ornamenta eſſe dixit, ita vt nullũ ſine his, quemadmodum Vlpianus quoq; iuris conſultus ſapienter quodam in loco monuit, Imperij tanquam corpus conſiſtere, aut contineri poßit. Non tacendum etiam hîc Cor. Taciti grauißimi ſcriptoris dictum eximium: Neq; quietem gratam ſine armis, neq; arma ſine ſtipendijs, neq; ſtipendia ſine tributis haberi poſſe. Nulla itaque religio vetat aut vectigalia, aut tributa vel imponere ſubditis, vel exigere, quæ Chriſtus, Apoſtoli & Eccleſiæ primitiuæ Chriſtiani Regibus, Imperatoribus, Principibus quantumuis idololatricis et impijs pendenda eſſe partim exemplo ſuo, partim verbis docuerunt. Verùm in tributis huiuſmodi vel imponendis, vel exigendis, vel etiam nonnunquã remittendis iuſtus et æquus Regibus, Principib. et Magiſtratibus eſt tenendus modus.

modus. Dent itaq; operã, vt iuſto et æquabili modo exigãtur, et quæ ex acta ſunt, nõ in vſus priuatos, ſed in Reip. vſum impendantur. Non remittere debent vniuerſa vectigalia, quod Neronẽ aliquando cogitaſſe Sueton. ſcribit, ſed Senatũ, laudata hac eius animi magnitudine, obſtitiſſe, cùm diceret, hanc totius Imperij diſſolutionẽ fore. Non etiã rigide nimis à quibuſuis & quaſuis ob res exigenda. Veſpaſianum legimus pro infami ſordidaq; ſua auaritia ab ipſis quoq; mendicis non tam tributum, quàm ſtipem atque adeò ex lotio quoque exigere fuiſſe ſolitum. Vnde filio eius ſordidum & impurum hoc tributi genus reprehendenti, pecuniam ex prima penſione collectã, admouit ad nares, ſciſcitans, num odore offenderetur, & illo negante: Atqui, inquit, è lotio eſt. C. Caligulam quoque, monſtrum illud naturæ noua, inuſitata & inaudita non per publicanos tantùm, ſed etiam per centuriones, tribunosq; prætorianos, ab omni hominum genere pro edulijs, quæ tota vrbe venirent, pro litibus atq; iudicijs, ex matrimonijs, ex lenocinijs, quæſtu meretricio, & id generis exigi curauit. Sed deteſtantes & execrantes boni Principes & Magiſtratus huiuſmodi tributa, contrà meminerint dicti Tiberij: Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere. Is enim cùm haberet & ærarium & fiſcum valde attritum, & multis bellorum calamitatibus afflictum, remiſit populo aliquando partem quandam vectigalis cuiuſdam, quod fiſco pendi quotannis ſolebat. Cenſuiſſe quidem Iulium quoque Cæſarem produnt, olim in Senatu tertiam partem tributorum remittendam eſſe. Sed de alieno liberalis, non populo & Reipublicæ conſulendi cauſa, ſed auræ popularis captandæ, & hoc pacto viam ſibi ad tyrannidem, quam affectabat, ſternendi muniendiq; cauſa id fecerat. Mediocritatem hanc auream, iuſtam & æquabilem in tributis Carolum M. legimus adhibuiſſe, ita vt & tributa atque vectigalia, ſicut etiam decimas atque nonas ad Reipublicæ Eccleſiæq; vſum neceſſarium exigi iuſto debitoq; modo curauerit (id quod inſignes aliquot eius de theloneis, de portorijs, de vectigalibus, de tributis, de decimis & nonis leges teſtantur) & tamen ea ipſa in re moderatum ſeſe præbuerit, minimeq; populũ & ſubditos ſuos

nimis grauibus tributis atque vectigalibus, & rigidis acerbisq; tributorum atque vectigalium exactionibus onerari, premi ac tantùm non opprimi ſit paſſus. Nam vt in tributis ſciebat eſſe Reipub. neruos, vt paulò antè ex Cicerone dictum eſt, ita non ignorabat verum eſſe illud Traiani Imperat. dictum, Fiſcum eſſe veluti lienem, quo increſcente, reliqua membra imminui atque contabeſcere eſt neceſſe. Non minor autem hac quoque in parte eſt Henrici noſtri M. laus atq; gloria, qui, licet æraria atq; fiſci Regij diuturno iſto bello ciuili exinaniti ſint atq; exhauſti, ita vt tributorum & vectigalium, vel nouorum impoſitio, vel antiquorum exactio non iuſta ſolùm, ſed etiam penè neceſſaria eſſe videatur, tamen Tiberij illius Imperat. cuius paulò antea facta eſt mentio, imitatione populi ſui, quem ſimiliter diuturna iſta belli inteſtini tempeſtate atq; calamitate exhauſtum, & ad extremæ egeſtatis terminos redactum eſſe nouit, pia Chriſtianaq; commiſeratione tactus, illum tributorum & vectigalium onere quibuſuis modis curat releuari. Quòd ſi enim Vlpianus non dubitauit pronuntiare, ſterilitatis cauſam eſſe iuſtiſſimam, propter quam poſſeſſores tributis releuentur, quo nomine etiam priuati Domini ſuis colonis mercedem remittunt, Rex hic iuſtiſſimus & pijſſimus non minus iuſtas & æquas, ſubditos ſuos miſerrimos, non vnius, duorum, trium aut paucorum, ſed triginta & amplius annorum horrendis miſerandisq; direptionibus, deprædationibus, agrorum oppidorumq; deuaſtationibus & depopulationibus diuexatos, afflictos, attenuatos & attritos, releuandi hoc tributorum & vectigalium onere cauſas habere ſe exiſtimat.

Sextum adminiſtrationis politicæ membrum ſunt Ædificia. Regia profectò res eſt & Principibus digna ædificare, & non minus ſæpè Dominus domo, quàm domus Domino cohoneſtari ac decorari conſueuit. Vnde Martialis duas ob cauſas optauit diuitias, ſcilicet vt donet, & ædificet. Sed vt omnibus alijs in actionibus, ita in ædificando non priuatis ſolùm hominibus, ſed etiam Regibus, Principibus & Magiſtratibus tenendus eſt modus, nec imitandus Nero, qui, vt ſcribit Suetonius, nulla alia ferè in re Reipub. fuit damnoſior, quàm quòd in ædificando

cando omnem ferè modum exceſſit. Sic Reges, Principes & Magiſtratus nonnulli ædificaturientes, hoc eſt, inſatiabili & inſano ſuo ædificandi ſtudio fiſcum, ærarium, publicas & priuatas opes exhauriunt (vnde egeſtas publica & priuata) & ſæpè ex ſubditorum ſuorum ſanguine ædificant, qui clamorem tandem tollit in cœlum, Deum ad iram, ad iuſtam grauemq; vindictam prouocans.

Carolus M. ceu ædilis induſtrius ac fidelis ædes & ædificia publica cùm prophana, tùm præcipuè ſacra, item pontes, naues, portus, vias ſartas tectas conſeruari, & vel vetuſtate collapſas, vel vi tempeſtatum hominumq; dirutas reædificari & reſtaurari curauit, qua de re extant aliquot ſeueræ eius conſtitutiones, quibus eam curam pontificibus, Epiſcopis finitimis prætorib. ac præfectis ſuis demandauit, & quidem vt ædes in primis ſacras ex bonis Eccleſiaſticis refici curent, iiſdem præcipit. Deinde Carolus Magnus non ſuperbia, arrogantia, ambitione, ſed Dei gloria, charitate erga patriam, Rempublicam & Eccleſiam ductus, ædificia cùm ſacra, tùm prophana ad Eccleſiæ Regniq; decus, dignitatem atq; præſidium, in diuerſis Imperij ſui partibus extrui curauit, ac quædam inchoauit, quædam etiam perfecit. Baſilica Aquigranenſis (qua in vrbe nobiliſſima, olim Vegerra dicta, ſepultus iacet) propter amorem Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ob honorem ſanctæ & æternæ virginis genetricis eius, vt Eginhartus ſcribit, admirabili opere, proprioq; eius ſumptu fuit cōſtructa. Pons propè Maguntiam in Rheno ligneus, 1. paſſuum longitudine, qui cùm decem annorum ſpacio conſtructus, ſubitò & fortuitò totus tribus horis ante eius mortem conflagraſſet, eum reædificare & lapideū facere conſtituerat. Palatia duo inchoauit egregij operis: Vnum Nouiomagi (quam vrbem recens illuſtriſſimus & omni laude digniſſimus Mauritius Comes Naſſouius occupauit) ſuper Vuahalem fluuium, qui Batauorum inſulam à parte meridiana præterfluit. Alterum non procul à Moguntiaco ſeu Moguntia iuxta Ingelheim, vbi nonnulli illum volunt eſſe natum. Præterea claſſibus ædificatis, & per omnes portus & oſtia fluminum ſtationibus & excubijs diſpoſitis, cùm Ita-

liam à Mauris, tùm Galliam & Germaniam à Northmannis & alijs nationibus barbaris tutam reddidit. Et vt olim Conſtantinus Magnus & Byzantium à Septimio Seuero funditus euerſum, cùm annos propè centum in cineribus iacuiſſet, erexit & inſtaurauit, ita vt Imperij, doctrinæ, legum ac literarum ſedes & cuſtos fuerit (vnde etiam ab illo fuit Conſtantinopolis dicta) & Auguſtodunum Heduorum à Gallieno Imp. dirutum reſtituit, vt ab auctore ſuo Flauio Conſtantino Flauia ſit appellata: ſic Carolus M. Florentiam vrbem dirutam reparauit, & florentem verè reddidit.

Henricus M. Galliæ & Nauarræ Rex maximo dolore afficitur, quòd Martis vi, impetu & furore multa paßim in vrbibus, & in agris ſplendidißima, ampliſſima ac magnificentißima cùm ſacra, tùm prophana ædificia videt ac audit quotidie deformari, concremari, ſolo æquari, dirui ac diſturbari. Nihil illi contrà gratius & optatius eſſe poſſet, quàm vt illa ſarta tecta manerent. Itaque quocunque poteſt modo (niſi ſumma neceßitas & perdita profligataq; quorundam ſubditorum eius peruicacia illum contra naturam et conſuetudinem ſuam facere cogat) ædificijs quibuſuis parcit, cuius quidem rei omnes, qui ſub illo, & cum illo, & pro illo militant, ei teſtimonium perhibent. Non enim ſibi cum ædificijs inanimatis, ſed cum hoſtibus & perduellibus obſtinatißimis bellandum atque pugnandum eſſe dicere ſolet. His adde, quod vt Carolus M. Florentiam vrbem ſua liberalitate inſtaurauit, ita hodie quoq; inter illuſtrißimum Principem Florentinum, Archiducem Hetruriæ, & Henricum M. maxima intercedit amicitia.

Venio ad res actionesq; illius cùm Eccleſiaſticas tùm Scholaſticas, hoc eſt, partim ad Eccleſiã, partim ad Scholam pertinentes. Primò ergò religionem Chriſtianam, vt inquit Eginhartus, qua ab infantia fuerat imbutus, ſanctißimè, & cum ſumma pietate ac veneratione coluit. Sic Henricus M. religionem Chriſtianam, quam cum matris penè lacte imbibit, & in qua à teneris vnguiculis inſtitutus fuit & imbutus, ſanctè & conſtanter colit.

Nec

Nec verò Chriſtianæ religionis tantùm cultor Carolus M. extitit, verùm etiam Eccleſiæ pariter atq; religionis Chriſtianæ propagator & propugnator aduerſus barbaras gentes à Chriſtiana religione abhorrentes illiusq́; odio flagrantes acerrimus & grauiſſimus. Itaque non tam Regni corporei et terreni, quā Regni Chriſti & cœleſtis fines atq; pomœria extendere, proferre ac longè lateq́; propagare omnibus opibus atque viribus ſuis eſt conatus. M. Tullius Regum, Principum ac Magiſtratuum munus & officium vno quaſi faſce complectens, verè ſapienterq́; dixit, Reipublicæ benè conſtitutæ fundamenta atque membra, quæ tuenda Principibus & vel capitis periculo defendenda ſint, hæc eſſe: Religiones, poteſtates Magiſtratuum, leges, iudicia, iuriſdictionem, fidem, rem militarem, ærarium. Harum rerum tot & tantarum defenſorem & patronum eſſe (in quorum numero meritò reponendus Carolus Magnus, & eius gentilis & ſucceſſor Henricus M.) magni ait eſſe animi, magni ingenij magnæq́; conſtantiæ. Religionis autem non ſine cauſa primò meminit, propterea quòd illa non modò Eccleſiæ, ſed etiam Reipub. (quæ ſine religione latrocinium potius, quàm Reſpub. dici meretur) ac omnium reliquarum virtutum, eſt fundamentum atque caput,

Porrò Carolus Magnus religionem Chriſtianam non vi, armis, tormentis, & ſupplicijs diris ac funeſtis, ſed exemplo vitæ piæ, ſanctæ & religioſæ, lenitate, manſuetudine atque patientia, ieiunijs, votis atque precibus, admonitionibus & inſtitutionibus grauibus, legibus, edictis ac conſtitutionibus ſanctis, denique Synodis ſiue Nationalibus, ſiue œcumenicis & vniuerſalibus tuendam, conſeruandam, promouendam ac propagandam eſſe ducebat. Eadem Henrici quoq; M. mens eſt atq; ſententia, idem conſilium, idem deniq; conatus pietatis ſapientiæq́; pleniſſimus.

Ac quoniam Conciliorum ſeu Synodorum hîc facta eſt mentio, certo certius eſt, vt conſtat ex primitiua Eccleſiæ hiſtoria, antiquos illos Imperatores & Reges Chriſtianos exortis in Eccleſia turbis, ſchiſmatibus, erroribus, hæreſibus, abuſibus, regnantibus & dominan-

tibus vitijs, ſceleribus atq; flagitijs, nihil ſatius, nihil ſanius & ſalutarius iudicaſſe, quàm Synodum ſiue Concilium cogere, in quo tanquam in ſacroſancto Senatu & parlamento, cauſa cognita, collatisq; ſententijs, re cum re, cauſa cum cauſa, ratione cum ratione collata, controuerſiæ dirimerentur. Hoc illi pacto huiuſcemodi Eccleſiæ morbos, vulnera atque vlcera optimè curari atque ſanari poſſe arbitrabantur. Nec vlla his Eccleſiæ ſanandæ melior illis & ſalutarior videbatur eſſe medicina. Concilia etenim iuſta, legitima & libera, Eccleſiæ nerui, muri, munimenta, firmamenta: hæreſeon, errorum, abuſuum, ſcelerum & flagitiorum antipharmaca ſiue antidota atque remedia verè meritoq; appellari poſſunt. Idcirco Licinius impius & improbus Conſtantini M. collega, religionis Chriſtianæ hoſtis immaniſsimus, omni ſtudio Epiſcoporum conuentus impedire ac diſsipare conſueuerat, propterea quòd pro ſua aſtutia & calliditate, nihil ad pacem, quietem & tranquillitatem, ad doctrinam religionemq; veram tuendam, conſeruandam ac ſtabiliendam, ad errores, hæreſes, ſchiſmata cauenda, euitanda atque tollenda, his comitijs vtilius, fructuoſius & efficacius eſſe cernebat.

Has autem Synodos cùm nationales, tùm Catholicas ſeu Vniuerſales indicendi & cogendi poteſtas iam inde ab Conſtantini M. temporibus fuit penes Cæſares, Imperatores & Reges. Sic Theodoſius M. Conſtantinopolitanam, Theodoſius alter Epheſinam, & Martianus Chalcedonenſem coegit, vt de poſterioribus taceam. Id Hieronymi quoque auctoritate & teſtimonio comprobari poteſt, qui teſtatur, id ſuis temporibus non modò factum fuiſſe, ſed etiam fieri debuiſſe. Cùm enim Synodum quandam, quam obijciebat Ruffinus, confictam eſſe contenderet: Doce, inquit, quis Imperator eam iuſſerit congregari: & alio loco meminit imperialium literarum, quæ Orientis & Occidentis Epiſcopos, propter quædam Eccleſiarum diſsidia, Romam pertraxiſſent.

Carolus itaq; M. cùm ſuis temporibus Eccleſiam animaduertiſſet multis næuis atq; maculis eſſe deformatam, & ſchiſmatibus, diſsidijs,

factionibus,

factionibus, erroribus & hæreſibus non paucis laborare. Conſtantini M. Theodoſij M. Theodoſij ſecundi, Arcadij, Honorij, Gratiani, Martiani, Valentiniani & aliorum Imperatorum Chriſtianorum (penes quos ſolos antiquitus Concilia indicendi atq; cogendi erat poteſtas) exemplo ac imitatione, non vnam tantùm, & alteram, ſed V. Synodos ſiue Concilia reformatoria, vti vocantur, conuocari celebrariq; auctoritate ſua curauit, ad Eccleſiæ pacem & tranquillitatem conciliandam, & antiſtitum vitia & errores corrigendos & emendandos. Nec verò Synodos has Carolus M. ſolùm indici curauit, & cogi, ſed etiam illis & interfuit & præfuit, nec in illis ſe præbuit quaſi κωφὸν πρόσωπον, ſed cum præſentia & auctoritate, tùm monitis, præceptis, conſilijs ſuis religioſiſſimis & ſapientiſſimis eas ornauit & adiuuit.

Hodie Henricus ſimiliter M. nihil magis expetit & exoptat, quàm vt & Comitia politica, res politicas & ciuiles, ipſamque adeò Rempublicam totam conſtituendi gratia, et ſacras ſiue Eccleſiaſticas, res ad Eccleſiam & religionem pertinentes componendi cauſa, conuocare atq; celebrare poſſit: quod ipſum ſtatim ab initio ſuæ ſucceſſionis in hoc Regno ſanctè ſe facturum affirmauit atque promiſit. Hoc ipſum vt ſemper habet in animo, ita ſemper quoq; habet in ore. Videt enim pro ſua prudentia, id non modò vtile eſſe & fructuoſum, ſed etiam ad continendam Reipublicæ & Eccleſiæ diſciplinam ferè neceſſarium. Quamobrem grauiter dolet, & ægrè moleſteq; fert, id ſibi per hoſtes ſuos non licere, qui ipſius maieſtatem, totumq; Regnum effrænata hac indomitaque ſua contumacia ita diuexant, exagitant, perturbant, vt vix ei reſpirandi, nedum Synodos atque Concilia indicendi & habendi ſit facultas.

Quòd ſi enim antiquis illis temporibus, quibus Carolus M. floruit, quando vita & religio Chriſtianorum non ita erat corrupta, opus erat Synodis atq; Concilijs, vnde Carolus M. non vnum & alterum, ſed plura coegit: quantò magis perditis his noſtris temporibus, quibus non vulgi tantùm & laicorum, vt vocantur, ſed ipſorum Eccleſiæ antiſtitum (qui tamen eius lumina atq; columina haberi volunt) longè cor-

ruptior & vitioſior eſt & doctrina & vita, opus eſt huiuſmodi Synodorum quaſi medicamentis, quibus non modò Romanæ, ſed etiam Reformatæ Eccleſiæ, vt vulgò appellantur, reformentur, & à multis næuis atq; maculis repurgentur. Nam ſi verum fateri licet, non Romanæ ſolùm Eccleſiæ, ſed etiam quæ Reformatæ & Euangelicæ vocari & haberi volunt, reformatione vehementer indigent, cùm ipſæ quoq; multis in locis cùm vitiorum, ſcelerum & flagitiorum licentia, tùm erroribus, hæreſibus, diſſenſionibus grauiſſimis laborent. Eccleſiæ itaq; reformationẽ ceu valde neceſſariam alij quoq; Imperatores, Cæſares & Reges Chriſtiani vehementer flagitarũt à Pontificibus Ro. ſed nihil ferè adhuc impetrare potuerunt. Sigiſmundi Imp. quantum hac in re ſtudium extiterit, acta eius ſatis teſtantur. Is conſultantibus quondam ſecum Cardinalibus nonnullis de Reformatione Eccleſiæ, et dicentibus illam incboari oportere à Minoritis, feſtiuè reſpondit, non à Minoritis, ſed à Maioritis.

Huius rei teſtis quoq; eſt aureus verè libellus centũ grauaminum, vt vocant, importabilium à toto Imperio in comitijs Norinberg. anno M. D. XXII. *Adriano Pont. Ro. oblatus. Adrianus, illo accepto, liberè confeſſus eſt, turbas atq; mala iſta præſentia omnia à Curia Ro. proficiſci, ac pollicitus eſt, ſe daturum operam, vt reformatio inſtituatur, & vt morbus inde ad omnia membra emanauit, inde etiam ſanitas exoriatur. Sed morbum hunc eſſe inueteratum, & idcirco pedetentim eſſe curandum.*

Porrò caput & fundamentum vt religionis, ita Synodorum & Comitiorũ huiuſmodi iudicari debet ſcriptura Canonica, Prophetica & Apoſtolica, ad quam ceu normam & regulam certã & rectam omniã dogmata controuerſa explorari debent. Sacræ enim literæ ſunt veluti tabulæ à Deo conſignatæ, quarum oraculis religionis controuerſiæ definiantur, quarum iudicio verum à falſo diſcerni, & ad quam denique tanquam ad regulam non dubiam, incertam, fallacem, ſed certam & veram tota Eccleſiæ doctrina exploretur, à qua vel latum vnguem, quando de religione agitur, diſcedere nefas. Si enim ciuilis iuris di-

ctia ſcriptis legibus magis regitur, quàm arbitrio Magiſtratus: Si apud Romanos à Prætoris formula olim iudex datus recedere non potuit in iudicando, quantò minus nos, cùm de diuinis quæſtio eſt, à ſupremi illius noſtri legiſlatoris & iudicis ſcriptis, legibus, ſententijs ac ſtatutis recedere decet. Id piè ſapienterq́ue olim ſenſit Conſtantinus ille Magnus, qui idcircò in Synodo illa Nicæna omnium Synodorum & Conciliorum, quæ poſtea acta ſunt, facilè principe CCC. circiter patribus ex toto terrarum orbe congregatis, hanc ipſam aureã legem, quam ſequerentur, præſcripſit, cuius hæc ſunt verba, memoria ſanè perpetua digniſſima. Εὐαγγελικαὶ βίβλοι καὶ ἀποστολικαί, καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ θεσπίσματα σαφῶς ἡμᾶς ἃ χρὴ περὶ τοῦ θείου φρονεῖν ἐκπαιδεύουσι. Τὴν πολέμιον οὖν ἀπελάσαντες τὴν ἔριν, ἐκ τῶν θεοπνεύστων λόγων λάβωμεν τῶν ζητουμένων τὴν πίστιν. Pia, ſancta et ſapiẽs hæc fuit ſapientis et religioſi illius Imperatoris conſtitutio, quæ multis præterea deinde alijs & Epiſcopis & Principibus ſanctis vehementer placuit. Ambroſius ad Gratianum Imp. ſcribens: Scripturæ, inquit, interrogentur, interrogentur Apoſtoli, interrogentur Prophetæ, interrogetur Chriſtus. Auguſtinus ſimiliter cum Petiliano Donatiano congreſſurus, hos inprimis poſtulat arbitros. Non audiemus, inquit, hæc dico, hæc dicis: ſed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorum auctoritati vtrique conſentimus, vtrique credimus, vtrique ſeruimus. Ibi quæra-
5 mus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram. Idem narrat Theodoſium, cùm iuſſiſſet conuenire Synodum Carthaginenſem, in qua Epiſcopi Donatiani cum Orthodoxis conferrent, huic collationi (vt appellabatur) hanc legem præſcripſiſſe, vt ſuperſtitionẽ manifeſta ratio refutaret. Chriſtianos autem inprimis proteſtatos, in ea, quæ tum agicabatur, quæſtione, non niſi ſcripturarum diuinarum teſtimonijs vti ſeſe velle. Conſtantinus quoque Pogonatus, cùm propter Monothelitas Synodum Conſtantinopolitanam coegiſſet, Epiſcopos, qui conuenerant, monuiſſe dicitur, vt poſita contentione verum inquirerent, ex ipſaq́ue etiam Bibliotheca Conſtantinopolitana depromptos ſacrarum literarum libros ijs propoſuiſſe.

Eadem igitur fuit Caroli M. mens atque ſententia, qui quantum ſacris et Canonicis literis tribuerit, cũ ex eo patet, quòd omnes veteris & noui Teſtamenti libros, librariorum imperitia, lectorum oſcitantia, interpretum inſcitia, & incuria temporũ deprauatos, ad amußim veritatis, & fontis correxit, & quòd nouum Teſtamentum non dubitauit in linguam Germanicam conuertere: cùm ex multis, quæ allegari poſſent, præclaris luculentisq́ eius ſententijs. Huiuſmodi eſt illa in præfatione libri ſcripti aduerſus Synodum ſeptimam de idololatria. Ibi grauißimè inuehitur in illos religionis Eccleſiæque antiſtites, qui, vt inquit, poſtpoſita ſana ſobriaque doctrina, & paruipendentes illud Apoſtolicum, ſi quis Euangelizauerit vobis præter id quod Euangelizatum eſt, etſi angelus ſit, anathema ſit, & tranſgredientes contra Propheticã inſtitutionẽ terminos maiorum, per infames et ineptißimas ſynodos Eccleſiæ inferre conantur, quod nec Saluator, nec Apoſtoli intuliſſe noſcuntur.

Sic Henricus quoque Magnus ſecundum verißimam hanc priſcorum illorum Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ Imperatorum & Patrum, Epiſcoporumq́ue ſententiam, ſanctam diuinam & Canonicam ſcripturam ſentit & iudicat, quarumuis de religione controuerſiarum iudicem, & arbitram eſſe optimam ac perfectißimam, & ad illam ceu lydium lapidem quamuis doctrinam eſſe explorandam, ad hunc Canonem (vndè ſic dicta eſt) hoc eſt, normam atque regulam diuinam & cæleſtem, & religionem, & Eccleſiam, eiusque doctorum & paſtorum vitam pariter atque doctrinam conformari, &, ſi opus ſit, reformari deberẽ. Ex hac ſi quis illum ipſum alicuius erroris, hæreſis, ſuperſtitionis, opinionis prauæ conuicerit & meliorem ſanctioremq́ue doctrinam edocuerit, publicè libereq́ue profeſſus iam aliquoties eſt, & adhuc profitetur ſe pia debita iuſtaque cùm erga Deum, tum erga homines (meliora cùm docentes) animi gratitudine libentißimè, depoſita abiectaque ea, in qua ſit natus, educatus & inſtitutus à teneris vnguiculis, religione, aliam ambabus, quod dicitur vlnis, magna cum animi lætitia amplexurum, culturum, & quibuſuis

quibuſuis alijs eiuſdem amplectendæ & colendæ fidelem auctorem, ſuaſorem & impulſorem futurum.

Iam verò cùm ad religionem & Eccleſiam bene docendam, regendam & moderandam certi requirantur homines, quorum neceſſe eſt, vt & iuſta legitimaque ſit vocatio, & ſana doctrina, & ſancta religioſaque vita: cumque totum eorum munus ſeu miniſterium ſacrum, & Eccleſiaſticum partim in verbi diuini prædicatione, partim ſacramentorum, quæ à Chriſto inſtituta ſunt, & diſciplinæ iuſta legitimaque adminiſtratione conſiſtat: cùm denique ad hæc omnia obeunda requirantur, & loca ſiue templa, & dies certi, & vaſa ſeu inſtrumenta ſacra, de his omnibus extant quædam eiuſdem Imper. glorioſiſſimi conſtitutiones, quæ partim ex Canone ſacrarum literarum, partim Conciliorum cùm antiquorum, tùm recentium, quæ illius auſpicijs & auctoritate habita ſunt, Canonibus atque decretis fuerunt deprompta.

In Epiſcoporum igitur primò omnium, ſeu paſtorum & præſidum Eccleſiæ delectu atque vocatione ſummam religioſamque curam & cautionem adhibuit, ne quis ad auguſtum & ſacroſanctum illud munus niſi dignus, hoc eſt, ſpectatæ probatæque cùm doctrinæ & eruditionis, tum pietatis & probitatis vir aſciſceretur. Hæc de re ſic Auentinus. In Epiſcoporum ſenatum, inquit, haud temerè quenquam adlegit: eruditionem atque bonitatem in illis cooptandis potiſſimùm ſpectauit: Neminem niſi iam antea ſibi probatum, probéque cognitum creauit. Nam eum ordinem ad priſtinum modum & Canonem à S. Paulo præſcriptum reuocauit. Contrà curioſiſſimè cauit, ne quis auarus, ambitioſus, luxuúe perditus, vnquam ad Epiſcopalem dignitatem ſueheretur. Hyldegardæ itaq; Reginæ & coniugi ſuæ dilectiſſimæ, ac nonnullis alijs aulæ proceribus pro ſacrificulo quodam rogantibus, reſpondit. Idoneo etſi pauperi iam deſtinaui: Imperatorem mentiri aut falli non decet, vt obtrudat ſuperis, cùm vitam, mores, ingenium ignoret, & tanto ne oneri par ſit, comperiũ non habeat. Quamobrem Epiſcopum Moguntinũ lituum aureũ, diſtinctũ gemmis, Cæſarei

inſtar ſceptri vſurpaſſet, ſeueriſſima oratione obiurgauit: eidem auaritiam & ſuperbiam pro concione palàm ac publicè exprobrauit: indignabundus et clamitans, en, ait, paſtores noſtros crucē Chriſti profeſſos, qui ſpreta paſcendarũ ouium cura ac ſolicitudine, oſtentatione, pompa, opibus, Imperatorem quemuis vel opulentiſſimum laceſſant. Præterea quendam pridie feriarũ Martinaliũ deſignatũ Epiſcopum, quòd is auctus tanta dignitate, amicis cœnam exhibens, & vti fit, vino ſomnoque ſepultus ſacris non interfuerat, rurſus ſacerdotio mouit: intolerabilem negligentiſſimumq́; fore ratus, qui primo die ſibi non temperaret, et ſui non compos Deum ad iracundiam prouocaret. Idem alium ob Pontificatum ſibi donatum lætitia geſtientem, & ab humo abſq́ue ſcamno, ſiue ſupedaneo vno impetu alacriter in equum inſilientem, reuocauit: Vales, inquit, vt video, viribus, & eques haud malus es: opera itaque tua in bellis, vbi virtus tua eniteſcat, indigeo. Proinde ignobili & imbecillo, cuium gregem Dominicũ relinque. Idem Imperator monachis & ſacerdotibus præcepit, vt literis operam ſedulò darent, rectè & emendatè ſcriberent, in contubernijs & ædibus ſuis pueros diligenter fideliterq́ue docerent. Sanxit præterea, vt Pontifices officio publicè in templo plebem docendi fungerentur, & vt ſacerdotes auaritiam, gulam, cauponas, negotia prophana, mulierum familiaritatem conſuetudinemq́; euitarent, aut ſacerdotio cederent, & tribu mouerentur. Nulli plures Ducatus, præfecturaſq́ue aut ſacerdotia conceſſit, dictitans ſibi alios quoque beneficijs demerendos ac deuinciendos eſſe.

Carolus igitur M. non niſi aptos & idoneos ad Eccleſiaſticum munus, hoc eſt, cùm doctrina & eruditione, tùm pietate & vitæ morumq́ue probitate ornatos & inſtructos & ipſe delegit, & deligi voluit, contrà homines ineruditos, inſcios & ignaros literarum, auaros, ambitioſos, guloſos, ebrioſos, mulieroſos ac libidinoſos, otioſos pigros, à ſacroſancto hoc munere remouendos ac repellendos eſſe duxit. In vita atque moribus Epiſcoporum, ſacerdotum, monachorum, cùm ad Canonem Apoſtolicum et Propheticum, tum ad Canones et regulas Conciliorum

ciliorum reuocandis & reformandis plurimum operæ atque ſtudij poſuit.

Idem eſt ſtudium, idem propoſitum atq; conatus Henrici M. qui vt ad politica, ita Eccleſiaſtica munera, non niſi cognitæ perſpectæq; ſapientiæ, prudentiæ, doctrinæ, fidei, pietatis, probitatis, temperantiæ, continentiæ, fortitudinis viros prouehi ac promoueri, & contrà vitijs, ſceleribus & flagitijs infames non modò ab his muneribus, honoribus, & dignitatibus abdicari, verùm etiam dignis meritisq; pœnis affici ac coerceri. Vult & id quidem ſumma ratione, iuſtaq; de cauſa non modò Reformatæ, ſed etiam Romanæ religionis antiſtites, vt epiſcopos, ſacerdotes atq; monachos vitam moresq; ſuos, præcipuè quidem ad Canonem Apoſtolicum & Propheticum, ad regulam S. ſcripturæ, deinde etiam ad illos ipſos conciliorum & patrum, de quibus multùm gloriantur, canones atque regulas, in quas iurarunt, componere, contraq; illorum canonum atque regularum violatores puniri, & muneribus ſtipendijsq; ſuis priuari.

Carolus M. voluit Epiſcopos, ſacerdotes & monachos literis omni ſtudio incumbere, vt ſint διδακτικοὶ, hoc eſt, qui & pueros priuatim in cõtubernijs & ædibus ſuis erudire ac inſtituere, & publicè populum docere poßint. Eadem eſt planè Henrici M. voluntas, eadem ſunt eius mandata atque præcepta.

Carolus M. diem Dominicam, dies feſtos & ſolennes, Chriſto Seruatori noſtro dicatos, vt Natalem, Circuncisionem, Epiphania, Reſurrectionem ſiue Paſcha, Aſcenſionem, Pentecoſten & ipſe, in bello quoque & in caſtris, celebrauit, & celebrandos eſſe ſanxit. Idem Henricus M. facit, & fieri præcipit atq; mandat, ad recolendam pia grataq; mente beneficiorum meritorumq; Chriſti ſalutarium memoriam. Quod autem præterea, teſte Auentino, ſacros religioſosque dies, & in æſtate S. Ioan. Baptiſtæ, S. Petro et Paulo in hyeme S. Martino (cuius ſacra ſecum ferre Reges Franci conſueuerant) Andreæ, Stephano, Ioanni Euangeliſtæ, infantibus ab Herode contrucidatis adiecit. Hos quidem & alios innumeros dies feſtos Carolus M. à Ro. religionis cul-

ture, legendum Henricus M.

toribus celebrari permittit, ipſe verò dies feſtos ſoli Deo & Chriſto θεανθρώπῳ & dicandos, & in eius honorem celebrandos veris legitimisq; religionis et pietatis exercitijs eſſe ducit, eosq; libenter et ſumma cum religione colit: dierum autem feſtorum & multitudinem, de qua multi olim viri pij & religioſi grauiter conqueſti ſunt, ceu otij, ludorum, libidinum, amorum cauſam & occaſionem reſecandam, & abuſum cùm ſuperſtitioſum, cùm luxurioſum, qui varius & multiplex hodie eſt inter Chriſtianos, tollendam eſſe cenſet.

Præterea Carol. M. vt dies, ita loca & ædificia certa ad pios cœtus colligendos, ad rem diuinam faciendam, ad religionem cultumq; diuinum exercendum fieri & deſtinari curauit, & ipſe quidem ſacras aliquot ædes atq; templa ſuis ſumptibus, deinde ab alijs ædificari curauit; adhæc vel vetuſtate collapſa, vel vi iniuriaúe hominum ac tempeſtatum diruta refici & inſtaurari præcepit, qua de re ſuprà quoque dictum eſt. Inter ædes autem illas ſacras principem facilè locum obtinet templum illud, in quo eius eſt ſepulchrum, Aquigranenſe, Deiparæ virginis, miræ pulchritudinis, magnificentiſſimum & ſumptuoſiſſimum, quod auro, argento, luminaribus atq; ex ære ſolido cancellis & ianuis ornauit, ad cuius ſtructurã columnæ marmoreæ (cùm aliundè habere nõ potuiſſet) Roma, et Rauenna maximis ſũptibus fuerunt aduectæ.

Verùm vt olim Conſtantinus M. ita Carolus quoq; M. in taliũ ſubſtructionum nimio ſplendore & ſuperuacaneo ornatu, ſeu luxu ſumptuoſior videtur fuiſſe & profuſior, modumq; ferè exceſſiſſe. Sed id vitio vertendum Epiſcopis illius ætatis, qui munificos illos Principes, non modò non, ſicuti par erat, admonebant, vt modum hac in re ſeruarent, ſed etiam immodicam ea in re profuſionem laudabant.

Henricus M. improbata atq; damnata & Perſarum barbarie, apud quos Xerxes, Magis auctoribus, omnia Græciæ templa inflammaſſe dicitur, & Zenonis Stoici, Diagoræ & Theodori Epicureorum & Atheorum, omnem templorum vſum tollentium ſententia: templa ædesq; ſacras ad conuentus Eccleſiaſticos, & ad rem diuinam ex præſcripto verbi diuini faciendam vtiles eſſe exiſtimat: templa ampla, ſplendida, magnifica, ſumptuoſa, auro, argento, ebore, marmore

refulgentia (quorum in vtroque Galliæ et Nauarræ Regno tanta eſt copia, vt noua extruere non ſit neceſſe) ſiue Romana, ſiue Reformata religio in ijs colatur et exerceatur, ſarta tecta tueri ſtudet, eaq́; à nonnullis vtriusque religionis cultoribus inſano præcipitiq́; quodam zelo, ſeu furore potius diripi, expilari, deformari, dirui ac deſtrui ægrè fert ac moleſtè. Idem tamen templa hæc & altaria ſecundum ſacram ſcripturam, ſecundum Eccleſiæ, quæ ante Chriſti aduentum in carnem fuit, morem et conſuetudinem, ſecundum S. Auguſtini ſententiam atque iudicium non creaturis, ſed ſoli Deo Creatori, qui vnus eſt eſſentia, trinus hypoſtaſi, dedicanda & conſecranda eſſe cenſet. S. Auguſtini hac de re ſententia luce meridiana clarior extat lib. I. ca. II. contra Maximinum Arianorum Epiſcopum his verbis expreſſa.

Nónne ſi templum, inquit, alicui ſancto excellentiſſimo, de lignis & lapidibus faceremus, anathematiſaremur à veritate Chriſti et Eccleſia Dei? Quoniam creaturæ exhiberemus eam ſeruitutem, quæ vni tantùm debetur Deo. Si ergò ſacrilegi eſſemus faciendo templum cuicunq́; creaturæ, quomodo non eſt verus Deus, cui non templum facimus, ſed nos ipſi templum ſumus? Idem lib. VIII. *de Ciuit. Dei, cap.* XXVII. *Nec tamen, inquit, nos eiſdem martyribus templa, ſacerdotia, ſacra et ſacrificia conſtituimus. quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Idem pater ille docet lib.* XXII. *de Ciuit. Dei, c.* XX. *Et lib. de vera religione, c. vlt. Non ſit nobis religio, inquit, cultus hominum mortuorũ. Quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur, vt tales quærant honores, ſed illũ à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes. Honorandi ergò ſunt propter imitationẽ, non adorandi propter religionẽ. Si autẽ malè vixerunt, vbicunq́; ſint, colendi non ſunt. Et paulò poſt: Hoc etiam ipſos angelos, & excellentiſſima Dei miniſteria velle credamus, vt vnũ cum ipſis colamus Deũ, cuius contemplatione beati ſunt. Quare honoramus eos charitate, non ſeruitute, nec templa eis conſtruimus. Nolunt enim ſic honorari à nobis, quia nos ipſos, cùm boni ſumus, templa ſummi Dei eſſe nouerunt. Hæc ille, quæ Car. M. qui aſſiduus fuit librorũ S. Auguſtini lector, et quaſi helluo, ignorare non potuit.*

Præterea Henricus M. templorum vera ac Deo gratiſſima ornamenta eſſe exiſtimat, non æs, aurum, argentum, marmora, ebora, gemmas, luminaria, cereos, organa, vaſa veſteſq; precioſas, imagines, ſtatuas atque ſimulachra, ſed oracula diuina, ſacramenta, preces, vota, eleemoſynas, aliasq; huiuſmodi actiones ſacras, quæ ſecundum ſacræ ſcripturæ canonem in illis peraguntur ac celebrantur, & quidem peragi ac celebrari debent. Non igitur in templorum & baſilicarum magnificentia & ornatu, ſed in virtutibus & operibus ſanctis religionem veram conſiſtere exiſtimat. Vnde etiam Carolus M. in libro illo ſuo contra imaginum cultũ ſic ſcripſit: Nam quid nam ſancti patres, vt cæteros taceam, Paulus Antonius, Hilarion, vel omnis Anachoritarum ſiue Eremitarum caterua, qui decorem baſilicarum, ſiue imaginum depictarum non habuerunt, ſed in quibuſdam tuguriolis ſuas Deo animas dedicauerunt, idcirco ſancti non ſunt, & ideò aut non diligebant decorem domus Domini, aut locum habitationis gloriæ Dei flagranti pectore contemplari non deſyderabant, quia imagines non habebant nec adorabant? Intra ſe etenim ſicut & cæteræ ſanctæ animæ templum Dei, & locum habitationis gloriæ eius habebant, dicente vaſe electionis templum, vt Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Idem paulò poſt, Domus Dei decorem non in imaginibus materialibus ſed in virtutibus refulgentem licet videre. His congruunt illa Hilarij Epiſcopi Pictauorum in libro contra Auxentiũ Mediolanenſem ſub finem. Vnum moneo, inquit, cauete Antichriſtum. Malè enim vos parietum amor cepit, male Eccleſiam Dei in tectis ædificijsq; veneramini, malè ſub his pacis nomen ingeritis, an non ambiguum eſt in his Antichriſtum eſſe ſeſſurum? Montes mihi & ſyluæ, & lacus, & carceres, et voragines ſunt tutiores, in his enim Prophetæ aut manentes, aut demerſi Dei ſpiritu prophetabant.

Carol. præterea M. vt ad illum redeam, teſte Eginharto, ſacrorum vaſorũ ex auro et argẽto, veſtimentorumq; ſacerdotaliũ tantã in templo illo Aquigranẽ. copiã procurauit, vt in ſacrificijs celebrandis, ne ianitoribus quidẽ (qui vltimi Eccleſiaſtici ordinis ſunt) priuato habitu miniſtrare neceſſe fuerit.

Hen-

Henricus M. non contemnit quidem aut damnat vaſorum aureorum & argenteorum, in ſacroſanctæ Euchariſtiæ (quam veteres ſacrificium vocarunt, quod vnius ſacrificij Chriſti ἱλαστικοῦ ſit μνημόσυνον, id eſt, monumentũ, ſignũ, ſigillũ atq; pignus) celebratione. Idem tamen religionem non in auri, argenti, eboris ac marmoris, vaſorum & ſupellectilis ſumptuoſæ & pretioſæ, ſed in virtutũ operumq; bonorum ſplendore ac nitore conſiſtere, nec vaſis & veſtibus precioſis & ſplendidis. ſed animis, meditationibus, precibus, votis ieiunijs, eleemoſynis Deum placandum eſſe perſuaſiſſimum habet. Non eſt neſcius Chriſtum, Apoſtolos, Epiſcopos & Chriſtianos Apoſtolicæ & Primitiuæ Eccleſiæ vaſis ac veſtibus ſimplicibus frugalibus moderatisq; contentos, ijsq; in externi cultus adminiſtratione vſos fuiſſe. Satius deniq; longè & ad Deum placandum efficacius eſſe exiſtimat, ſecundum antiquum illud Bonifacij dictum, Epiſcopos potius & auditores (qui vaſa ſunt & templa Dei ſpiritualia) eſſe aureos & argenteos, id eſt, virtutibus quouis auro & argento pretioſioribus veſtitos & ornatos, quàm aurea & argentea habere pocula atq; vaſa.

Carolus M. curabat, Eginharto teſte oculato, vt omnia, quæ in templo gerebantur, cum quàm maxima fierent honeſtate: æditousq; admonebat ne quid indecens aut ſordidum aut inferri, aut in eo manere permitterent. Ita Henricus M. omnem dat operam pro eximia ſua pietate, vt omnia in Eccleſia & domo Domini εὐτάκτως καὶ εὐσχημόνως, hoc eſt, ordinatè, decorè, decenter, religioſè reuerenterq; iuxta regulam ac normam verbi diuini fiant ac celebrentur, Eccleſiamque ab omnibus hæreſeon, errorum, ſuperſtitionum ſordibus ac fæcibus repurgandam, ſummamq; cautionem adhibendam eſſe cenſet, ne affectus, geſtus habitusq; ſordidos & indecoros in templum Dei inferamus, atque ita illud polluentes Deum ad iram iuſtam grauemq; prouocemus. Vt Chriſtus ſacrorum mercatores & negotiatores cum ſupellectili ſua flagellis ex templo eiecit: ita omnes rerum ſacrarum nundinationes & negotiationes, omnes errorum, hæreſeon, ſuperſtitionum ſordes & quiſquilias ex Eccleſia ſeu domo Domini cupit exturbari.

Miretur autem non nemo in tam diligenti & accurata explicatione vaſorum, veſtimentorum, luminarium & aliorum huiuſmodi ornamentorum, quorum conſtat Carolum Magnum admodum, ſeu ſupra potius modum (ſi verum fateri licet) fuiſſe cupidum, nullam ab Eginharto & alijs imaginum, ſtatuarum & ſimulachrorum, quæ fieri fabricariúe curarit, mentionem fieri. Verùm mirari quis deſinet, ſi temporum illorum ſtatum, & Caroli M. de imaginibus iudicium, ſententiam actionesq́ conſyderauerit.

Conſtat enim ex hiſtoria Eccleſiaſtica, Caroli Magni temporibus ac poſtea quoque (vt etiam hodie) graues, acres, acerbas & cruentas inter Chriſtianos, tanquam viuas Dei imagines, de imaginibus & ſimulachris contentiones ac dimicationes extitiſſe: inter Græcos Epiſcopis quidem imaginum cultum docentibus ac præcipientibus, Imperatoribus verò, vt Philippico, Leone Copronymo, Leone Iſaurico, Conſtantino Leonis Iſauri filio ſeu nepote, eundem damnantibus ac probibentibus. Itaque habitæ ſunt aliquot Synodi œcumenicæ ſibi inuicem contrariæ & repugnantes, quarum aliæ imaginum vſum cultumq́ue damnarunt, aliæ approbarunt, ac contrarium ſentientes damnarunt, diriśque deuouerunt. Atque hoc quidem triſte & funeſtum inter Conſtantinopolitanam & Romanam Eccleſiam diſſidium atq́ certamen viris ſapientibus & cordatis diuortij illius atque diſtractionis, quæ conſecuta eſt, Imperij Orientalis & Occidentalis, & translationis Imperij Occidentalis, ad Carolum M. & Francos videtur anſa & occaſio fuiſſe. Tandem Irene Leonis IIII. vxor, Conſtantini filij ſui pupilli Imperium tutoris nomine adminiſtrans, ſpe retinendi, vel recuperandi Imperij in Occidente, Adriano Pont. Ro. adulandi cauſa, VII. Synodum Conſtantinopolitanam coegit, qua decretum eſt, imagines non modò habendas eſſe ad vſum hiſtoricum, ſed etiam neceſſarias eſſe ad cultum diuinum, illasq́ idcirco venerandas, adorandas, oſculandas, colendas, cereis, ſuffitu, & ſimilibus ritibus honorandas eſſe. Hæc verò eſt Irene illa (quam Erida verius,

ſeu

ſeu Erynnim, quàm Irenem, ob immanem crudelitatem, ambitionem & contentionis ſtudium appellaueris) quæ Conſtantini VI. *ſoceri ſui (qui Leoni patri ſuccedens anno Domini,* D. CC. L V. *Synodum Conſtantinopolitanam Synodo Ro. ſub Gregorio* III. *oppoſitam coegerat, qua imaginum vſus ſimpliciter damnatus fuit) corpus effoſſum publicè cremari, cineresque in mare diſpergi iuſſerat, quæ Conſtantino filio ſuo, cui Caroli Magni filia deſponſata fuerat, quique patris imitatione ſtatuas deijci & exuri curauerat, oculos eruit, & in ſqualenti carcere varijs excruciatum tormentis vita ſua priuauit. Verùm ipſa quoque ab Imperij gubernaculis remota, & in cœnobium detruſa à Nicephoro, vitam ibi finiit.*

Poſtremò contra hanc ipſam Synodum ſeptimam Conſtantinop. Carolus M. (vt ad illum redeamus) cum Adrianus Pontifex Ro. per legatum ſuum acta iſtius Synodi ſeptimæ ei miſiſſet, vt ea autoritate ſua ab Epiſcopis Germaniæ & Galliæ approbari curaret, ipſe contrà aliam Synodum Francofurti anno. D. CC. XCIIII. *conuocauit. Illa aũt Synodo Francofurdiana (vt antiqui hiſtorici, Eginhartus, Regino, Adon, Amonius, Blondus, Auentinus, Himmarus communi conſenſu teſtantur) Synodus ſeptima ceu Pſeudoſynodus et iconolatrica damnata, & eius decreta de imaginum cultu, reſciſſa fuerunt. Adhæc infelix illa Feliciana hæreſis (quam Felix Vrgelitanus, & Eliphandus Toletanus Epiſcopus defendebant) qua Chriſtum ſecundum humanitatem adoptiuum Dei filium eſſe ſtatuebat, ſimiliter damnata fuit. Conſcripta etiam eſt Pſeudoſynodi illius ſeptimæ iuſta refutatio, quæ ſub Caroli Magni nomine edita fuit. Hi verò libri Caroli Magni continentes acta Synodi Francofurdianæ de imaginibus, tandem in Gallia ab Epiſcopo Tilio in lucem fuerunt editi. Cum ijs coniunctus eſt Paulini Aquileienſis Epiſcopi aduerſus Felicem Vrgelitanum & Eliphandum Toletanum Epiſcopos libellus, hæreſis illius Felicianæ à Felice auctore ſuo infelice ſic denominatæ refutationem continens.*

Quoniam autem hodie quoque de imaginibus & ſtatuis grauiſſima eſt inter Chriſtianos contentio, & plurimi proram & puppim, vt ita loquar, religionis cultusq́ diuini in imaginum ſimulachrorumq́ vſu atque cultu collocant, ita vt, quemadmodum olim Lactantius dixit, nullam ibi eſſe religionem, vbi ſit ſimulachrum, ita contrà nulla illis religio, vbi nulla eſt imago ſeu ſimulachrum, eſſe videatur, operæprecium duxi ſelectiores & illuſtriores quaſdam ex illis Caroli M. libris ſententias excerpere & ſubijcere, ex quibus facilè, quæ Caroli M. de imaginibus fuerit ſententia atque iudicium, colligi poteſt, quæ viris religioſis & ſapientibus dijudicanda relinquo. Carolus autem M. in illis libris quaſi arbitrum agens ac mediatorem, vt ita loquar, imagines ferendas quidem & tolerandas, in Eccleſia ad ornatum, & rerum geſtarum memoriam, nec indiſcreta & incauta, vt ſæpè loquitur, procacitate, ſiue zelo frangendas aut demoliendas eſſe, ſed tamen nullo pacto eaſdem colendas & venerandas eſſe ſtatuit, refellit ſimul & refutat argumenta, quibus aduerſarij iconolotriam, id eſt, imaginum cultum & venerationem confirmare atque ſtabilire conabantur, quibus etiam noſtræ ætatis iconolatræ vtuntur. Libri illius titulus ſeu inſcriptio eſt huiuſmodi: Opus illuſtriſſimi & excellentiſſimi, ſeu ſpectabilis viri, Caroli, nutu Domini, Regis Francorum, Galliam, Germaniam Italiamq́, ſiue harum finitimas prouincias, Domino opitulante, regentis, contra Synodum, quæ in partibus Græciæ, pro adorandis imaginibus, ſtolidè ſiue arroganter geſta eſt.

In imaginibus artificum induſtria formatis, quæ ſpectatores ſuos plerunq; ob rerum geſtarum memoriam inducunt in admirationem, adoratores verò ſemper in errorem. Non enim mediocris eſt error, cum aliud adoratur religionis cultu, quam is qui dixit, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.

Imagines pro voluntate artificis plura ſe demonſtrant agere, cũ nihil agant. Nam cum videntur homines eſſe cum non ſint, pugnare cum non pugnent, loqui cum non loquantur, audire cum non audiant, cernere cum non cernant, innuere cum non innuant, palpare cum non palpent, &c. huiuſcemodi, conſtant figmenta artificum eſſe, non eam veritatem, de qua dictum eſt, & veritas liberabit vos.

Imagines nanque eas ſine ſenſu & ratione eſſe, verum eſt: homines autem eas eſſe falſum eſt.

Imagines ſecundum veritatis indagatricem rationem profiteri compelluntur,

tur, nec veritatis capaces, nec ſanctas dici debere: quoniam quidem & precio ſunt inæquales, quo ſibimet & per comparationis gradus præferuntur, & ſanctitatis & veritatis meritò æquales, qua omnes omnino carent.

Non imagines, inquit Petrus, ſed fraternitatem diligite, nec ſubditi eſtote picturis, ſed omni humanæ creaturæ, & Dominum Chriſtum ſanctificate non imaginibus, ſed in cordibus noſtris inſtituit.

Dementiſsimum ſanè, & ab omni ratione ſecluſum eſt, hoc ad aſtruendam Imaginum adorationem in exemplum trahere, quod Abraham populum terræ, & Moyſes Ietro ſacerdotem Madian leguntur adoraſſe: cùm videlicet plerunq; ſancti viri per humilitatem, quando placuerunt homines ſalutationis gratia adorauerint, plerunque ne ab alijs adorarentur humiliter refugerint, plerunque rigore ſuæ ſanctitatis erecti, ſuperbos quoſque adorare contempſerint. Imagines verò nuſquam nec tenuiter quidem adorare conati ſunt.

Glorientur illi in imaginibus: nos autem gloriemur in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem nobis mundus crucifixus eſt, noſque mundo.

Quæ ſit differentia crucis Chriſti & imaginum pictorum arte pictarum, vel quanto myſterio crux imaginibus emineat, ſiue quomodo humanum genus, non per imagines, ſed per crucem Chriſti redemptum ſit (quæ duo illi vel paria, vel æqualia putant,) in ſequentibus loco ſuo, Domino fauente, explicabimus.

Vt imaginum adorationem, in quarum amore eorum mens pendet, & totius ſanctitatis propoſitum eſt, ſtabiliant, plurima verba vel ſenſus, quæ ad aliud pertinent, in adorationem mutare affectant.

Quis tam hebes tamque eſt demens, vt non ſolùm habendarum, ſed etiam adorandarum imaginum inſolentiſsimum vſum, horum tam terribilium tamque inſignium myſteriorum comparatione conetur adſtruere? cùm iſtæ nil aliud innuant, niſi interdum rerum geſtarum ordinem, interdum non geſtarum, ſed fictarum mentiantur errorem.

Quod verò dicunt, per adſimilatam picturam videre exitum conuerſationis ſanctorum virorum, quantæ ſit abſurditatis quantæque dementiæ, penè infinitum eſt perſequi: cum videlicet in imaginibus non poſsit ſanctæ conuerſationis virtus videri, ſed ſolummodo illæ materiæ, quibus ipſæ imagines formatæ ſunt. Num quid nam virtutes & meritorũ inſignia, quæ illis vtique in ſubiecto fuerunt, hoc eſt, in animo, in his velut in ſubiecto quodam videri poſſunt? cum tamen in his non ſit anima, quæ ſubiacens eſſe poſsit virtutibus, in ſubiecto autem iſtis, hoc eſt, in materiali corpore quodammodo colores ſunt, virtutes autem his nec de ſubiecto, nec in ſubiecto eſſe poſſunt: nũ quid igitur ſapientiam & eloquentiam in iſtis cernere poſſumus, quam pleri que illorum habuerunt? Num quid nã prudentiam aſpicere in iſtis valemus, per quam agnitio veræ fidei & ſcientia diuinorum apicum in illis fuit? per quam tremendum illud intelligentiæ genus in diuinis libris à prudentibus intelligitur.

Spes eorum qui ſalutem ſuam in imaginibus ponunt, ab Apoſtolo reprobatur, qui ſpem non in his quæ videntur, ſed in his quæ non videntur eſſe diſſerit.

Falſæ ſpei ludificatione deluduntur, qui ita ſe manu factarum imaginum inſpectione ſanandos arbitrantur, ſicut Iſraeliticus populus illius ænei ſerpentis inſpectione ab ignitarum peſtium mortiferis ictibus ſanabatur: præſertim cum illæ

vt fieret, Moyſi à Domino imperatum eſt: hæc verò vt fiant, nullius ſcripturæ textu ſit inſtitutum.

Cui ſerpenti cùm vidiſſet Ezechias Rex iuſtus incenſa adolere, & quaſdã culturas exhibere, magnaque ex parte populum periclitari, tanto perſuaſum errore, eum non diſtulit frangere, quem & per legiſlatorem ad profectum nouerat conditum fuiſſe, & à populo cernebat celebrari vano cultu & ſuperſtitioſa religione.

Iam verò quia ſe imaginum inſpectione ſaluandos credunt, ſicuti ſerpentis inſpectione Iſraeliticus populus à ſerpentium morſibus ſanabatur, ſi qua fortè eis quædam corporis inclementia acceſſerit, recurrant ad imagines, eaſq; aſpiciant, quatenus dum illarum inſpectione minimè ſanati fuerunt, reuertantur ad Dominum, & ab eo ſanitatem ſe accepturos credant, qui totius ſanitatis & vitæ eſt auctor.

Per Apoſtolos etiam ſacroſanctis chariſmatibus referta, & dogmatibus edocta, non imaginum fucis vel quibuslibet ſuperſtitioſis rebus, ſed & fide & operibus Dominum quærere non deſiſtit Eccleſia. Deum Dauid, inquirendum docuit per Domini timorem, non per imaginum adorationem: & eum qui vult vitam, & cupit videre dies bonos, non imagines adorare, ſed labia à dolo, & linguam à malo inſtituit cohibere. Nec picturam colere docuit, ſed declinare à malo, & facere bonitatem: inquirere pacem, & ſequi eam vſquequaque permonuit. Lumen ergo vultus Domini, quod ſuper nos ſignatum eſt, non in materialibus imaginibus eſt accipiendum, quæ vtique ſicut & cæteris dignitatibus, ita etiam lumine carent.

In imaginum ergo adoratione, vbi nullus profectus, nullum emolumentum, nulla vtilitas eſt, ſumma vanitas eſſe credenda eſt. Ob quam ſtatuendam & muniendam quicunq; conuentus faciunt, & concilia adgregant, & eas prorſus adorare inſtituunt, procul dubio vana loquuntur, vnuſquiſq; ad proximum ſuum.

Vndè liquidò patet, quòd probroſo imaginum inſtigantur amore, qui ob earum abolitionem, ea quæ de perfidis Iudæis per prophetam dicta ſunt, parentibus ſuis non erubeſcunt adnectere, & eiſdem iaculis ciues perfodere, quibus Propheta eccleſiæ, imò Chriſti hoſtes noſcitur perfodiſſe.

In plerisq, ſcripturæ ſanctæ locis, cum domus Dei legitur, non parietes, nec quædam materialis ædificatio, ſed ſpiritalis & inexiſtimabilis Dei intelligenda eſt habitatio: quorum ſenſuum archanis illorum mens penitus ieiunat, qui decorem domus Domini non Eccleſię exiſtimant virtutes, ſed materiales imagines.

Hunc excellentiſsimum ergo, & cœleſtis patriæ decorem dilexerat vir ille ſanctiſsimus Ap. Ioannes, non imaginum & colorum fucos, non materialium picturarum ſimilitudines: ob hunc decorem, non ob materiales figuras, quaſi quodam intolerabili deſyderio reſolutus erat, cum dicebat, hæc memoratus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam ingredior locũ tabernaculi admirabilis vſq; ad domum Dei.

Domus Dei decorem, non in imaginibus materialibus, ſed in virtutibus ſpiritalibus refulgentem eſſe videmus.

Nos patrem in ſpiritu & veritate adoramus, nec illorum exemplum imitamur, qui Deum eiuſq; ſanctos in imaginibus adorare conantur, quia Prophetam magnum habemus Ieſum Chriſtum.

Adoramus igitur in monte ſancto eius, non imagines vel quaſdam ſuperſti-
tioſas

tioſas res,ſed eundem Dominum,qui illius montis caput eſt,& vt eundem montem adquireret,non ſolum naſci,ſed mori dignatus eſt.

Deus Moyſi dixit: Non videbit me homo & viuere poteſt:qui ſi inuiſibilis eſt, imò quia inuiſibilis eſt,neceſſe eſt,vt incorporeus ſit:& ſi incorporeus eſt, neceſſe eſt,vt corporaliter pingi non poſsit:igitur inuiſibilis eſt, & incorporeus prorſus, corporalibus materijs pingi non poteſt.

Magna quidem ſunt Chriſtianæ religionis inſtrumenta, quæ quanquam ex fidei ſoliditate,& dilectione Dei & proximi pendeant,ſingillatim enumerare longiſsimum eſt:inter quæ nullum penitus locum imaginum cultus & adoratio tenent:quoniam quidē nullo antiquitatis inſtituuntur documento,vel fulciuntur,&c.

Cum ergo ſancti viri,& Deo per omnia accepti,vana obſequia hominum deuitauerint,ſicut Paulus & Barnabas Lycaonum ſuperſtitioſa obſequia deuitaſſe noſcuntur,& Petrus Cornelij deuotam venerationem ſpreuerit:angelus etiam in Apocalypſi Iohannem,ne ſe adoraret,prohibuerit,quis eos credat imaginum adoratione delectari:aut picturarum obſequijs demulceri:aut qualiter ad eos honor picturis exhibitus,quæ nec de illorum corpore ſeu veſtibus ſunt,ſed pro captu ingenij cuiuſq; ab artificibus præparantur,poterit peruenire: Non enim deliniuntur pictorum operibus,qui cum Chriſto regnant in cœleſtibus,nec ambiunt ab opificibus in tabulis ſiue in parietibus pingi,qui a Chriſto in libro vitæ meruerunt adſcribi.

Dominus namq; & ſaluator noſter non ait, quàm diu feciſtis imaginibus, ſed quam diu feciſtis vni de minimis iſtis, mihi feciſtis: nec ait, qui imagines, ſed qui vos recipit,me recipit:nec Apoſtolus ait, diligamus imagines, ſed diligamus vos inuicem:quia charitas ex Deo eſt:nec imaginum onera, ſed noſtra alterutrum mutuò vehenda pertenuit,dicens.Alter alterius onera veſtra portate,&c. illi verò parietes & tabulas adorantes in eo ſe arbitrentur magnum fidei habere emolumentum,eò quòd operibus ſint ſubiecti pictorum.Nam etſi a doctis quibusque vitari poſsit hoc, quod illi in adorandis imaginibus exercent, qui videlicet non qui ſint,ſed quid innuant venerantur,indoctis tamen quibuſq; ſcandalum generant,qui nihil aliud in his præter id quod vident venerantur & adorant. Vnde cauendum eſt,ne Euangelicam ſententiam ſubeant, qui tot puſillos ad ſcandalizandum impellunt:quoniam ſi is,qui vnum de puſillis ſcandalizauerit,formidoloſiſsimæ ſententiæ ſubiacet,multò magis exitiabili ille ferietur ſeueritate, qui penè omnem Chriſti Eccleſiam aut ad imagines adorandas impellit, aut imaginum adorationem ſpernentes anathemati ſubmittit.

Aiunt illi,non adoramus imagines vt Deum, nec illis diuini ſeruitij cultum impendimus,ſed dum illas aſpicimus & adoramus,illò mentis noſtræ acumen defigimus,vbi eos quorum illæ ſunt,eſſe non ignoramus:at contrà iſte illorum detegens errorem,& ſuam pandens abſq; vlla obumbratione cogitationem,fatetur ſe quale ſanctæ trinitati,tale illis exhibere ſeruitium,talemq; adorationem:ſicq; abſurditatem,quam illi introrſus retinent latenter,hanc iſte egerit patenter.

Non omnes res,per quas vel in quibus miracula quadam Dei ordinatione monſtrata ſunt,quodammodo adorandæ creduntur.

In templo Domini ſacrificia,non in imaginibus, offeruntur:In templo,non in picturis, ſacra ſolennia celebrantur:in templo populus ſtans, & precum ſua.

rùm Deo libamina offerens, non in depictis tabulis exauditur.

Nec vſpiam imaginum cultum, ſed timorem Domini ſanctum teſtatur dicens, timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi.

Eſto, pater iuberet honorandam Chriſti imaginem ſicut imperatorem, numquid non rectius eſſet imperatorem honorandum decernere, ſicuti imaginē Chriſti, vt imago Chriſti eminentiorem in tali ratione locum teneret? Non ergo pater imaginem Chriſti quoquam legitur aut depingere aut adorare aut honorare iuſſiſſe: quippe qui ſe ſolum adorari ſibique ſoli ſeruire inſtituit.

Sancta igitur & vniuerſalis Eccleſia non per imagines, quæ ex coloribus fiunt, vt ſæpe memoratus Iohannes nauſeaſſe dinoſcitur, Deum adorare nos mortales homines, neq; ætherias poteſtates, ſed per Chriſtum Dominum confitetur.

Adoratur ergo fortitudo eius non per coloriferam imaginem eius, ſed per ſacratiſsimam viuificatricem eius incarnationem. Adoratur eius potentia, non per picturam, ſed per ſua opera.

Hoc memoriale perpetuum, quo Chriſtum fidelium mentes interioribus oculis ſemper intuentur, ad quarum rerum plenam cognitionem, non per picturam venitur, ſed per fidem, ſpem & dilectionem.

Cui propoſitioni (quæ talis eſt, per imaginem, quæ per colores apparet, adoratur fortitudo Domini) hoc facillimè poſſumus obijcere, quod nec ſcripturarum ſanctarum lectione, nec patrum exemplis eſt inſtitutum, Deū in manu factis quibuſdam debere quærere. In corde meo, inquit Dauid, non imaginibus abſcondita eloquia tua.

De talibus ergo, qui tanta neceſsitate arctātur, vt niſi picturas viderint, Chriſti difficilè memorentur, timendum eſt, niſi fortè aut communem hanc lucem quadam corporis moleſtia vrgente viuentes amiſerint, aut picturis quodam caſu, quæ tamen non ſemper haberi poſſunt, caruerint, Chriſti prorſus, qui ſemper ante oculos habendus eſt, obliuiſcantur.

Admonent, ne quis ſcandalizetur, eò quod ante imagines luminaria concinnantur, & thymiamata adoleantur: quaſi non illi ſcandalizati ſint, qui rebus luce carentibus luminaria incendunt, & odore carentibus, odorifera thymiamata offerunt.

Sed fortaſſe noſtram aſſertionem fruſtrari cupientes dicent: Cur eos imaginibus ſenſu carentibus, luminaria concinnantes, & thymiamata adolentes, ſubſannatis, cùm & vos in baſilicis, æquè ſenſu carentibus, & luminaria concinnemus, & thymiamata adoleamus? Quibus facilis poteſt oboriri obiectio: quoniam aliud eſt loca diuinis cultibus mancipata, luminaribus perluſtrari, & in eiſdem locis, & orationum, & thymiamatum Deo fumum offerri, & aliud imagini oculos habenti, & nihil cernenti lumen offerre, & nares habenti, & nihil odoranti, thymiamata adolere, aliud eſt loca diuino cultui mancipata, venerari, aliud picturis quibuslibet, coloribus comptis luminaria & thymiamata offerre: aliud domum maieſtatis Domini à fidelibus quibuſq; ædificatam, & à pontifice dedicatam, ſolenniter venerari, atq; aliud, & longè aliud, imagines à pictoribus quibuſq; compoſitas, oblatis muneribus irrationabiliter oſculari.

Imagines nihil, ſi non habentur, derogant, nihil, ſi habentur, prorogant.

Simulachrorum vſus exortus eſt, cum ex deſyderio mortuorum quorumli-

bet vi-

bet virorũ fortium,aut Regum,aut quarundam vrbium conditorum,aut quarum libet artium inuentorum,imagines vel effigies,ab his qui eos dilexerant,conderentur,vt poſterorum,vel dilectorum dolor haberet aliquod de imaginũ contemplatione remedium:ſed paulatim hunc errorem,perſuadentibus dæmonibus, ita in poſteros irrepſiſſe,vt quos illi pro ſola nominis memoria pingendos cenſuerant,ſucceſſores deos exiſtimarent atq; colerent,& in his ſibi dæmones ſacrificare,in lectos quoſq; miſeros perceuſerent.

Sicut enim hæreſis,quæ ab eodem Simone exorta eſt,quæ Simoniaca vocatur,omnino à fidelibus ſpernitur:ita quoq; adorandarum imaginum vſus penitus ſpernendus eſt.Altera quoq, hæreſis eſt,quæ hunc errorem percenſet Carpocratiana.Sectæ ipſius fuiſſe traditur ſocia quædã Marcellina,quę colebat imagines Ieſu & Pauli,& Homeri,& Pythagoræ,adorando incenſumq; ponendo. Inter hæreſes ergo Auguſtinus computauit, quod imagines, quæ Ieſu & Pauli manufactas adoraſſe dicuntur.

Dauid ſanctiſsimus vatum nuſpiam imaginum cultum, ſed timorem Domini ſanctum teſtatur,dicens,Timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi. Nec quempiam qui imagines adorat, ſed qui Deum timet beatum nuncupat, dicens.Beatus vir qui timet Dominũ in mandatis eius cupiet nimis.Et iterũ,Beati omnes qui timent Dominũ,qui ambulant in vijs eius.Non enim ait,vt illi abſurdiſs.delirant.Qui timet Dominũ,adorat imagines, ſed ait, Qui timet Dominum in mandatis,&c. Vnde liquidiſsimè patet timorẽ Domini non in adoratione imaginum,ſed in voluntate,& inſtantia mandatorum Dei eſſe.

Illi,qui penè omnem fidei Chriſtianæ prærogatiuam in imaginum adoratione ſiue cultu eſſe exiſtimant,interrogandi ſunt,verum ideo quilibet pauperes fidei ſuæ patiantur iacturam, eo quod cenſus indigentia preſsi non habeant facultatem,qua ſuſcipiant picturam.

Imaginum cultus nullũ in Chriſtiana religione tenere credatur principatum

Imaginum cultus penè cunctarum diuinarum ſcripturarum abdicantur eloquio:ſolum namq; Dominum colere,ipſum adorare,ipſum glorificare debere,totius diuinæ ſcripturæ tuba terribilis intonat.Vnde cauendum illis eſt, & modis omnibus pertimeſcendum,ne dum imaginum cultum et adorationem Chriſtianæ religioni ingerere nituntur,ſingularem vnius Dei cultum & adorationem fruſtrari videantur.Quæ duo ita inter ſe mutuò reluctantur,vt ſi vnum ſteterit,aliud ſtare non poſsit.Si enim ſingularis cultus ſoli & vni Deo debitus inconuulſus erit,& reuera inconuulſus erit imaginum cultus modis omnibus caſſabitur: & ſi imaginum cultus non conuellatur,ſoli & vni Deo cultus debitus non erit ſingularis.

Quæ dum ita ſe habent,magna ſe cæcitate obrutos eſſe fatentur: quia vim illam animæ,quæ memoria nuncupatur, ita ſe viciatam habere demonſtrant,cui niſi imaginum adminiculum ſuffragetur,ab intentione ſeruitutis Dei & veneratione ſanctorum eius compellatur.

Aliud eſt imagines habere obliuionis timore,aliud ornamenti amore: aliud voluntate,aliud indigentia:aliud idcirco videre, ne Dei & ſanctorum eius valeat quis obliuiſci,aliud ideo ſpectare,vt geſtarum rerum poſsit reminiſci:aliud eſt res videre,quæ niſi videantur non obſunt,aliud eas quæ niſi videantur,obſiciunt,cùm videlicet ſine imaginum intuitu homo ſaluari poſsit,ſine Dei vero notitia omninò non poſsit. M 3

Si omnes imaginum adoratione carentes ſecundum illorum falſiſsimam opinionem pereunt, illi antea baptiſmatis vnda loti, & corporis Dominici edulio & ſanguinis hauſtu ſatiati, qui nec dum imagines adorare valuerunt, & ſic è ſeculo migrauerunt, pereunt: & ſi pereunt, veritatis verbum caſſatur dicentis: Sinite paruulos ad me venire: talium eſt enim regnum cœlorum: non autem veritatis verbum infantibus regnum cœlorum promittentis caſſatur: non igitur pereunt omnes imaginum adoratione carentes.

Hoc enim vexillo antiquus hoſtis non imaginibus victus eſt: his armis, non colorum fucis, diabolus expugnatus eſt: per hanc, non per picturas, inferni clauſtra deſtructa ſunt: per hanc, non per illas, humanum genus redemptum eſt. In cruce nanque, non in imaginibus pretium mundi pependit.

Si hic error, quo diuinæ ſcripturæ libris imagines æquiparare nituntur, cæteris eorum erroribus comparetur, quanquam erga ſe ſit magnæ enormitatis, alijs verò comparatus, quibus eas & arcæ Domini, & corporis & ſanguinis Dominici ſacramento, & crucis myſterio æquiparare viſi ſunt, minor procul dubio reperitur: præſertim cum nec illis, nec iſtis ritè æquiparari poſſunt.

Illæ verò imagines & pertiliter artificum varietate prolatæ ſunt, & nullam ſalutis exhibitionem, nullam factam cuiuſlibet alicuius mortalibus prærogatiuam adducant, ſed oculis tantummodo faueant, per quos quaſi per quoſdam legatos geſtarum rerum memoriam mandent.

Cecrops quidam rex Athenienſium da mortico infectus veneno, rudes gentilium mentes ad imaginum ſimulachrorumque, & ad variorum Deorum culturas excitauit.

Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinã ſcripta ſunt, ait: non picta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus ad Deum: nec ait, Omnis pictura, ſed omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, &c.

Apoſtoli per quos populi per prædicationem ad fidei documenta conuerſi ſunt, nõ imagines, ſed epiſtolas ad diuerſas mundi partes deſtinaſſe leguntur, nec per picturas genus humanum ab idolorum cultibus ad veræ fidei puritatem reuocauit, ſed per ſcripturas. quibus redemptor ſenſum aperuit, non vt intelligerent picturas, ſed vt ſcripturas.

Dominus ſcripturarũ, non imaginum facit mentionẽ: ait enim Euangeliſta: Sicut ſcriptum eſt in libro Sermonũ Iſaiæ Prophetę Scriptũ dixit non pictum, & in libro, non in quadam materia.

Dauid quoq; ſanctiſsimus prophetarum, ita in perſona Chriſti dixiſſe legitur: In capite libri ſcriptũ eſt de me. Non enim ait pictum, ſed ſcriptum, nec in capite parietum ſiue tabularum, ſed in capite libri.

Omnes hiſtoriæ ſacræ veteris Teſtamenti, non per picturam, ſed per ſcripturam declaratæ ſunt.

Prophetæ ſinguli, qui libros habent, prophetias ſuas poſt futuris ſæculis profuturas, non in picturis, ſed in ſcripturis conſtituere. Vnde & Dauid non in coloratis figuris, ſed in libris intellexit numerum annorum, quo populus Dei in captiuitate Babylonica detineri deberet.

Samuel quoq; hiſtorias Iudicum ſiue Ruth, vel etiam Regum vſq; ad Dauid non imaginibus, ſed apicibus prænotauit.

Ioſue

Ioſue etiam ſucceſſor eiuſdem Moyſi,qui typũ mediatoris Dei & hominum geſsit,quæ tempore ſuo ſibi vel populo cui præerat, contigerunt, ſcribendo potius quam pingendo memoriæ poſteritatis mandauit.

Moyſes quoq; originem mundi non pingendo ſed ſcribendo edocuit,& omnia in quinq; libros adnotans, non pingendo ſed ſcribendo ſæculis poſt futuris, Domino imperante, mandauit.

Moyſes legiſlator non fucatis picturis , ſed ſaluberrimis ſcripturis vſus eſt:

Dictum illi ſupernę vocis tonitruo eſt:quod vides ſcribe in libro,& mitte ſeptem ecclesijs.Vnde datur intelligi,non picturas,ſed ſcripturas ad noſtræ fidei eruditionem eſſe conceſſas.Quàm ergo ſit incautum,quàmq; à ratione remotũ dicere,ſicut diuinæ ſcripturæ libros,ita imagines ob memoriam venerationis habemus,facilè intelligere poteſt,quiſquis diuinarũ ſcripturarũ cognitionem habet.

Ioannes cum ſecreta quædam Domino reuelante audiret ſeu cerneret , ſcribere ea in libro,non pingere iuſſus eſt.

In Euangelio legitur·Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum,quæ non ſcripta ſunt in hoc libro.Hæc autẽ ſcripta ſunt, non ait picta ſunt,vt credatis,quod Ieſus eſt filius Dei,& vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

O imaginum adorator,ô rerum inſenſatarum cultor:inuenire poſſe te conſtat,quę dum his omnibus meritorũ prærogatiuis careant,dolendus potius quàm mirandus es,quum eas diuinæ ſcripturæ libris,in quibus tot bona reperiuntur, ęquiparare affectes: Tu qui fidei tuæ puritatem in imaginibus conſeruare te dicis, ſupplex eis adſtare memento cum thymiamatibus:nos præcepta Domini ſolerti indagatione perquiramus in diuinę legis codicibus. Tu luminaribus perluſtra picturas:nos frequentemus diuinas ſcripturas. Tu fucatorũ venerator eſto colorũ, nos veneratores & capaces ſimus ſenſuum archanorũ. Tu depictis demulcere tabulis:nos diuinis mulceamur alloquijs.

Tu figuris rerum inſta,in quibus nec viſus,nec auditus,nec guſtus,nec odoratus,nec tactus eſt:nos inſtemus diuinæ legi, quæ eſt irreprehenſibilis,in qua teſtimonium Domini,iuſtitia ſiue præcepta,timor ſiue iudicia eius inueniuntur.

Nam ſi forte tu amator vel potius adorator imaginum,interiore pectoris rancorę ſubmurmures dicens:Quid neceſſe eſt tantùm per ſchemata euagari?Cognoſces ea nobis amabiliora imaginibus ſiue pictis tabulis tuis eſſe,& ideo tantum in illis euagatos eſſe Has etenim dulcedines,has refectiones in ſcripturis ſiue in ſcripturarum ſchematibus,nos ſiue cæteros ſcripturarum amatores reperire cognoſce,quas tu ſiue ſocij tui in figuris atq, in tabulis,in quibus cordis tui puritatẽ ſeruare te dicis,penitus non reperies.

Nam ſi ſecundum illorum væſaniam omnes imaginum adoratione carentes, hæretici ſunt,conſtat maiores eorum,qui eas non adorauere,hæreticos fuiſſe.

Imaginum adoratores ſæpiſsimè memoratas imagines ſanctas & venerandas nuncupant,eaſq; in vijs ſiue in plateis,quæ plerunq, pollutæ ſunt, ponendas eſſe aſſeuerant.Sicut autem non conuenit luci & tenebris,calido & frigido,ita nimirum non ſanctitati & contaminationi,puritati & impuritati. Vnde magna ex parte eos errare conſtat,cum eas & ſanctas eſſe aſſerunt,& in locis contaminatis ſtatuendas eſſe decernunt. Pateſcit nanq; quodammodo in hoc eorum cenſura, qui eas in vijs ſiue in vrbium vicorumq; plateis poni percenſent , quod hæc ſan-

ſtitate careant, ſicut & carent cum ſe, ſi ſancti eſſe crederentur, in locis ſanctis poni cenſerentur.

Vnde ſciendum eſt, non eos eſſe mediocris inſaniæ, qui pro rebus ſenſu carentibus in maiores ſuos maledicta non pertimeſcunt congerere, & dum imaginibus volunt fauere, nec parentes pertimeſcunt inhonorare, nec diuinis miraculis contraire.

Non contraeunt pictores ſcripturis? quaſi non aliqua pictoribus poſsint depingi, quæ ſacris literis credantur refragari: in picturis autem plura falſa, plura vitioſa, plura inconſequentia, plura inconuenientia, & vt ſingula ſacram, penè omnia ſiue poſsibilia ſiue impoſsibilia à peritis pictoribus pinguntur.

Qui ſeruitium ſoli Deo debitum creatori exhibere ſe fatetur creaturis, dum cupit fauere picturis, reluctatur cunctis ſacris ſcripturis.

Non deliniuntur pictorum operibus, qui cum Chriſto regnant in cœleſtibus: nec ambiunt ab opificibus ſiue in tabulis, ſiue in parietibus pingi, qui à Chriſto & in libro vitæ meruerunt aſcribi.

Ex his ſententijs liquidò conſtat Carolum Magnum imaginibus & ſimulachris, in quorum vſu cultuq́ nonnulli ſummam ferè pietatis conſiſtere opinantur, non multùm tribuiſſe. Ex his ipſis igitur Caroli Magni dictis atque ſententijs Henricus M. (vt taceam de alijs) pro ſingulari ſuo iudicio, ſapientia atque pietate facilè colligit atque intelligit, quid ſibi de imaginum ſimulachrorumque vſu cultuq́ ſit ſentiendum & ſtatuendum, & quantum imaginibus ſit tribuendum, qui vt imaginum & ſimulachrorum vſum hiſtoricum, politicum, & ciuilem, qui partim ad ornatum, partim ad memoriam rerum geſtarum refertur, non ſimpliciter improbat ac damnat: ita vſum cultumq́ imaginum et ſimulachrorum ſuperſtitioſum à gentilibus profectum, canonica Vet. & Noui Teſtamenti ſcriptura vetitum atque prohibitum non poteſt non improbare. Nec tamen idcirco ijs, qui zelo quodam inconſyderato ducti imaginibus & ſimulachris nimis deditи & addicti, ijs nimium tribuunt, vim afferendam, ſed firmis ſolidisq́ rationibus ab hac iconolatria dimouendos, nec tam imagines & ſimulachra iſta corporea ex templis vi, manu, ferro, igni, quàm prauas & peruerſas de imaginibus & ſimulachris, vt etiam alijs religionis articulis imaginationes, vt ita loquar, atque phantaſias, id eſt, opiniones & errores ex hominum cordibus & animis, qui ſunt templa Dei, firmis ſolidisq́ rationibus tollendas ac conuellendas eſſe piè ſapienterq́ indicat. Ex

Ex ijſdem verò Caroli M. libris facilè poteſt intelligi, quæ illius Imperatoris de alijs quoq; religionis Chriſtianæ articulis & capitibus fuerit ſententia, quæ omnia ſapientibus religioſisq; lectoribus (nam nimis prolixum eſſet ea omnia commemorare) ſecundum verbi diuini, hoc eſt, ſcripturæ Canonicæ, Propheticæ, & Apoſtolicæ canonem atq; regulam dijudicanda relinquo.

Accedamus nunc ad res actionesq; Scholaſticas, quæ cum Eccleſiaſticis ſunt coniunctæ, quæq; non ineptè, mea ſententia, & incommodè ijs ſubijci, ac ſub illis comprehendi poſſunt. Scitè profectò vereque Ariſtoteles, vt multa alia, ita hoc quoq;, vt ſenſit ita ſcripſit (1. Cœli & 1. Meteororum) artes æternas eſſe: ſed earum tanquam ſtellarum varios eſſe ortus & occaſus, vt modò excitentur & floreant, modò iaceant, & contemnantur. Hæc magni illius Philoſophi magna & præclara eſt ſententia: artes enim ſunt æternarum & immutabilium rerum, at ipſarum apud homines notitia nõ eſt æterna. Et vt coloniæ ac commigrationes gentium variæ commemorantur, ita literarum & diſciplinarum non pauciores commigrationes poſſunt commemorari.

Tempore itaq; Caroli Mag. magna fuit in orbe terrarum occidentali etiam inter ipſos Chriſtianos vt morum corruptela, ita artium diſciplinarumque cùm ſacrarum, tum humanarum & liberalium inſcitia & ignorantia, quæ longè la eq; dominata, ac veluti peſtis, ſiue lues quædam graſſata eſt. Ipſi Eccleſiarum antiſtites, In Epicuri non Chriſti ſchola educati, otio potius, delitijs ac voluptatibus, quàm literis, diſciplinis & ſcientijs liberalibus vacabant. Pauciſſimi erant & rariſſimi, quaſi nantes in gurgite vaſto, viri docti, eruditi & literati. Cum hac verò linguarum, doctrinarum & artium liberalium inſcitia creuit magis ac magis etiam religionis & literarum ſacrarum imperitia & ignorantia, vnde factum eſt, vt omnis generis errores & ſuperſtitiones augeri & amplificari cœperint. In tantis verò inſcitiæ & ignorantiæ tenebris atque caligine Deus pro ſua benignitate Carolum Magnum ceu alterum quendam in mundo ſolem excitauit, qui literarum lumen quaſi ſopitum ac tantùm non extinctum ac-

tenderet rurſus & excitaret. Vt igitur olim cùm Regum, tum Sacerdotum & Pontificum incuria atque negligentia liber Legis (quem Rex diligenter deſcriptum cuſtodire, a cdies nocteſq́; voluere atq; reuoluere debuit) amiſſus fuit: Ita illis temporibus partim Regũ & Imperatorum Orientalium, partim Epiſcoporum & Sacerdotum negligentia atque ſocordia, partim etiam gentium barbararum, vt Gothorum, Hunnorum, Longobardorum, Saracenorum, Mahometanorum aſsiduis infeſtisq́; incurſionibus libri literæque ſacræ & prophanæ ferè omnes in Republica Chriſtiana interierunt. Sed vt Ioſias Rex pius & religioſus libros ſacros è ſinu & puluere in lucem rurſus produxit, ita Carolus Magnus quaſi alter Ioſias ſimiliter ſua ætate literas libroſque ex tenebris, quibus obruti ſepultiq́ue iacebant, in lucem rurſus reuocauit. Ac ipſe quidem, vt ſuprà dictum eſt, literis ſacris & prophanis probè diligenterq́; à pueritia inſtitutus & imbutus, tanto illarum ſtudio & amore flagrauit, vt illas longè lateq́; per totam Rempub. Chriſtianam propagare ſedulò ſtuduerit.

Quamobrem Conſtantini Magni, Theodoſij Magni, & aliorum Imperatorum atque Regum cùm Chriſtianorum, tùm etiam Ethnicorum veſtigijs inſiſtens, Collegia, Academias Scholaſq́; artium optimarum (in quibus nouerat non Eccleſiæ ſolùm, ſed etiam Reipublicæ ſeminaria eſſe & quaſi propagines) ceu matres, & nutrices, cùm nouas fundauit & excitauit, tum antiquas & collapſas inſtaurauit, illaſq́; muneribus ac priuilegijs eximijs auxit & locupletauit.

Huiuſmodi fuit Academia Pariſienſis, ab illo primùm inſtituta, quæ aliquot poſt eum ſæculis præ cæteris orbis Chriſtiani Academijs maximè floruit, ac principem inter eas locum tenuit, ex qua ceu equo Troiano plurimi viri doctrina & pietate præſtantiſsimi, Reipublicæ & Eccleſiæ vtiliſsimi prodiêre. Vt autem olim veterum Gallorum diſciplina, inquit Cæſar, in Britannia reperta, atque indè in Galliam translata exiſtimatur: ita ex eadem Britannia Flaccus Albinus, ſiue Alcuinus à Carolo Magno honorificè acceptus, liberales artes in Gallia

Gallia rurſus excitauit, primaque Pariſienſis Academiæ fundamenta poſuit, Atque ita Britannia bis Galliæ magiſtra. Cum eo coniunxerunt operam ſuam Claudius, aliâs dictus Clemens, & Ioannes ex Scotia naue eò delati, Rabanus quoque Beda cum Alcuino diſcipulus in eadem Academia literas arteſq; bonas ſummo ſtudio, diligentia atque fide docuerunt.

Carolus præterea Magnus non contentus eo, quòd Academiam illam fundarat, & multis egregijs priuilegijs atq; ſtipendijs auxerat, paternam quoque eiuſdem curam geſſit, eamq́ue frequenter inuiſit, liberaliſsimè fouit, & quibuſcunque rebus potuit auxit. Cùm itaque nobiles quoſdam, honeſtoque loco natos Clementis Scoti, & Vualdi Germani diſciplinæ atque fidei commiſiſſet, aliquando alumnis his ſuis adſe accerſitis, progreſſum eorum in literis explorauit, & ſcripta eorum ſoluta & numeris aſtricta inſpexit, & quid de ſingulis ſentiret, voce & geſtu declarauit, cùm nobiles quidem à ſiniſtra, pauperes verò à dextra ſtatuiſſet. Primò igitur omnium ad egenos conuerſus, quos animaduerterat tempus ſuum benè collocaſſe, & omni ſtudio literis incubuiſſe, collaudata hac illorum diligentia: Vos, inquit, macte virtute adoleſcentes, quoniam, meo obſecuti mandato, plurimum in literis poſuiſtis ſtudij atque diligentiæ, digna his veſtris laboribus conſequemini præmia. Vos enim augebo honoribus & opibus, & ad munera politica & Eccleſiaſtica euehan, alij veſtrum erunt Epiſcopi, alij mei conſiliarij in aula. Deinde nobiles, qui ſtabant à ſiniſtra, qui voluptatibus magis, quàm literis dediti fuerant, periram allocutus: Vos, inquit, ingrati & peruerſi, qui opibus & imaginibus maiorum veſtrorum nitimini, Cæſaream maieſtatem ignominia affeciſtis, eiuſq́ue mandatum violaſtis. Quamobrem Deum teſtor, niſi vitam moreſq́ue veſtros emendaueritis, nihil vobis niſi offenſionem meam, & pœnam eſſe expectandam, vt cæteri veſtro exemplo corrigantur. Ita magnus ille Imperator non dubitauit plurimis grauiſsimiſque occupationibus ferè ſemper diſtentus, curæ

atque operæ ſuæ partem aliquam in literas atque ſtudia deriuare.

Vtinam multi Reges, Principes ac Magiſtratus laudabiliſſimam hanc Caroli Magni conſuetudinem atque diligentiam imitarentur, & nonnunquam Academias & Scholas ſuas, in quibus totius Reipublicæ & Eccleſiæ ſalus conſiſtit, inuiſerent ac perluſtrarent, magno id foret cùm præceptoribus, magiſtris atque doctoribus, tùm diſcipulis & auditoribus ad maiorem diligentiam ſtimulo ac inuitamento. Papienſem quoque Academiam ab eodem tradunt hiſtorici fuiſſe inſtitutam ac Ticinenſem. Bononienſem verò à Theodoſio fundatam ipſe inſtaurauit & locupletauit. Fuit ergò verè & Reipublicæ & Eccleſiæ, & Scholæ pater atque patronus fideliſſimus. Nec verò ipſe tantùm Scholas vbique inſtituit, ſtudia atque ſtudioſos munificè fouit, & honoribus atque ſtipendijs ampliſſimis donauit, verùm etiam alios quoque Principes & Epiſcopos idem facere iuſſit, cuius quidem rei ille Gabalionenſis Synodi Canon teſtis eſſe poterit, quem hîc ſubiungam. Oportet enim vt ſicut Dominus Imperator Carolus, vir ſingularis manſuetudinis, fortitudinis, prudentiæ, iuſtitiæ, temperantiæ præcepit, Scholas conſtituant, in quibus & literalis ſolertia diſciplinæ & ſacræ ſcripturæ documenta diſcant, & tales ibi erudiant, quibus meritò dicatur à Deo: Vos eſtis ſal terræ, & qui condimentum plebibus eſſe valeant, & quorum doctrinæ non ſolùm diuerſis hæreſibus, verùm etiam Antichriſti monitis, & ipſi Antichriſto reſiſtant.

Quantum verò Henrici M. hac quoque in parte ſit ſtudium, quanto ille Scholarum Gymnaſiorumq́ amore atque cura tangatur, illud non leui eſt argumento, quòd aliquot ante annis, antequam ad Regni Gallici gubernacula peruenit, in Ortheſio ſuæ ditionis oppido, quod ad radices ferè Pyrenæi montis eſt poſitum, Academiam inſtituit, ſtipendia honeſta & liberalia quarumuis artium diſciplinarumq́ liberalium doctoribus ac profeſſoribus decreuit, ita vt Academia illa breui tempore magna incrementa ſumpſerit, magnaq́ ad illum ex omnibus partibus ſtudioſorum multitudo confluxerit. Quoniam verò multa à maio-

tæ à maioribus & anteceſſoribus ſuis inſtitutæ & fundatæ ſunt in toto hoc ſuo Regno Academiæ (ita vt nouas inſtituere non ſit opus) quæ pacis temporibus, in primis ſub Franciſco 1. *& Henrico* 11. *(qui patres illarum atque tutores fideliſsimi extiterunt) omni literarum literatorumq́ virorum genere fuerunt abundantiſsimæ, nihil ille magis deſyderat, quàm vt illas bellis iſtis ciuilibus valdè deformatas in priſtinum dignitatis ſtatum poſsit reſtituere. Non enim ignorat, quàm ſit ad Reipub. & Eccleſiæ vtilitatem atq́ ſalutem omnino neceſſarium, pueritiam & adoleſcentiam, quæ eſt Reipub. & Eccleſiæ ſeminarium, honeſtis artibus ac diſciplinis benè inſtitui & erudiri, vt & Reipub. & Eccleſiæ aliquando vſui ornamentoq́ eſſe poſsit.*

Incredibilis & admirabilis fuit Caroli M. erga omnes Eccleſias atque Scholas non modò à ſe, ſed etiam ab alijs inſtitutas, liberalitas atque munificentia: illas enim priuilegijs, donis, muneribus innumeris auxit & cumulauit, ita vt nonnullis modum ea in re exceſsiſſe videatur. Ea quæ ab alijs præſertim maioribus & anteceſſoribus Deo, Chriſto, Eccleſijs, Scholis, Collegijs, Cœnobijs legata atque donata fuerunt, edictis ſuis ſanxit, confirmauit ac ſtabiliuit: Hodie contrà reperiuntur nonnulli Principes & Magiſtratus, qui non Chriſtiani, ſed Iuliani potius ſunt appellandi, propterea quòd nō Conſtantini M. Theodoſij M. Caroli M. & aliorum Regum & Imperatorum Chriſtianiſsimorum, ſed Iuliani potius illius apoſtatæ & eius auunculi (qui Eccleſiam Antiochenam nudauit, et eius ſpolijs fiſcum ſuum locupletauit) imitatores, non modò templa, ſcholas, collegia noua non extruere, ſed etiam iam antè conſtructa conuellere ac labefactare conantur: quiq́ nō modò Scholis, Eccleſijs & Collegijs nulla donant aut legant bona atque vectigalia, ſed iam antea à pijs religioſisq́ hominibus data, legata atque relicta, ijs pro libidine & auaritia ſua inſatiabili auferre, adimere, & Achani illius ſacrilegi imitatione, in prophanos atque priuatos ſuos vſus conuertere nituntur.

Sed vt Iulianus & alij huiuſmodi prædones, ſacrilegi, depeculatores huius ſui ſceleris graues & atroces pœnas luerunt, ita omnes ij,

qui eodem ſeſe ſcelere contaminant, grauiſſimè à Deo, niſi pœnitentiam egerint, puniuntur. Illi enim Ethnicis deteriores tetrioresq́ſunt exiſtimandi, quos conſtat falſos ſuos ſacerdotes, ſuperſtitionisq́ antiſtites liberaliſſimè aluiſſe, quemadmodum Ægyptiorum, Numæ, Pompilij, & aliorum exemplis facillimè poſſet comprobari.

Henricus M. etiam, antequam Regnum Gallicum adeptus eſt, in paterno ſuo Regno Nauarreno Eccleſiaſtici ordinis homines religioni Ro. addictos liberrimè bonis, reditibus atque vectigalibus ſuis frui permiſit, ea etiam nonnunquam ceu nimis tenuia & exigua auxit, quo quidem ipſo propenſam & prolixam ſuam erga quoſuis Eccleſiæ religionisq́ Ro. antiſtites voluntatem ac beneuolentiam manifeſtiſſimè declarauit.

Etſi verò magnus fuit Caroli M. erga quaſuis Eccleſias Chriſtianas amor, ſtudium, liberalitas, vt omnes hiſtorici, & totius ferè orbis Chriſtiani Eccleſiæ, Scholæ atq́ Collegia teſtãtur, in quibus ferè omnibus, vel plærumq́ munificentiæ illius veſtigia clara & illuſtria reperiuntur impreſſa & fixa ad ſempiternam temporis memoriam, tamen ciuitatem & Eccleſiam Ro. ſingulari & inſigni amore, beneuolentia, honore, cura atq́ munificentia eſt proſecutus.

Colebat, inquit Eginhardus, præ cæteris ſacris & venerabilibus locis apud Romam Eccleſiam beati Petri Apoſtoli: in cuius donaria magna vis pecuniæ tam auri, quàm argenti, nec non gemmarum ab illo congeſta eſt, multa & innumera Pontificibus munera miſſa. Nec ille toto Regni ſui tempore quicquam duxit antiquius, quàm vt vrbs Roma ſua opera ſuoque labore veteri polleret authoritate, & Eccleſia S. Petri non ſolùm per illum tuta ac defenſa, ſed etiam ſuis opibus præ omnibus Eccleſijs eſſet ornata ac ditata. In libris quoque ſuis eidem Eccleſiæ primatũ tribuit, et id cùm verbis illis Chriſti. Tu es Petrus, tũ Pipini patris ſui et aliorũ teſtimonijs conatus eſt confirmare.

Non mirum eſt magnum illum Imperatorem Ro. Imperij Romanam ciuitatem & Eccleſiam tanti feciſſe, tanto habuiſſe in pretio & honore, tantũq́ ei iuris Imperij dignitatis poteſtatisq́ tribuiſſe. Nam

primò

primò id fecit errore illius ſæculi, quo primatus Eccleſiæ Ro. tribuebatur, de quo conſtat C C. circiter annis ante Caroli M. tempora grauiſſimã inter Epiſcopos Conſtantinopolitanos, Alexandrinos, Antiochenos, Romanos ambitioſiſſimos, & alios extitiſſe concertationem, quæ Eccleſiæ plurimum damni ac detrimenti attulit. Vt enim olim in Repub. Ro. triumuiri illi ambitioſa hac ſua contentione Rempub. ita iſti quatuor viri hac ſua de honore & dignitate ſua infœlici dimicatione Eccleſiam peſſundederunt ac perdiderunt. Cui vtinam antiſtitum ambitioni Conſtantinus M. Carolus M. & alij Imperatores viã præcluſiſſent potius, quàm hac ſua nimia munificentia aperuiſſent. Tandem Bonifacius III. Epiſcopus Ro. Phocæ Imperatoris, qui, caſo Mauritio, in locum eius ſuffectus eſt, indulgentia titulum Oecumenici Epiſcopi eſt conſecutus, & Eccleſia Ro. omnium reliquarum Eccleſiarum caput & princeps fuit appellata. Id accidit circiter annum Chriſti DC. De hoc ſuperbiſſimo titulo quod fuerit Gregorij M. Epiſcopi Ro. iudicium atque ſententia paſſim ex eis epiſtolis, ac alijs literarum monumentis liquidò conſtat. Hunc enim Epiſcopi vniuerſalis ſeu Oecumenici titulum apertè vocat ſuperſtitioſum, ſceleſtum, prophanum, nefandum, ſuperbum, ſacrilegum, & eum qui illum ſibi arrogat Luciferi ſiue Diaboli ſimilem, & Antichriſti præcurſorem eſſe, fratrumq́ ſuum honorem imminuere, fidemque perdere pronunciat. Deinde Eccleſiam Ro. amauit & honorauit, quòd illa licet ſuas haberet rugas, maculas atq; næuos, tamẽ reſpectu & comparatione Eccleſiarum Orientalium (quæ hæreſibus, erroribus, ſchiſmatibus grauiſſimè laborabant) & comparatione poſteriorum temporum erat purior, non adeò erat corrupta ac deprauata. Tum norat etiam antiquos patres, partim quòd erat caput Imperij, partim quòd Eccleſijs Orientalibus & Græcis erat purior, denique quòd prædicatione & martyrio Petri & Pauli erat nobilis, illam plurimi feciſſe.

Poſtremò Eccleſiæ illi, à quorum Pontificibus, Zacharia, Hadriano, Stephano, Leone, ipſe & pater, auus atque maiores eius plurima acceperant beneficia, commoda, & honoris dignitatiſque or-

namenta , & inprimis quòd Stephani II. Pontificis iuſſu auctoritateq́, pater eius ad Regiam dignitatem fuerat euectus, plurimùm debebat, maximeq́, erat deuinctus & obligatus. Quamobrem gratitudinis ſuæ erga illam teſtificandæ gratia tantopere illam præ cæteris omnibus amauit, fouit, defendit, auxit & amplificauit.

Hæ fuerunt cauſæ propter quas Carolus M. Eccleſiæ Ro. opibus, dignitati, commodis atque ſaluti tanto ſtudio conſuluit, omniq́, opera ſua atque cura elaborauit, vt illa non modò ab iniurijs atque maleficijs tuta & immunis, verùm etiam præ omnibus alijs orbis Chriſtiani Eccleſijs ornata et opulenta eſſet: ijs dignitate, auctoritate atque diuitijs antecelleret.

Etſi verò Carolus M. pro ratione illorum temporum, proq́, religione ſua, qua erat imbutus, bono id zelo, ſtudio atque animo fecerat, tamen multi ſapientes religioſiq́ue viri hac in parte illum exiſtimant modum exceſſiſſe, et hac ſua nimia immoderataq́, munificentia in Eccleſiam Pontificesq́, Ro. cùm illis ipſis, tùm alijs Eccleſijs magnum damnum ac detrimentum attuliſſe.

Nam illæ ipſæ opes ſuperſtitionum vitiorumq́, grauiſſimorum et innumerabilium fuerunt procreatrices, ſcelerum flagitiorumq́, ſeminaria, doctrinæ, vitæ, morumq́, labes & corruptelæ. Hæc illius dona atque munera, opes & diuitiæ in Eccleſiam eiusq́, præſules collatæ pepererunt ſeu potius auxerunt ſuperbiam, faſtum, auaritiam (nam, vt verè ille cecinit: creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit) luxum et luxuriam, quæ tyrannidē toti orbi Chriſtiano intolerandam peperit.

Quò autem maior fuit Caroli M. nec illius tantùm, verùm etiam eius cùm maiorum & prædeceſſorum, tum poſterorum & ſucceſſorum in ciuitatem, Eccleſiam, & papas illos Ro. munificentia, tantò profectò maior & vituperabilior eſt quorundam in illa Eccleſia (non de omnibus loquor) ingratitudo. Primò, quòd & opes, dignitatem poteſtatemq́ue illam, quam à Carolo Martello, Pipino, Carolo M. Ludouico Pio, Ludouico Germanico, & alijs Francorum atque Gallorum

Regibus

Regibus acceperunt, non illis, ac illorũ liberalitati & munificentiæ ac ceptam referunt, ſed donationi Conſtantini M. quam non ſolùm Laurentius Valla declamatione illa ſua de falſo credita & ementita Conſtantini donatione, ſed etiam Nicolaus de Cuſa Cardinalis ad Concilium Baſilienſe, de Concordantia Catholica. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, Raphael Volaterranus in vita Conſtantini M. Hieronymus Pau, Cattalanus Canonicus Barcinonenſis, I.V. doctor, Alexandri VI. cubicularius in dubium vocant, multiq́, alij viri I.V. periti docti & pij vanum eſſe putidumq́, commentum multis rationibus ſolidis comprobarunt. Quamobrem hoc pacto cùm ipſi Conſtantino fit iniuria, qui ſtoliditatis & dementiæ, inofficioſæ, prodigæ ſeu prodigioſæ potius donationis crimine accuſatur, tum Regibus Gallorum & Francorum, quorum dona atque munera, alijs falſò aſcribuntur.

Deinde magna eſt illorũ (de ſontibus, non de innocentibus et quibus illa diſplicent loquor) ingratitudo, qui Regnũ, Regẽ proceresq́, Galliæ, à quorum maioribus tot & tanta in illos redundarunt commoda, ornamenta, dignitates, honores, à quibus per multa ſæcula tot hauſerunt emolumenta, vectigalia, cenſus, reditus, ſtipendia, beneficia, nunc tam immani odio proſequuntur, Regnum illud cùm internorum tum externorum & peregrinorum hoſtium prædæ atque tyrannidi conantur exponere atque ſubijcere.

Quantum ad Henricum M. attinet ille non tantùm Romanæ illius particularis, ſed totius Eccleſiæ Chriſtianæ & Catholicæ ſe tutorem, patronum, defenſorem atque patrem profitetur, Eccleſiam Ro. pietatis, religionis aliarumq́ue virtutum opibus cupit eſſe ornatam, cùm Eccleſiæ ſalus & dignitas non in opibus, imperio ac potentia externa, ſed in pietatis religionisq́, veræ cultu conſiſtat. Non odit, ſed amat etiam particularem illam proprieq́ue dictam Eccleſiam Romanam: idq́ue meritò partim quòd plurimos in illa nouit eſſe cùm laici & politici, tùm Eccleſiaſtici ordinis viros, iuſti legitimiq́ue ſui Imperij, Regni, dignitatis atque honoris fautores & ſuffragatores, quiq́ue ab omni vi & iniuria, quæ illi intentatur, toto pectore abhor-

rent,illamq́ deteſtantur. Deinde quòd Romanam Eccleſiam ad priſcæ illius Eccleſiæ Ro. quæ S. Petri & Pauli (cuius quidem egregia ad illam extat epiſtola, quam Chriſtianæ et Orthodoxæ religionis Epitomem atq; compendium veriſſimè dixeris)temporibus,ſub cruce ante M.D.XCII. annos floruit, religionis,vitæ morumq́ puritatem reuocari,à qua quàm longè receſſerit atque deflexerit quid opus eſt multis verbis,res & experientia loquitur,ſeu potius clamat ipſa.

Henricus M.colit & exoſculatur non baſilicas, non oſſa,ac reliquias S. Petri & aliorum Apoſtolorum,ſed illorum doctrinam & religionem,quæ veræ & ſalutares ſunt illorum reliquiæ. Nam inter doctrinam & vitam cùm Chriſti,cuius ſe vicarios profitentur,tùm Petri,Pauli & aliorum Apoſtolorum, quorum ſe ſucceſſores gloriantur, (quos S. Bernhardus Conſtantini potius,quàm Petri ſucceſſores appellauit) cùm imitatores potius eſſe deberent, quantum ſit diſcrimen & interuallum ſatis ſuperq́ inter omnes, quibus ciuitatis Eccleſiæque illius ſtatus eſt cognitus,conſtat.

Et hæc ſint dicta de vita vtriusq́ publica, ex quibus patet qualis vterq́ in Imperijs ac Magiſtratibus, in Repub. & Eccleſia pace belloque regenda, in publicis denique rebus adminiſtrandis fuerit. Nunc videamus qualis vtriusque interior, familiaris, priuata & domeſtica vita fuerit, quibus moribus atque fortuna vterque domi, & inter ſuos ad ſupremum vſque vitæ diem egerit. Non enim minus vitæ interioris, & domeſticæ actiones, quàm res foris geſtæ, & actæ in publico & in propatulo Principem & Magiſtratum oſtendunt ac demonſtrant. Hac ipſa methodo atque ordine Eginhartus quoque vſus eſt,à vita & actionibus publicis, ad vitam actionesq́ue priuatas & domeſticas progrediendo. Vt autem in prima, ita in hac quoque parte ſcriptoris & hiſtorici huius ordinem atque ſeriem ſequi certum eſt.

Primò igitur narrat quomodo Carolus M. ſeſe erga fratrem ſuum Carolomannum geſſerit. Nam poſt patris mortem Regnum cum illo partitus,tanta patientia ſimultates & inuidiam eius tulit, vt omnibus

nibus mirum videretur, quòd ne ad iracundiam quidem ab eo prouocari potuerit. Non minore profectò patientia, lenitate ac manſuetudine Henricus M. falſorum quorundam fratrum, hominumq́ maleuolorum inuidiam, odia, ſimultates atque iniurias fert ac tolerat, ita vt cum maxima omnium admiratione vix ad iracundiam vel minimam, nedum ad vindictam & vltionem ſeſe prouocari patiatur. Illos non tam vlciſci, quàm comitate, & affabilitate ſuaui, benignitate ac beneficentia ſua ſingulari ſibi demereri, atque reconciliare ſtudet, & id quidem fœlici ſucceſſu. Nam multi qui antea eum graui acerbo & capitali odio proſequuti fuerant, nunc ei ſint amiciſsimi, illum amore, honore et obſeruantia ſumma proſequantur, ac non fortunas tantùm, ſed etiam vitam ſanguinemq́ue ſuum pro illius ſalute profundere ſint parati. Quid dicam quod Sixtus quoque ille V. Pontifex Ro. qui diris antea eum deuouerat, & dira anathematum tela atque fulmina in illum eiaculatus fuerat; tandem audita nimirum cognitaq́ue cauſa illius æquitate, cognitis eius virtutibus præſtantiſsimis, ei fauere ac patrocinari cœpit, qua in re illuſtriſs. Principis Luxemburgij (quem hîc, ſicut eius dignitas poſtulat, honoris gratia appello) legatio procerum Regni Catholicorũ nomine ſuſcepta & obita plurimũ valuit. Vrbano quoq; papa Ro. qui Sixto V. ſucceſsit, forſan orbanu, vt ita loquar, hoc eſt, amico et beneuolo vſus fuiſſet, ſi Deus illũ diutius viuere ꝑmiſiſſet.

Quantum verò ad Caroli M. matrimonium attinet, cuius ſecundò Eginhartus meminit, prima eius vxor fuit filia Deſyderij vltimi Regis Longobardorũ, Irmogarda nomine, quam matris ſuæ hortatu (quod ipſum quoque pietatis, amoris & obſeruantiæ illius erga matrem ſignum non leue fuit) in vxorem duxit, ſed illam, incertum qua de cauſa, repudiauit. Nonnulli ſterilitatem, & aduerſam valetudinem eius repudij huius cauſam fuiſſe tradunt.

Secunda, quam poſt repudiatam primam matrimonio ſibi iunxit, fuit Hildegardis, ſeu Hildegarda (amoris hortum nonnulli interpretantur) de gente Sueuorum præcipuæ nobilitatis filia, quæ tres ei filios, Carolum (qui vita defunctus eſt in Boiaria, pridie Calend. De-

cemb. anno DCCCXI.*) Pipinum, & Ludouicum, & totidem filias, Rotrudim, ſiue Rudrudam (quæ Conſtantino* V. *Imperatori Conſtantinopolitano deſponſata fuerat) Bertam & Giſlam nomine peperit.*

Tertia eius vxor poſt Hylegartæ mortem (quæ pridie Calendas Maij, feſto Aſcenſionis Chriſti diem ſuum ob j:) fuit Faſtrada, quæ etiam Seſtrada vocatur, ex Francorum Orientalium Germanorum, gente oriunda, filia Rudolphi Principis Francorum, ex qua duæ ei natæ ſunt filiæ, Thedrada & Hildrudis.

Quarta, quam Faſtrada defuncta (IIII. *Idus Auguſti eo anno, quo Francofurdiana Synodus fuit celebrata, humata Moguntiæ in templo S. Albani) duxit, fuit Luitgardis Alemanna, ex qua nullos habuit liberos.*

Poſt Faſtradæ mortem 4. habuit concubinas, eæ fuerunt Mathalgardis, quæ peperit ei filiam, Rothildim nomine 2. Gerſuina Saxonici generis, ex qua ei filia Adeldrudis dicta, 3. Regina nomine (Reginopyrga ab alijs dicta) quæ ei Drogonem & Hugum (qui etiam Hugo dictus) genuit. 4. Adelluida, ex qua ſuſcepit Theoderichum. Quintam addit Eginhartus anonymon, cuius nomen ſcribit ſibi non occurrere, ex qua filia, Rothais nomine, ei nata eſt.

Vxores igitur Carolus M. habuit 4. concubinas 4. ſeu 5. liberos ex omnibus 13. numero, 6. nimirum filios, & 7. filias.

Quemadmodum igitur primum Caroli M. matrimonium cum Deſyderij Regis Longobardorum vltimi filia (quam Irmogardam Auentinus nominat) matris iuſſu ac voluntate (pacis forſan & amicitiæ inter vtrumque Regem conciliandæ cauſa) contractum infœlix & inauſpicatum fuit, quoniam illam mox repudiauit: ſic Henrici M. connubium, quod matris ſimiliter ſuæ voluntate ſuaſuque cum Margareta Henrici II. *Regis Galliæ filia inijt (quo ſpes fuerat firmam & tutam totius Regni pacem ſanciri poſſe) quàm infelix, quàm inauſpicatum, quàm triſte & funeſtum fuerit, res et euentus ipſe, proh dolor, ſatis docuit.*

Vt autem reliqua Caroli M. connubia cum Hyldegarda inprimis, deinde

deinde cum Faſtrada, & cum Luitgardi fœlicia admodum fuerunt & fauſta, ſecunda atque fœcunda: ita Deum precabimur ex animo, vt hoc Henrici M. infortunium alterius connubij fœlicitate compenſare eiq; vxorem eius virtute maieſtateq; dignam copulare dignetur, quæ illum ex aduerſa hac ſua fortuna recreet atque reficiat, & pulcherrima prole Regniq; hærede beatum faciat.

Quòd autem Carolus M. concubinarum quoque conſuetudine vſus eſt, vt homo humani quid paſſus eſt, grauiterq; peccauit. Itaque hæc eius polygamia, & concubinarum conſuetudo nullam excuſationem, ſed reprehenſionem potius, iuſtiſſimam meretur. Conſtantinus quoque M. parum aduerſus concubinas videtur ſeuerus fuiſſe, qui maritis concubinas ita interdicit, vt ijs, qui ſunt cœlibes, relinquere videatur, cuius hæc eſt conſtitutio: Nemini licentiam concedimus, conſtante matrimonio, habere concubinam. Hoc autem Caroli M. peccatum Deus Pipini gibboſi filij eius ex concubina nati rebellione & conſpiratione aduerſus eum grauiter puniuit.

Nos autem orabimus Deum, vt hanc Henrico M. mentem inijciat, vt maritalem vitæ ſocietatem honeſtam, caſtam, ſanctam, ab ipſo Deo partim ſobolis procreandæ cauſa (ne genus humanum temporis longinquitate occideret) partim libidinis & ſcortationis vitandæ gratia inſtitutam, thorumq; connubialem incontaminatum atque purum, cuius pellicum, concubinarum atque meretricum conſuetudini turpi, infami, flagitioſæ, pernitioſæ periculoſæq; pro pietate ſua anteponere perſeueret.

Caroli deinde M. erga Bertradam matrem pietas prædicatur. Illam enim ad extremam vſque ſenectutem magno in honore habuit, ſumma reuerentia coluit, ita vt nulla vnquam inter eos ſit exorta diſcordia, præterquam in diuortio filiæ Deſyderij Regis, quam illa ſuadente duxerat: illam denique poſt mortem Hildegardis, quum iam tres nepotes ſuos, totidemq; neptes in filij ſui domo vidiſſet, vita hac defuncta, in eadem baſilica, qua pater ſitus eſt, in æde Dionyſij, magno honore curauit humari.

Non minore Henricus M. pietate, amore, honore & obſeruantia matrem ſuam Ioannam Reginam Nauarræ, religionis vitæ morumque magiſtram fideliſſimam, conſtanter proſecutus eſt, quam etiam Lutetiæ paulò ante nuptias ſuas piè defunctam non ſine veneni ſuſpicione, honorificentiſſimè ſepeliri curauit.

Sororem quoque ſuam vnicam Ciſlam nomine vitæ monaſticæ addictam Carolus M. non minori quàm matrem pietate coluit, quæ paucis ante eius obitum annis in eo, in quo habitauit, monaſterio deceſſit. Ita Henricus ſororem ſimiliter ſuam vnicam, Margaritam nomine, cuius opera in Bearnenſis & Nauarrenæ ſuæ ditionis adminiſtratione optima ac fideliſſima vtitur, lectiſſimam caſtiſſimamque virginem fraterno amore atque honore proſequitur.

Sequitur Caroli Magni honeſta, pia, diligens accurataq́; liberorum vtriuſque ſexus educatio ac inſtitutio. Liberos enim ſuos (vt ſcribit Eginhartus) ita cenſuit inſtituendos, vt tam filij, quàm nepotes liberalibus ſtudijs, quibus & ipſe operam dabat, erudirentur, cùm filios, quàm primùm ætas patiebatur, more Francorum, equitare, armis ac venationibus exerceri fecit. Filias verò lanificio aſſueſcere, coloq́; & fuſo, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honeſtatem erudiri curauit. Filiorum præterea & filiarum tantam in educando curam geſſit, vt nunquam ſine illis domi cœnaret, nunquam ſine illis iter faceret. Adequitabant ei filij, filiæ verò ponè ſequebantur: quarum extremum agmen ex ſatellitum numero ad id ordinati tuebantur.

Multi extant de liberorum, Principum præſertim, educatione & inſtitutione libri præclari, qui multa præcepta vtilia continent. En tibi exemplum educationis præſtantiſſimum, quod plurimorum librorum præceptorumq́; inſtar tibi eſſe poterit. Nam cùm duæ ſint partes hominis, ex quibus eſt conſtatus, animus & corpus, Carolus M. animos quidem filiorum ſuorum liberalibus artibus ac diſciplinis, quibus ipſe quoque imbutus erat, ad omnem humanitatem, honeſtatem atque virtutem excoli, ac informari, corpora autem bellicis exercitijs,

nempe

nempe equitationibus, armis palæſtra, venationibus quibus ipſe quoq; delectabatur, exerceri curauit, vt nimirum & corpore & animo ad patriæ inſeruiendum apti eſſe poſſent & idonei. Quantum ad filias attinet, obſeruatione digniſſimum eſt, quòd illas non otio (quo & animi & corpora facilè corrumpuntur, quodq; multorum ſcelerum & flagitiorum eſt inuitamentum) indulgere, ſed honeſtis artibus, vt lanificio, colo atq; fuſo vacare voluit, quarum artium hodie multas non modò nobiles & generoſas, ſed etiam tenuis & ignobilis ſortis atq; fortunæ mulieres atq; puellas ferè pudet, ita vt illas ſibi dedecori eſſe exiſtiment atq; ignominiæ, Perſas forſan imitantes, apud quos, teſte Curtio, lanificium res habebatur ſordida & ignominioſa. Auguſtus contrà tantus Imp. ſimiliter vt Carolus M. filiã & neptes, vt Suetonius ſcribit, ita inſtituit, vt lanificio etiam aſſuefaceret. Apud Rom. lanificium magno fuiſſe in precio indicat vox Talaſio nuptialis, quæ exhortatio erat, teſte Plutarcho in Romulo, ad lanificium, quod Græci ταλασίαν vocant. Vnde etiam moris erat apud eoſdem, vt nubentes virgines comitaretur colus & fuſus cum ſtamine.

Animaduerſione poſtremò dignum (quod omnes parentes imitari decet) quòd vt Daniel olim & heroici Iudæorum atq; Babyloniorum liberi in Regis conſpectu educari conſueuerãt, ita Carolus quoq; M. liberos ſuos vtriuſq; ſexus in conſpectu ſuo educari voluit: oculos ſuos illis ſemper habuit intentos, eorumq; aſſiduum ſeſe inſpectorem præbuit. Nam vt oculus Domini domum ædificare, agrum colere atq; ſtercorare, equos aliaq; pecora optimè paſcere dicitur, ita oculi parentũ (modò peruerſo præpoſteroq; amore non ſint excæcati) optimi ſunt & efficaciſſimi liberorum magiſtri atq; pædagogi.

Henricus autem M. etſi nullos habet ex matrimonio liberos, tamen ſubditos ſuos liberorum atque pignorum chariſſimorum loco ducit, quos magnoperè cupit pijs honeſtisq; animi & corporis exercitijs deditos ab otio, ignauia atque deſidia, qua nihil turpius, fœdius, damnoſius & pericloſius, eſſe alieniſſimos. Nihil ei gratius eſt & optatius quàm pueritiam ac iuuentutem in Scholis & Academijs ad id inſtitutis omni virtutum & ſcientiarum, artium, pacis & belli gene-

re optimè inſtitui ac erudiri, vt aliquando & Eccleſiæ & Reipublicæ domi foriſq; magno vſui ornamentoq; eſſe poſſit. Parentes omnes vehementer exoptat Caroli M. eſſe imitatores, hoc eſt, in liberorum ſuorum honeſtam piamq; educationem ac inſtitutionem omni ſtudio, labore & opera ſua incumbere, vt non modò familiæ, ſed Reipublicæ atque patriæ magno ſint aliquando commodo ac ornamento.

Præterea Carolus. M. liberorum ſuorum amore maximo flagrauit, cuius ſignum fuit tùm honeſta liberaliſq; eorum educatio (de qua paulò antè dictum eſt) tùm quòd & duorum filiorum, Caroli maximi natu & Pipini, & filiæ Rodrudis, quæ Conſtantino Conſtantinopolitano Imperatori deſponſata fuerat (quos ex ſecunda vxore Hyldegarda natos ſolos ante obitum ſuum ex omnibus liberis ſuis amiſerat) mortem ægrè nimis moleſteq; tulit, ita vt modum multis viſus fuerit tranſiliiſſe. Deinde Pipino filio ſuo ſecundo genito Italiæ præfecto vita hac defuncto Bernhardum filium eius nepotem ſuum in Italiæ Regno patri ſuccedere, & quinque eiuſdem filias ſuperſtites Adelhaidem, Atalam, Gundradam, Bertam, ac Thedradam inter filias ſuas educari curauit. Ita Henricus M. omnes Imperio poteſtatiq; ſuæ ſubiectos, ſibi præſertim morigeros & obſequentes, dictoq; audientes incredibili amore complectitur, illorum commodis atque ſaluti non ſecus ac ſi ſui liberi eſſent, fideliſſimè conſulit, contrà illorum incommodis, calamitatibus, periculis, morte animo ſuo mirificè diſcruciatur & torquetur.

In amicitijs & contrahendis & ſemel initis atq; contractis conſeruandis, tuendis, omniq; officiorum genere colendis Carolus M. ſe facilem, fidelem & conſtantem præbuit. Similem laudem Henrico M. tribui poſſe omnes norunt, qui illum norunt. Nam vt ad quoſuis vel maximos inimicos ſuos, à quibus maximis affectus eſt iniurijs (ſi illos iniuriarum ſuarum pœnitet, earumq; veniam ab illo petunt) in gratiam atque etiam in amicitiam ſuam recipiendos, pro incredibili naturæ ſuæ bonitate ac manſuetudine, eſt promptiſſimus, ita in amicitijs tuendis & colendis ſingulari eſt fide atque conſtantia.

Porrò

Porrò Carolum Magnum Deus non ſolùm externis, & quidem grauiſſimis, quæ geſſit aduerſus barbaras gentes, verùm etiam inteſtinis & domeſticis bellis atq; turbis exercuit. Nam in Germania primùm magna & valida aduerſus illum facta eſt coniuratio, cuius auctores atque ſocij partim luminibus fuerunt orbati, partim, & quidem plerique in exilium (cùm longè grauius & atrocius ſupplicium fuiſſent promeriti) fuerunt eiecti, nulli occiſi præter tres, qui ne comprehenderentur ſtrictis gladijs, occiſis etiam nonnullis, ſe obſtinatè defenderant. Deinde cùm ſuſcepta expeditione aduerſus Hunnos in Boiaria hyemaſſet, Pipinus filius ex concubina natus (& hæc quidem polygamiæ eius pœna fuit) facie pulcher, ſed gibbo deformis, morbo ſimulato, vana quadam ſpe Regni à nonnullis Francorum proceribus lactatus atque deceptus, aduerſus patrem ſuum conſpirauit, non ſecus atque Abſolonus olim ex adulterio procreatus, qui facie pulcher, animo deformis fuerat, ambitione, & Regni cupiditate atque ſpe vana deluſus, adulatorum quorundam illecebris ac lenocinijs incitatus & impulſus aduerſus Dauidem patrem ſuum inſurrexit, ac coniurationem ſceleris plenam fecit, quod ipſum quoque iuſto Dei peccatis peccata punientis iudicio factum eſſe quis dubitat?

Verùm hac conſpiratione atque fraude mox, Dei benignitate, detecta, Carolus Magnus pro admirabili ſua benignitate Pipinum filium nulla alia pœna (cùm grauiſſima dignus fuiſſet) affecit, quàm quòd illum tonſum in cœnobio opulentiſſimo, quod in agro Treuerenſium eſt ſitum, Prumia dictum (quod vitæ genus ille iam antea ſua ſponte amplexus fuerat) viuere permiſit. Vtrique autem huic conſpirationi anſam & occaſionem præbuiſſe creditur, vt Eginhartus teſtatur, Faſtradæ crudelitas, cui Carolus Magnus nimium indulſiſſe, atque ita à ſolita & vſitata ſua lenitate ac manſuetudine deflexiſſe viſus eſt.

Hac quoq; in parte, & in aduerſa hac fortuna quanta inter Carolum M. & Henricum M. ſit ſimilitudo, vel me tacente facilè intelligitis. Non enim vnus tantùm atq; alter Pipinus gibboſus, & nothus

ſeu ſpurius,ſed(proh dolor)multi quaſi Pipini ſpurij,hoc eſt,Galli,ſiue Franci non genuini & veri,ſed fucati & adulterini aduerſus Henricum M.verum,naturalem,iuſtum legitimumq́ ſuum patrem, patronum,paſtorem,Dominum atq; Regem (quem ceu patrem ipſi ceu filij, veri,amore,honore & obſequio colere debebant)ambitione, auaritia, inuidia,odio & alijs prauis affectibus incitati, non morbum, vt Pipinus,ſed religionis, æquitatis & iuſtitiæ ſtudium ſimulantes inſurgunt & inſultant,pertinaciter obſtinateq́ ei repugnant ac reluctantur, illū quouis pacto vel dolo & fraude, vel vi aperta è medio tollere conantur. Hi verè ſunt Titanes,Gyganres, Theomachi,qui,vt Paulus loquitur,diuinæ ordinationi ſeu conſtitutioni aduerſantur, & idcirco iudicium,id eſt,pœnam diuinamſubibunt, id quod experiuntur quotidie. Hos Plato quoq; vt Cic.ait, Titanum è genere ſtatuit,quod vt illi cœleſtibus, ſic hi aduerſantur magiſtratibus. Deus dura & plus quàm ferrea illorum hominum pectora emollire,et ad iuſtū debitumq́, cùm Dei,tùm Regis ſui obſequium flectere dignetur.

Vt autem Faſtrada mulier ſuperba et inſolens,conſpirationū atq; turbarum iſtarū cauſa et origo extitiſſe dicitur,ſic vtinam hodie quoq; non multæ in Gallia extitiſſent,et adhuc eſſent Faſtradæ.hoc eſt,mulieres crudeles,immanes,ſuperbæ,aſtutæ,callidæ,malitioſæ,turbarum iſtarum omniū atq; moleſtiarū quaſi flabella,quæ viros ſuos, vt Eua Adamum,miris verborum blanditijs atq; lenocinijs in multas et quidem capitales fraudes impulerunt.Hinc documentum capiant omnes viri,vt non temerè muliebribus verbis atq; conſilijs fraudum & inſidiarum ſæpè pleniſſimis obſequantur,ſi & ſuæ priuatæ & publicæ totius patriæ ſaluti bene volunt eſſe conſultum.

Quemadmodū autem Deus duplicem iſtam coniurationem patefecit,atq; ita Carolū M.ex maximis vitæ periculis eripuit:ita prædicari ſatis et celebrari nō poteſt immenſa Dei Opt.Max.clementia atque miſericordia,qui Henricū M.ab ineunte ætate ad hoc vſq; tempus ex innumeris innumerabiliū ſuorū hoſt.ū cōſpirationibus, machinis,inſidijs,dolis ac fraudibus eripuit ac liberauit.Eidē ſupplicabimus,vt in poſterū quoq; eiuſdē vitā atq; ſalutē vmbra alarū ſuarum, hoc eſt, di-

nino & angelico ſuo præſidio aduerſus omnes iuratos & obſtinatos eius hoſtes tueri atq; tegere, & coniurationes, cõſpirationes, ligas atq; fœdera iſta omnia cruenta rũpere, frangere, cõuellere ac labefactare dignetur.

Poſtremò vt Carolus M. in occultos tetrosq; iſtos ſuos hoſtes non ſæuijt, nec crudelitatem & immanitatem vllam exercuit, ſed vitæ illorum atq; ſaluti clementiſſimè pepercit: ita admirationi eſt omnibus incredibilis, rara & inuſitata Henrici M. clementia, lenitas, manſuetudo, placabilitas, qua quibuſuis vel acerbiſſimis & iniurioſiſſimis ſuis hoſtibus reſipiſcentibus, culpã ſuam agnoſcentibus ac deprecantibus, veniamq; ab eo petentibus ignoſcit ac veniam dat, memor dicti illius Chriſti: Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur.

Carolum M. ait Eginhartus, per omne vitæ ſuæ tempus ita cum ſummo omnium amore & fauore & domi & foris conuerſatum eſſe, vt nunquam ei vel minima iniuſtæ crudelitatis nota à quoquam fuiſſet obiecta. Non minus verè hoc de Henrico M. dici & affirmari poteſt, quem conſtat domi & foris incredibili amore, fauore & honore (quo quidem eſt digniſſimus propter virtutum omnis generis præſtantiam) ab omnibus ferè Chriſtiani orbis populis coli. Eiuſdem etiã tanta eſt bonitas ac benignitas & humanitas, quam multis iam modis te ſtatam fecit, vt omni non modò nota, ſed etiam ſuſpicione vel minima crudelitatis careat.. Conſtantini quoque M. ſummam legimus fuiſſe lenitatem ac manſuetudinẽ, ita vt non facilè ſe ad iram & vindictam commoueri ſit paſſus. Vnde cùm homines quidã ſeditioſi ac petulantes ſtatuã eius lapidaſſent, & accuſatores crimen illud atrox atrociſſimis verbis amplificaſſent, clamitantes non minus graue eſſe hoc læſæ maieſtatis crimen, quàm ſi ipſius Imp. viua facies lapidibus cæſa atq; etiam cõtuſa fuiſſet. Hic Conſt. manu ſua faciẽ palpans, & leniter arridens, placidè reſpondit: nullũ ſe vulnus ex illa lapidatione ſentire. Quo reſponſo non ſolùm accuſatores illos eluſit & abegit, ſed etiam alios principes docuit, vt in ſua cauſa placabiles ſe præbeant.

Porrò Caroli M. φιλοξενίαν, hoc eſt præſtantem & eximiam erga peregrinos humanitatem ac beneficentiam Eginhartus his verbis

prædicat & extollit. Amabat peregrinos, & eorum ſuſcipiendorum magnam habebat curam, adeò vt eorum multitudo non ſolùm palatio verùm etiam Regno non immeritò videretur onerosa: ipſe tamen pro magnitudine animi huiuſcemodi pondere minimè grauabatur, quum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac bonæ famæ mercede compenſaret. Hæc ille. Inter omnes ferè virtutes nulla eſt, quæ in ſacris & prophanis literis tantopere commendatur & laudatur, quàm hoſpitalitas, id eſt, humanitas, liberalitas atque beneficentia erga peregrinos. Præ cæteris gentibus Lacedæmonios & Romanos legimus hoſpitalitatis ſtudioſiſſimos, & peregrinis humaniſſimos ſeſe ac benigniſſimos præbuiſſe, quæ non minima diuturni, ſtabilis ac florentiſſimi illorum Regni & Imperij cauſa fuiſſe exiſtimatur. Etſi verò quoſuis homines priuatos, tamen Reges, Principes ac magiſtratus maximè decet eſſe hoſpitales, & peregrinos ſuſcipere, fouere, tueri atque defendere ab omni iniuria. Inhoſpitalitate contrà nihil eſt tetrius, nihil fœdius, nihil turpius, nihil ab omni iure diuino & humano alienius. Vt autem hac virtute Galli omnibus ferè alijs gentibus, omnium eorum, qui in Gallia aliquando vixerunt, confeſſione atque conſenſu, ad hunc vſque diem præſtiterunt, ita Henricus M. inter omnes Gallos, quibus præeſt & imperat Dei gratia, huius virtutis laude principatum videtur obtinere. Nullis enim verbis prædicari ſatis atque laudari poteſt eximia illius erga peregrinos fides, amor, ſtudium, humanitas atq; benignitas. Experti ſunt id, & adhuc quotidie experiuntur omnes peregrini qui ex quacunq; orbis terrarum parte ad illum peruenerunt, quorum alij in Gallia manentes, alij domum redeuntes nihil Rege illo humanius ac benignius eſſe prædicant.

Nec verò erga peregrinos tantum Carolus M. verùm etiam quoſuis pauperes, inopes, egenos, ſiue in ſuo eſſent Regno, ſiue extraneos & peregrinos mirificè benignus fuit atque beneficus. Id teſtatur eius Teſtamentum (de quo poſtea) quo maximam gazæ atque bonorum ſuorum partem pauperibus legauit, immò quæ Eccleſijs legauit, ea lege atque conditione ijs reliquit, vt ad pauperum & inopum vi-

tam ſuſtentandam conferantur. Deinde in longinquas quoq; & tranſmarinas regiones, vt in Syriam, Ægyptum, Africam, Hieroſolymas, Alexandriam atque Carthaginem & alia in loca, in quibus compererat Chriſtianos egeſtate ac paupertate, quæ graue eſt onus, premi & conflictari, magnam pro pietate & miſericordia ſua Chriſtiana vim pecuniæ, ad inopiam eorum ſubleuandam, mittere ſolebat. Et hanc ipſam quidem ob cauſam, vt etiam Conſtantinus olim M. tranſmarinorum Regum amicitiam ambijt, quò maiori Chriſtianis ſub illorum Imperio degentibus auxilio poſſet eſſe atque ſubſidio.

Henricum ſimiliter M. erga pauperes & inopes benigniſſimum ac beneficentiſſimum eſſe, res ipſa atque facta eius quotidiana teſtantur. Vtinam hodie non reperirentur nonnulli principes ac magiſtratus, qui non modò nulla pauperum ac inopum commiſeratione tanguntur nullaq; eos beneficentia proſequuntur: verùm etiam eos diuexant & exagitant, fame, ſiti, nuditate confici ac interire patiuntur. Quin immò ſæpenumerò iniquis, iniuſtis, intolerabilibus ac violentis vectigalium, tributorum ac penſionum impoſitionibus & exactionibus multos diuites & opulentos ad extremam egeſtatem ac mendicitatem redigunt.

Etſi autem Carolus M. erga pauperes & inopes valdè fuit miſericors, benignus & beneficus, tamen mendicos otioſos & vagabundos non paſſus eſt hinc inde palantes paſſim in vrbibus, & in agris alijs eſſe moleſtiæ atque oneri, & hanc vagam mendicorum vitam, quæ multorum ſæpè ſcelerum atque flagitiorum cauſa eſt & origo, ſeuera lege coercuit atq; repreſſit. Hac lege vetuit mendicis palantibus quicquam tribui, ſuos quamq; regionẽ inopes alere, validos labore victum quæritare iuſſit. Fuit hæc Caroli M. lex congrua legi diuinæ, qua prohibitum erat, ne quis in populo Dei eſſet mendicus, congrua & conueniens honeſtati, quæ vaga huiuſmodi mendicandi libidine multis modis læditur. Symmachus quoque Ethnicus teſtatur: Ethnicos non paſſos eſſe quenquam è populo in vrbe mendicare.

Eſſet ſanè optandum magiſtratus in huiuſmodi mendicorum va-

gantium libidine atq; licentia, quæ plurimorum & priuatorum & publicorum malorum cauſa eſt & occaſio, coercenda maiorem adhibere diligentiam ac ſeueritatem, nec ita quibuſuis ſiue ciuibus, ſiue peregrinis mendicandi, & hinc inde vagandi licentiam permittere. Apud Gallos quidem hæc Carolina lex & conſtitutio diligenter adhuc obſeruatur, nec cuiquam per vrbes & pagos vagandi & oſtiatim victum quæritandi licentia conceditur. Sed validi quidem & robuſti ad labores & opera compelluntur, qui autem præ corporis & valetudinis imbecillitate victum ſibi labore corporis comparare non poſſunt, ij certis locis ad id deſtinatis, quæ hoſpitalia vocantur, aluntur ac nutriuntur. Atque hoc quoque eſt Magiſtratus noſtri ampliſſimi & ſapientiſſimi inſtitutum, quod faxit Deus vt bene fæliciterq; cœpit, ita bene fæliciterq; tueatur atq; conſeruet.

Hanc ipſam quoq; Carolinam antiquam patriamq; legem ac conconſuetudinem, vt alias quoque leges & conſuetudines bonas & honeſtas Henricus M. omni ſuo ſtudio atque opera tueri & conſeruari eſt paratus.

Præterea Carolum M. non animo tantùm, ſed etiam corpore fuiſſe magno, pulchro, ſano & robuſto Eginhartus et alij hiſtorici teſtantur. Corpore, inquit Eginhartus, fuit amplo ac robuſto, ſtatura eminente, quæ tamen iuſtam non excederet, nam VII. *ſuorum pedum proceritatem eius conſtat habuiſſe figuram: apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, quibus (vt etiam de Auguſti oculis refert Suetonius) vigoris quid diuini ineſſe videbatur, naſo paululum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta & hilari, vnde formæ autoritas ac dignitas tam ſtanti quàm ſedenti plurima inerat, quanquã ceruix obæſa et breuior, venterq; proiectior videretur, tamen hæc membrorum cæterorum celabat æqualitas. In monaſterio S. Galli Heluetico extant literæ Caroli M. quibus addita eſt imago faciei et pectoris in rota Romana, vnde apparet eum ſpecie fuiſſe virili & plena maieſtatis.*

Hinc apparet Henricum M. Carolo M. prædeceſſori & agnato ſuo

ſuo non animo tantùm, ſed etiam corpore eſſe ſimillimũ. Nam vt ille, ita hic corpore eſt ad ferendos ac tolerandos quoſuis labores robuſto & valido (etſi non tam amplo & procero, vt Carol. M.) lato pectore, latis humeris. Deinde, oculis magnis, caſijs, vegetis, claris ac nitidis, quales etiam C. Iulij Cæſaris & Auguſti Imperatoris Ro. oculi fuiſſe perhibentur. Superciliis decoris & elatis, fronte lata, naſo magno & aquilino, quali Cyrus quoq; olim præditus fuiſſe dicitur, caniciẽ (quã curæ & moleſtiæ ei accelerant) decora, facie atque vultu læto, hilari et amabili. Deniq; forma eximia, venuſta, Regia, dignitatis plena. De Auguſto Imp. Ro. Suetonius tradit illũ vultu vel in ſermone, vel tacitum adeò tranquillo, ſerenoq; fuiſſe, vt quidam è primoribus Galliarũ confeſſus ſit inter ſuos, eo ſe inhibitum, ac remollitum, quò minus (vt deſtinarat in tranſitu alpium per ſimulationem colloquij propius admiſſus) in præcipitium propelleret. Sic Henrici quoque M. & verè Auguſti vultus (qui tacitus eſt index animi) adeò eſt venuſtus, lætus, ſerenus, amabilis, vt multi confeſſi ſint, ſe, cùm antea ab eo alieniſſimi, eiq; inimiciſſimi fuiſſent, eius conſpectu ſubitò mutatos, & ex inimicis, depoſito abiectoque omni odio, ei amiciſſimos factos fuiſſe. Nonnulli etiam, qui vel ſua ſponte, vel ab alijs ſolicitati ac ſubornati vim manusq; ei adferre tentauerant, eius vultu conſpectuque à ſcelere conatuque ſuo nefario (ſicut confeſſi ſunt) deterriti & in ſtuporem quendam & admirationem eius conuerſi fuerunt. Hæc Henrici M. corporis forma virilis ſimul et venuſta vaticinio quodam antiquo fuit prædicta. Inceſſu Carolus M. fuit firmo totaque corporis habitudine virili, quod idem de Henrico M. poteſt affirmari, cuius tota corporis conſtitutio virilis & excelſi eius animi eſt index, virilem et verè Regiam dignitatem præ ſe fert, inceſſu autem pro more Gallorum vtitur paulò celeriore & feſtinantiore, cuiuſmodi ſanè inceſſum præſens etiam rerum ſtatus poſtulat.

Voce Carolus M. clara quidem fuit, ſed quæ minus corporis formæ conueniret; vox Henrici Magni eſt clara, virilis ſuauis, humanitatis ſimul & grauitatis plena. Hîc de eloquentia ſimul vtriusq;

eſt dicendi locus. Duæ ſunt, inquit, Tullianum illud eloquentiæ flumen, artes, quæ poſſunt locare homines in ampliſſimo gradu dignitatis, vna Imperatoris, altera Oratoris boni, ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur. Sic Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus priſcis, ſcribit perſuaſum fuiſſe omnibus, neminem ſine eloquentia aut aſſequi poſſe in ciuitate, aut tueri conſpicuum & eminentem locum. Idem eodem in libro eloquentem eleganter præſidium ſimul & telum vocat, quo propugnare pariter & inceſſere quis poſſit, quibus conueniunt illa Ciceronis: Quid eſt, inquit ille, tam neceſſarium, quàm tenere ſemper arma, quibus tectus ipſe poſſis vel prouocare improbos, vel te vlciſci laceſſitus? Eloquentia igitur, vt ſcribit Eginhartus, Carolus M. fuit copioſus & exuberans, poteratq́; quicquid vellet apertiſſimè exprimere. Idem de Auguſto ſcribit Suetonius, nempe promptam ac profluentem, quæ decet Principem, eius fuiſſe eloquentiam, eiq́ue curam hanc fuiſſe præcipuam animi ſenſum quam apertiſſimè exprimere. Optimè ſanè, nam, vt rectè ait Cicero, hoc vno præſtamus vel maximè feris, quod colloquimur inter nos, & exprimere dicendo ſenſa poſſumus. Eloquentiæ autem Caroli M. exuberantis teſtes ſunt libri illi contra Iconolatriam, id eſt imaginum cultum ſcripti ſtylo copioſo & abũdante. Henricus M. vt Imperatoria, ita oratoria arte & facultate Carolo M. meritò eſt cõparandus, cuius tamen eloquentia non eſt, vt Caroli M. Aſiatica, ampla, copioſa, redundans, & exuberans, ſed laconica, breuis, acuta, neruoſa, paucis multa complectens, plana ſimul & perſpicua. Deniq; vt in omni vita, ita in oratione tenet & colit difficillimam illam ſocietatem grauitatis cum humanitate ac feſtiuitate.

Valetudine Carolus M. fuit proſpera, niſi quod per IIII. *annos ante obitum crebris conflictatus eſt febribus, & ad extremum etiam vno claudicauit pede. Sic Suetonius ſcribit C. Iulium Cæſarem* IIII. *poſtremis vitæ annis animi deliquio laboraſſe. Valetudine adhuc Henricus quoque M. vſus eſt Dei benignitate proſpera & ſecunda, qua faxit Deus vt diu fruatur, quò tot tantisq́; curis, ſolicitudinibus, moleſtijs*

moleſtijs, laboribus, ærumnis pro Regni patriæq́ ſalute ſuſtinendis ac ferendis par ſemper eſſe poßit, & corpore pariter atque animo valeat plurimùm. Pro hac eius valetudine & ſanitate corporis atque animi, qua ille ad totius Regni patriæq́ communis ſalutem vtitur, nos non (vt olim Ethnici) Æſculapio neſcio cui gallũ, ſed Deo ſummo & veriſſimo animi corporisq́ medico vota precesq́ aßiduas & ardentes decet offerre. Valetudinẽ porrò hanc ſuam Carolus M. tuebatur, nõ tam medicorum opera atq́ conſilijs, medicamentis atque pharmacis, quàm partim exercitijs honeſtis & vtilibus, partim diæta ſicca atq́ ſobria, ac cibi potusq́ temperantia, de quibus nunc nobis dicendum. In febribus illis ſuis curandis, inquit Eginhartus, plura arbitratu ſuo, quàm medicorum conſilio fecit, quos penè exoſos habebat, quòd ei in cibis aſſa, quibus aſſueuerat, dimittere, & elixis aſſueſcere ſuadebant. Sic Tyberium quoque Imp. Ro. teſtatur Suetonius valetudine vſum eſſe proſperrima, & tempore quidem principatus penè toto propè illæſa, quam tamen à trigeſimo ætatis anno arbitratu ſuo rexerit ſine adiumento conſiliorum medicorum.

Idem de Pauſania Lacedæmonio literis memoriæq́ proditum eſt, quòd & ipſe valetudinem curabat ſine medicorum auxilio, vnde cum medicus eum interrogaſſet, πῶς γέρων γέγονας, id eſt, quomodo factus es ſenex, reſpondit feſtiuè, quia non ſum vſus te medico. Idem ad medicum dicentem, οὐδὲν κακὸν ἔχεις, id eſt, nihil habes mali, ſimili modo reſpondit, οὐ γὰρ σου ἰατροῦ χρῶμαι, id eſt, quia non te vtor medico. Sed vt omnibus in rebus, ita hac quoque in parte tenendum eſt medium, vitanda duo extrema: vnum eſt medicorum & medicamentorum contemptus atque neglectio, alterum eſt creber nimis & frequens medicamentorum vſus, & medicorum multorum turba quæ, vt, teſte Dione, Adrianus moriturus confeſſus eſt, ipſum perdidit. Henricus itaq́ M. etſi propter ſanam corporis conſtitutionem medicorum opera atq́ conſilijs non valde indiget. (Nam, teſte ipſo Chriſto, qui valent & ſani ſunt, non indigent medico) tamen & medicos & medicinam, ceu Dei donum atq́ munus ſingulare plurimi facit, & ſi opus eſt, medicorum

conſilia atque pharmaca nequaquam aſpernatur ac reijcit, ſed ijs lubens vtitur, memor dicti illius ſapientiſsimi, Eccleſiaſtici cap. 38. Honora medicum digno munere, vt vtaris eo in neceſsitate. Nam Dominus eum creauit, & medicina ab Altiſsimo exorta eſt, & Reges honorant eum. Ars medici exaltat ipſum, & facit eum magnum apud Principes & magnates. Dominus medicamenta, & remedia ex terra produxit, & prudens non aſpernatur ea. Interim tamen cùm in tanta occupationum moleſtiarumque mole non ei ſit otium vt valetudini ſeruire & operam dare poſsit, Deus, Deus inquam eſt, qui eius cùm corporis, tum animi ſanitatẽ admirabili ratione tuetur atq; conſeruat.

Exercitia porrò corporis, quibus Carolus M. cùm animi, tùm valetudinis tuendæ cauſa vſus eſt, tria commemorantur ab Eginharto, nempe Equitatio, Venatio & Natatus ſiue Natatio, et thermarũ vſus. Exercebatur, inquit ille, aſsiduè equitando & venando, quod illi gentilitium erat: quia vix vlla in terris natio inuenitur, quæ hac in re Francis poſsit æquari. Caium Iulium Cæſarem quoq; Suetonius tradit armorum & equitandi peritiſsimum fuiſſe, & vt addit, laboris vltra fidem patientem. Plutarchus etiam teſtis equitandi vſum Cæſari à pueritia adeò fuiſſe facilem, vt reflexis in tergum manibus, equum ſæpè velociſsimo curſu concitare conſueuerit. Perſæ (teſte Herodoto) à pueritia (id quod et fecit Carolus M.) filios ſuos ſagittandi & equitandi arte curarunt inſtitui. Apud Parthos præcipuè (vt etiam apud Francos) equitandi vſus fuit creberrimus & frequentiſsimus, ita vt equis & bella, & quæuis ſiue publica ſiue priuata officia atq; munia obire conſueuerint. Apud hos inter liberos et ſeruos hoc erat diſcrimen, quòd ſerui pedibus, liberi equis incedebant. Equitatio autem (cuius Bellerophontem, teſte Plinio, antiqui primum auctorem faciunt) liberum hominem, vt eſt apud Platonem in Lachete, maximè decet, & ad ſanitatem, ad robur corporis, ad bellicam diſciplinam confert atq; conducit, vt Xenophon, Plato, Philoſophi & medici teſtantur. Plato lib. de leg. inter cæteras gymnaſticæ bellicæ ſpecies equitationem quoq; ponit, qua non viros tantùm, ſed etiam puellas vti poſſe & debere cenſuit.

ſuit. Galenus ſimiliter inter reliquas exercitationes gymnaſticas, non infimum locum equitationi tribuit, qua non corpus tantùm, ſed etiam ſenſus ſcribit exerceri: & id medicorum quorundam teſtimonijs probat. Alexander Trallianus in dolore capitis, quem cauſa frigida gignit, vt in epilepſia, et in ſurditate ſalubriter adhiberi teſtatur. Hanc Plinius lib. 27. C. 7. ſtomacho & coxis (tametſi Hippocrates obeſſe potius ſcripſit) vtiliſſimam habitam fuiſſe ſcribit. Hæc ſenſuum inſtrumenta ſubinde purgat, eaque acutiora reddit, hydropicos (vt ſenſit Trallianus) ſi quid aliud, maximè iuuat, ſolutam aluum, & effluentem, teſte Celſo, coercet: crura quoq; tenuia craſſefacit, vt Germanici exemplo Suetonius affirmat. Cæterùm thoraci maximè aduerſatur, nec non veſicæ malè affectæ, in cuius vlceribus curandis Archigenes clariſſimus ille Hadriani Imp. archiatros præcipuè vitandam eſſe equitationem docuit.

Hoc exercitationis liberaliſſimæ, bellicoſiſſimæ et ſaluberrimæ genere Henricus M. à pueritia vſus & delectatus eſt, equitandi ſtudioſiſſimus ac peritiſſimus; vnde etiam nulla ferè ei dona atq; munera magis ſunt accepta et grata, quàm optimi & generoſiſſimi belloq; aptiſſimi equi. Equitationibus item creberrimis et celerrimis hodie, non tam vel voluptatis et animi, vel valetudinis gratia, quàm neceſſitatis, & ſuæ ſuorũq; ſalutis ac defenſionis gratia vtitur, quarũ ille, quod quidẽ omnes teſtes oculati ſatis admirari nõ poſſũt, adeò eſt patiens, vt armatus, et quidẽ graui armatura indutus XXIIII. *horarũ ſpacio equitationem continuã, ita vt nunquã de equo deſcẽdat, ferre atq; tolerare poſſit.*

Quod ad venationem attinet (qua non ſolùm Perſarum Reges, vt Xenophon *in 1. Pædia Cyri, & multi alij teſtantur, verùmetiã potentiſſimi alij Reges ac principes vſi ſunt) illam ſimiliter et ad animi oblectationem ac voluptatem, & ad ſanitatem corporis atq; animi, & ad bellicam fortitudinem ſpectare, plurimorum hiſtoricorum, medicorum & philoſophorum teſtimonijs, Regum exemplis, vſu & experientia ipſa ita clarum & manifeſtum, vt probatione alia non ſit opus.*

Nec tamen Reges & Principes vel Nimrodum, vel Eſauum,

quorum in ſacris literis fit mentio, vel antiquos illos Francorum Reges, de quibus ſuprà, vel etiam Mithridatem Ponti Regem potentiſſimum imitari debent, quem vſque adeò ſanitatis & vitæ ſtudioſum & venationi ded tum fuiſſe legimus, vt VII. annis, neque vrbis, neque ruris tecto vſus ſit. Hoc eſt, non debent ita venationibus operam dare, vt interim res atque negotia ſeria, grauia & ad Reipub. ſalutem pertinentia negligant, & alijs cuncta pro ſuo arbitrio ſeu libidine potius in Repub. & in Eccleſia agendi poteſtatem atque licentiam permittant: atque ita dum illi feras in ſyluis & nemoribus immoderato ac improb. labore conſectantur, interim ſubditos ſuos multorum quaſi venatorum & tyrannorum iniurijs vi atque inſidijs diuexari & opprimi patiantur.

Quod ad Henricum Magnum attinet, ille quidem incredibili venandi ſtudio ducitur, nec tamen idcirco (vt priſci illi Francorum Reges, de quibus ſuprà, facere conſueuerant) rerum & bellicarum, & ciuilium, & forenſium & Eccleſiaſticarum curam negligit, ſed cuncta (vt experientia quotidiana docet) ad Regni & Reipublicæ ſalutem pertinentia ipſemet, curat, inſpicit, perluſtrat, gerit, & adminiſtrat optimè ac ſapientiſſimè. Vtitur quidem ille conſilio atque opera procerum, Principum ac conſiliariorum ſuorum fideliſſima, interim tamen ſuum quoque cum illis coniungit conſilium, ſtudium, laborem atque operam. Non etiam hoc tempore otium illi conceditur ad feras ſectandas, ſed (proh dolor) feros & immanes ſuos hoſtes, qui feras non æquant ſolùm, ſed etiam ſuperant feritate atque ferocia, à quibus non ipſius tantùm, ſed totius Regni patriæque ſalus immaniſſimè oppugnatur, conſectari ac perſequi armis belloq́; iuſtiſſimo cogitur.

Natatu quoque frequenti Carolus M. teſte Eginharto, corpus exercuit, cuius adeò fuit peritus, vt nullus ei iure præferri potuerit. Natationis olim maximus fuit vſus, ita vt pueri ſimul cum literarum elementis natandi artem diſcerent, vnde prouerbium illud: Nec literas ſcit, nec natare, contra bardos & inertes, profectum eſt. Natationis

tionis peritia in bellis, in naualibus præſertim pugnis, in tranſeundis vadis ac fluminibus valde vtilis, immò neceſſaria, vt contrà artis eius ignorantia & imperitia, ſæpè magnarum cladium eſt cauſa, quod exercitui Cyri eueniſſe Xenophon prodidit. Hanc ob cauſam Romani, vt ſcribit Vegetius, campum Martium Tyberi vicinũ delegerunt, vt in altero armis ſeſe exercerent, in altero ſudorem ac puluerem diluerent, & natare ſimul diſcerent. Natandi peritia legimus ſæpè maximos Principes in grauiſſimis periculis ſeruatos eſſe. Vnde Plato in Gorgia natationis vſum varium & multiplicem commendans, hac homines ſæpè è periculis maximis euadere, & ad audendum fortiores animoſioresq́; reddi ſcribit. Sic Iulius Cæſar cùm ab hoſtibus illum inſequentibus vrgeretur, natando diſcrimen euaſit, & altera manu ſublata Commentaria ſeruauit. Hinc Auguſtus quoque traditur nepotes ſuos ipſe & natandi artem & literas docuiſſe. Nec verò ad rem tantùm militarem, verùm etiam ad valetudinis conſeruationem, & affectionum quarundam curationem, ad ſiccitates & ardores temperandos, ad ſomnum inducendum (vnde Horatius,

Tranſnato Tyberim, ſomno quibus eſt opus alto)

natationem conducere, Galenus & alij medici docent. Eius tamen ſecundum diuerſas aquarum, vel calidarum, vel frigidarum, vel maritimarum, vel dulcium, vel fluuialium, vel lacuſtrium, vel ſtagnantium æqualitates, diuerſæ quoq; ſunt vires.

Carolus ergo M. natatione illa calida (quæ indurata emolliendi, refrigerata calefaciendi vim habere putatur, & ob id à Coelio Aurelio in curandis arthriticis commendatur) cùm ad oblectationem & voluptatem, tùm ad ſanitatem, ad concoctionem, ad ſomnum ſibi conciliandum, tùm ad diſciplinam militarem vſus eſt.

Delectatus eſt autem Carolus M. vaporibus aquarum naturaliter calentium, quæ thermæ vocantur, quarum Aquiſgrani (vnde etiam vrbs illa ſic fuit appellata, quam alij Aquas ſimpliciter, alij Aquas Graneas à Sereno Graneo legato Germaniæ Ciſrhenanæ Hadriano imperante vocant) magna eſt copia. Et hac quidem de cauſa

Aquiſgrani Regiam extruxit, ibiq; extremis vitæ annis vſq; ad obitum continuè habitauit, in qua vrbe adhuc Imperatores inungi & coronari conſueuerant.

Ad balneum autem non ſolùm filios, verùm etiam optimates & amicos, aliquando etiam ſatellitum & cuſtodum turbam inuitauit, ita vt nonnunquam centum vel eo amplius vnà lauarentur.

Balnei vſus ad eluendas ſordes, ad leuandas laßitudines, ad corpora emollienda, calidi præſertim (vnde ἀνθρωπογναφεῖα à Clement. Alexand. dicta ſunt) ad delitias deniq; & mollitiem eſt magnus.

Balneis igitur iſtis calidis ſiue thermis, Carolus M. vt eſt veriſimile, vſus eſt cùm valetudinis & ſanitatis, tùm animi & voluptatis honeſtæ, tum deniq; humanitatis & amicitiæ cauſa, & idcirco non ſolùm filios, ſed etiam optimates, amicos, ſatellites corporiſq; cuſtodes, magnam deniq; hominum multitudinem ad balneum ceu ad conuiuiũ inuitare eſt ſolitus, illorũ nimirũ fauorẽ, beneuolentiam & amicitiam ſibi cõciliandi hac ſua humanitate & fouendi, & forſan etiã multa hoc pacto cognoſcendi & expiſcandi gratia. Nam nullus ferè in locis plura, quæ agantur atq; gerantur tota in vrbe, quàm in tonſtrinis atq; balneis, (vnde prouerbium lippis & tonſoribus notum) cognoſci poſſunt, eò quòd magna ex omnibus vrbis partibus hominum copia illuc confluere ſolet, quodq; illis in locis homines neſcio quomodo liberius loqui, garrire & quæuis effutire conſueuerunt.

Eſt autem vtile valde & fructuoſum Regibus & Magiſtratibus quæuis, quæ in vrbe fiunt & aguntur, ſubditorumq; ſuorum rumores, opiniones, ſententias atq; iudicia quibuſuis de rebus cognoſcere.

Henricum M. veriſimile eſt natandi eſſe peritum, thermis autem huiuſmodi atq; balneis vtendi, etiamſi ijs delectaretur, otium ei non eſt atq; facultas, balnea & thermæ, quæ ei ſudorem excutiunt, ſunt bella continua & grauia, in quibus ei ſemper eſt deſudandum. Et hæc de exercitijs atq; balneis.

Nunc de Victu eius & Dieta, quæ alterum & quidem optimũ valetudinis tuendæ & conſeruandæ, vel etiam amiſſæ recuperandæ eſt remedium.

remedium. Fruſtra enim valetudinem remedijs & pharmacis curare ſtudemus, ſi cibi, potus atq́ diætæ intemperantia nos perdimus. Vnde Cynicus ille philoſophus meritò eos irridebat, qui pro ſanitate litarent, & interim immodico cibo potuq́ ſeſe ingurgitarent.

Carolus igitur M. in potu & cibo fuit temperans, ſed in potu temperantior: quippe qui ebrietatem in qualicunq́ homine, nedum in ſe ac ſuis plurimùm abominabatur: cibo enim nō adeò abſtinere poterat, vt ſæpè quereretur noxia eſſe ſuo corpori ieiunia. Vini autem & omnis potus adeò parcus erat, vt ſub cœnam raro plus ter biberet. Idem ferè de Auguſto prodit Suetonius, quem ſcribit vini natura fuiſſe parciſſimum (quam laudem etiam Iulio Cæſari tribuit) nec amplius ter ſuper cœnam bibere fuiſſe ſolitum. Lex myſtica apud Auſonium ſuadet aut ter aut nouies eſſe bibendum: qui Muſas amat, ter ternos cyathos potat: qui verò Gratiarum cultor eſt, vt inquit Horatius, ſupra tres bibere prohibetur. Anacharſis philoſophus dicere ſolebat, vitem producere tres vuas: primam voluptatis, ſecundam ebrietatis, tertiam mœroris. Cui ſimile illud Aeſopicum, Bacchum tres poſsidere miſtiones, primam quidem voluptatis, ſecundam autem ebrietatis, tertiam verò contumeliæ. Apuleius in Floridis, admonet parcè & ter tantùm eſſe bibendum. Idem quatuor vini crateras ſtatuit, primum ad ſitim, ſecundum ad ebrietatem, tertium ad voluptatem, quartum ad inſaniam pertinere ait. Vino, inquit Plinius, nihil eſt viribus corporis vtilius, neque aliud pernicioſius, ſi modus abſit.

Etſi verò ſobrietas decet omnes, tamen Regem ac Principem maximè, & præſertim rebus militaribus diſtentum. Notum eſt illud: Vino ſapientiam obumbrari. Vnde lex Platonica iuſsit Magiſtratus, quo tempore Remp. gubernant, vino abſtinere: Idē vino interdicit omnibus gubernatoribus, iudicibus & cōſiliarijs: ſic lex Moſæa ſacerdotes ſacrificādi tempore voluit à vino abſtinere, & Salom. Rex ſapientiſsimus magiſtratus & iudices vetat vino vti, ſcilicet immodico, & eo tempore quo illis fungendum ſuo munere. Plato, Ariſtoteles, Euſebius, Galenus laudant vehementer legem Carthaginenſium,

quæ nulli in militia & caſtrenſibus negotijs occupato, vinum toto militiæ tempore permittebatur, ſed aqua ei erat bibenda. Sic Carolus M. ſi quem deprehenderat in exercitu ebrium, eum poſtea aquam potare compulit. Henricus ſimiliter M. magna eſt & mirifica in cibo potuq; temperantia & ſobrietas, ſine qua minimè profectò res tantas, & tam admirandas gerere poſſet, contrà à gula & crapula, hoc eſt, immoderata cibi potusq; ingurgitatione ceu animi corporisq; peſte maxima alienus eſt atq; abhorret.

At Caroli quidem M. maior in potu quàm in cibo dicitur fuiſſe temperãtia & abſtinentia, propterea quòd ieiunia habitus corporis ſui noxia ac periculoſa minus facilè ferre potuit. At Henricus M in bello præſertim atque caſtris inediæ, famis, ſitis, ieiuniorum denique ſiue neceſſitatis, ſiue ſanitatis, ſiue etiam religionis cauſa ſint ſuſcepta, eſt patientiſsimus. Vtinam verò Regum & Imperatorum horum potentiſsimorum temperantiam omnes noſtræ ætatis Reges, Principes ac Magiſtratus imitarentur, nec ita gulæ, ebrietati atque crapulæ eſſent deditti, quæ & ipſis, & toti Reipublicæ atque Eccleſiæ plurima pariit damna, incommoda atq; dedecora. Hodie tamen plerique eorum, qui vel Rebuſpublicis vel Eccleſijs præſunt, non, vt Carolus M. & Auguſtus ter ſed cẽties, millies, atq; adeò totos dies noctesq; bibunt ac potant, ita vt viuere illis nihil aliud quàm bibere eſſe videatur. Non bibunt vel ad neceſsitatem, vel ad ſatietatem, vel etiam ad hilaritatem, ſed ad inſaniam, ad furorem, & ad contumeliam, non ſitis extinguendæ & ſedandæ, ſed eius magis adhuc inflammandæ gratia. Nec vt Carolus M. ebrietatem vel in ſe vel alijs abominantur, et propinationes, vt ille, ac inuitationes iſtas pernicioſas ad bibendũ prohibent, ſed ebrietatem atq; temulentiam in ſe & alijs amant, ſobrietatẽ contrà in ſe & alijs oderũt, ac deteſtantur: ſe deniq; & alios propinationibus immanibus vinoq; ingurgitant et obruũt, et ad quæuis negotia atque munia ineptos planè & inutiles reddunt.

Quod ad conuiuia attinet. Carolus M. rariſsimè conuiuari eſt ſolitus, idq; præcipuis tantùm ſolennitatibus, tamen cum magno hominum nu-

num nu-

num numero, quod liberalitatis eius fuit indicium. Hodie inter nos Chriſtianos, & quidem non præſides tantùm & opulentos, ſed etiam priuatos & inopes, non rariſſimè, ſed creberrimè, imò quotidie, quauis de cauſa & occaſione conuiuia, comeſſationes & compotationes intempeſtiuæ ac intemperantiſſimæ agitari cõſueuerunt cum maxima temporis, pecuniarum, honeſtatis, famæ et exiſtimationis iactura. Henrico autem noſtro M. vix à tot tantisq́ negotijs atque moleſtijs reſpirandi atque viuendi nedum conuiuandi ſeu conuiuia cum ſuis læta & honeſta agitandi ſpacium & facultas datur.

Cœna Caroli M. quotidiana quaternis tantùm ferculis præbebatur, præter aſſam, quam venatores (non autem pueri aut adoleſcentuli quidam molles, delicati, ſplendidi, compti) nõ patinis, lancibus argenteis, ſed (more rituq́ militari & venatorio, cuius apud Homerum quoque fit mentio) verubus veluti lanceis ſiue haſtis, inferre ſolebant, qua carne aſſa ille lubentius, quàm vllo alio cibo veſcebatur. Ita Auguſtus potentiſſimus Imperator Ro. teſte Suetonio, cœnam ternis ferculis, aut quum abundantiſſima foret, ſenis præbebat, vt nõ nimio ſumptu, ita ſumma comitate. Ab hac frugalitate remotiſſimi ſunt noſtræ ætatis non ſolùm Principes, ſed etiam priuati homines, quorum cœnæ atq́ conuiuia plurimis, & quidem copioſiſſimis ſumptuoſiſſimisq́ ferculis ſunt inſtructa cum ſummo & rei familiaris & valetudinis damno atque incommodo.

Henricus M. cùm exemplo ſuo, tùm legibus ſumptuarijs huiuſmodi epularum ferculorumq́ue luxum atque luxuriam (quam verè luem peſtiferam atque luctuoſam dixeris) cœnare atq́ comprimere conatur.

Cœna porrò Caroli Magni non tam cupedijs atque delitijs, cibis ac potionibus delicatis & lautis, quam acroamatis, ſermonibus, lectiunculis ſacris & liberalibus inſtructa & quaſi condita erat. Nam inter cœnandum aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Tanto ergò Magnus ille Imperator literarum liberalium ac diuinarum amore flagrabat, vt inter cœnandum quoque ijs vacaret, ijs ceu delitijs

ſuauiſſimis & ſaluberrimis animum ſuum paſceret. De acroamatum huiuſmodi conuiuialium vſu apud veteres multa extant in antiquis literarum monumentis. Plutarchus libro ſeptimo Sympoſ. Probl. 8. docet, quæ nam acroamata cœnæ ſint adhibenda, & moris ſcribit fuiſſe Romæ recentis, vt Platonis dialogi animi ludiq; cauſa agerentur. Plinius in Epiſtolis de Spurina: Frequenter, inquit, Comœdijs cœna diſtinguitur, vt voluptates ſtudijs quoque condiantur. Plutarchus loco antè citato benè ſapienterq; monet, omnia acroamata, dramata, comœdias, tragœdias, mimos, omnes denique ludos, qui auditores ad impudicitiam, libidinem, affectus, actionesq; turpes & inhoneſtas incitare poſſunt, ab epulis remouendos eſſe.

Alexander quoque Seuerus & re & nomine, Imperator Romanus, teſte Lampridio, nanos & nanas, moriones, hiſtriones, mimos, ſcurras, ioculatores, nugatores, aretalogos ex aula ſua eiecit. De lectionibus quoque cùm apud Ethnicos, tùm Chriſtianos Primitiuæ Eccleſiæ inter cœnandum vſitatis alibi copioſius eſt dictum. Illi qui hoc legendi officio fungebantur, lectores & anagnoſtæ fuerunt dicti.

Legi autem à ſuis anagnoſtis Carolus Magnus ſibi curabat non fabulas quaſdam & legendas vanas, aniles ac ſuperſtitioſas, non carmina aut ſcripta quædam amatoria, ſcurrilia & obſcœna, ſed hiſtorias, ex quibus ceu optimis virtutum officiorumque omnium magiſtris vtilia & ſalutaria benè viuendi atq; regnandi præcepta haurire poterat, & inprimis Regum antiquorum acta & res geſtas, quæ illi ad virtutis laudisque eorum imitationem documento eſſe poterant ac inuitamento. Hinc Demetrius Phalereus Regem Ptolomæum admonebat, vt cõſcriptos de Regno Regũq; antiquorũ rebus geſtis libros legeret, quoniam quæ amici dicere non auderent, ea in libris (quæ liberè cũ omnibus loquuntur) deſcripta continerentur. Nec verò Carolus Mag. literarũ hiſtoriarumq; prophanarũ & humanarũ tantùm, ſed etiam ſacrarum lectione paſcebatur, præcipuè autem monumentorum Sancti Auguſtini, ex quibus multa poterat pulcherrima & ſaluberrima

luberrima, cùm religionis benè colendæ Eccleſiæque reformandæ, tùm Reipublicæ benè adminiſtrandæ præcepta inſtitutaq; depromere: Auguſtini certè patris Eccleſiæ primitiuæ auguſtiſſimi præclara ſcripta multis poſt canonicas, diuinas & authenticas illas literas Propheticas & Apoſtolicas poſtremis his temporibus mentis oculos aperuerunt, ad multos errores & abuſus, qui paulatim in Eccleſiam irrepſerant, cernendos ac intelligendos. Itaque dubium non eſt, quin Carolus quoque M. aſsidua librorum Sancti Auguſtini lectione multos animaduerterit ac deprehenderit in Eccleſia ritus, ceremonias, mores & conſuetudines ſuperſtitioſas, multos errores & opiniones prauas, multa antiſtitum Eccleſiæ vitia regnare ac dominari: quæ corrigere & emendare per concilia quædam ab illo indicta conatus eſt, ſed propter temporum & morum, Epiſcoporumq; iniquitatem conatibus eius egregiis euentus non omninò reſpondit. Forſan etiam pontificum illius temporis, præſertim Ro. quibus plurimùm ac nimium fortaſsis tribuit, auctoritate, amore & proſopolepſia excæcatus, multos errores & ſuperſtitiones, vel non vidit, vel ſi vidit, non auſus eſt corrigere.

Quoniam autem vt Sanctus Auguſtinus inter antiquos illos Eccleſiæ primitiuæ patres & ſcriptores principem facilè videtur locum obtinere, ita præ cæteris Auguſtini ſcriptis libri illi de Ciuitate Dei varia & multiplici doctrina atq; eruditione pleni ſint & referti: mirum profectò non eſt, Carolum M. illorum potiſsimùm librorum lectione valde fuiſſe delectatum, præſertim cùm præceptor quoq; eius Alcuinus doctrinæ ſcriptorumq; S. Auguſtini fuerit ſtudioſiſsimus.

Nunc videamus, quo Henricus M. cœnandi more & conſuetudine vtatur. Is cœna primùm ſiue prandio cogitur propter infinitos occupationes, moleſtias atque pericula vti breui & celeri, & (cuiuſmodi epulum nos equeſtre vulgò appellamus) vna quaſi manu tenere cibum atque potum, altera tela atque arma, quibus ſe aduerſus hoſtium ſuorum vim ac impetum tueatur. Ante & poſt Cœnam eius acroamata ſunt vota atque preces ſacræ, quibus patri

atque paſtori illi noſtro communi atque cœleſti pro alimentis animi atque corporis, proque omnibus eius bonis atque donis corporeis & ſpiritualibus gratias agit, eiuſque gratiam,opem,auxilium, tutelam, qua maximè ſe indigere nouit, quaq; etiam præcipuè nititur atque confidit,implorat.Hoc eſt exordium, hic eſt finis cœnæ eius ſanctus & religioſus. Inter cœnandum verò,nec non cœna & precibus peractis,iocis,ſalibus,dicterijs acutis & liberalibus ſe & amicos atque miniſtros ſuos oblectare conſueuit.Præ cæteris autem libris atq; ſcriptis potiſsimùm omni tempore paſcitur ac delectatur, illo omnium librorum atque ſcriptorum,quæ vnquam fuerunt,& ad finem vſque mundi futura ſunt,principe ac primario(vnde etiam κατ' ἐξοχὴν βίβλια, id eſt,libri appellantur)canonico,diuino, cœleſti,Prophetico & Apoſtolico. Hic liber à ſancti Spiritus liberalitate liberrimaq; voluntate ac inſpiratione profectus,eſt verè liber ab omni errore atque vitio, & idcirco ad nos omni errore & ſuperſtitione liberandos, & in veræ religionis pietatisq; libertatem vindicandos aptus per ſe eſt & idoneus.Quemadmodũ igitur olim Alexander ille Magnus Homeri Iliada rei militaris viaticum appellauit,& Poëtæ illius ſcripta tanto in pretio habuit, vt ſub puluino ſemper poſita ad manum haberet, cùm dicere ſoleret,malle ſe diſciplinis quàm diuitijs excellere:ita Henricus M.ſacrum & ſalutare hoc & vitæ præſentis,quæ viæ inſtar eſt, & vitæ futuræ atq; cœleſtis viaticum aſsiduè circumferre, voluere atque reuoluere,diurna nocturnaq; manu,ſeu mente potius verſare conſueuit.

Diximus de cibo & potu,nunc videamus de ſomno, qui ad cibi potuſque concoctionem, & ad virium corporis & animi recreationem vtilis,immò neceſſarius eſt. Nam vt Poëta ille cecinit:

Quod caret alterna requie durabile non eſt.

Æſtate igitur Carolus M.poſt cibum meridianũ(merendam veteres appellarunt, qui lenis faciliſq; erat cibus,quo veteres erant contenti ad cœnæ vſque tempus) pomorum aliquid ſumens, ac ſemel bibens,depoſitis veſtibus ac calceamentis, velut noctu ſolitus erat, duabus

duabus aut tribus horis quieſcebat. Sic Auguſtum quoque ſcribit Suetonius, poſt cibum meridianum, non vt Carolus M. depoſitis veſtibus & calceis, ſed ita vt veſtitus calceatusq́ erat, retectis (hoc eſt, reuelatis & nudatis) pedibus, paulùlum conquieuiſſe, appoſita ad oculos manu. Et vt Carolus M. pomorum aliquid prius ſumpſit, ita Auguſtus, teſte Suetonio, pro potione perfuſum aqua frigida panem, aut cucumeris fruſtum, aut lactuculæ thyrſum, aut recens aridumúe pomum ſucci vinoſioris ſumere eſt ſolitus. Quod ad ſomnum hunc diurnum & meridianum Caroli M. poſt cibum attinet, videtur ille ſecundum medicorum præcepta atq; regulam valetudini eius contrarius fuiſſe & inimicus. De die dormire, inquit, Auicenna, malum eſt. Hinc ille apud Plautum. Non bonus ſomnus eſt de prandio. Notus etiam eſt ille medicorum verſiculus: Sit breuis aut nullus tibi ſomnus meridianus. Verùm (cùm nulla ſit regula, vt vulgò dicitur, quæ non habeat exceptionem) quoniam Carolus M. ſæpè noctu vigilare ſolitus, poſt cibum facilem & modicum, interiecto forſan aliquot horarum interuallo, ſomnum hunc cepit, eiq́ue à multis annis aſſueuit (nam conſuetudo eſt quaſi altera natura) videtur ei non multùm obfuiſſe, vel etiam profuiſſe potius. Quod autem pomorum, hoc eſt, fructuum aliquid prius ſumpſiſſe dicitur, id vapores è ſtomacho in cerebrum aſcendentes, illudq́ lædentes reprimendi, & concoctionis vel etiam ſomni promouendi cauſa, illum feciſſe eſt veriſimile, vt hodie quoq; cœnæ atq; prandia plerunq́ue pomorum atque fructuum partim recentium, partim ſiccorum & conditorum (quæ bellaria appellantur) eſu claudi conſueuerunt.

Vt autem Carolus M. ita Henricus quoque, qui ſæpè totas noctes inſomnes ducit, non vt ille diſcalceatus & nudus, ſed veſtitus atque adeò armatus interdiu nonnunquam non in lecto molli & delicato, ſed quouis in ſcamno duro, paululum requieſcere corporis vires reficiendi cauſa conſueuit.

Noctu porrò Carolus M. ſic dormiebat, vt ſomnum quater aut quinquies non ſolùm expergiſcendo, ſed etiam deſurgendo interrum-

peret. Auguſtum Suetonius refert non amplius quàm VII.*horas ad ſummum dormiuiſſe, ac ne eas quidem continuas, ſed vt in illo temporis ſpacio ter aut quater expergiſceretur. Quod ſi interruptum ſomnum recuperare non poterat (vt euenit) lectoribus aut fabulatoribus accerſitis reſumebat, producebatq́ vltra primam ſæpè vigiliam. Nec in tenebris vigilauit vnquam, niſi aſsiſtente aliquo. Vterq́ ergo Imperator iuxta Homericum illud turpe duxit. ſe quorum fidei tot populorum ſalus commiſſa atq́ concredita erat, ſolidam dormire noctem, hoc eſt totam noctem ſomno tranſigere, ac non aliquam eius partem cogitationibus bonis & ſalutaribus impendere. Noctu Carolus M. in cubiculo cubans, capiti pugillares ſupponebat, vt ſi quid vtile (vt fieri noctu ſolet, vnde εὐφρόνη vox à veteribus dicta) ei in mentem veniret, id ſtatim poſſet adnotare, ne rurſus è memoria laberetur.*

Henrici M. mira & incredibilis ferè eſt vigilantia, cui III. *aut* IIII. *horas noctu dormiuiſſe ſatis eſt. Vigiliarum eſt patientiſſimus, ac ſæpè media de nocte ſurgens, vigilias, excubias atque caſtra tota obit, ac perluſtrat, id quod Carolum M. quoque feciſſe legimus. Nonnunquam etiam noctu ſurgens iter aliquod ex improuiſo, ſicut res & tempus poſtulat, ſuſcipit. Cùm hoſtes, tùm Regni & Reipub. ſalus omnem ferè ei ſomnum excutiunt, ita vt medici de eius valetudine ſæpè anxij ſint & ſoliciti, qui ſciunt vigiliam immoderatam, & ſomnum nimiù breuem corpora extenuandi magnam vim habere.*

Carolus M. quum manè amiciretur & calcearetur interim non ſolùm amicos admittebat, ſed etiam litigantes audiebat, quem morem Veſpaſianum quoque Auguſtum tenuiſſe Suetonius ſcribit, qui ipſe quoque dum ſeſe amiciebat & calceabat, amicos admittere eſt ſolitus.

Ita Henricus quoque M. mane è ſomno excitatus, cùm precibus & votis ſacris, Pſalmorum & ſacræ ſcripturæ lectioni dat operam, tùm amicos & conſiliarios ſuos admittit, audit, conſulit, conſiliaque cùm illis communicat: ſingulis denique certa dat mandata, certa præſcribit & imperat boni inſtar & induſtrij patrisfamiliâs totius diei,

quaſi

quaſi penſa atque munia, quæ obire & exequi debeant.

Veſtitu (de quo nunc conſequens eſt vt dicamus) Carolus M. vſus eſt patrio, hoc eſt, Francico, qui parũ à communi & plebeio aberat, niſi quòd diebus feſtis, & quando legatos audiebat veſte auro contexta, & gladio multis gemmis ornato, vtebatur, cuius longa extat apud Eginhartum deſcriptio. Peregrina verò indumenta, quamuis pulcherrima, reſpuebat, & veſtitum patrium omnibus modis reducere conabatur. Itaque cum Franci ſagis Gallicis breuioribus præter morem antiquum vti cœpiſſent, veſtium illarum vſum prohibuit, cùm illas non totum operire corpus, maximaque ex parte nudum relinquere neque à pluuijs, ventisq́ defendere diceret. Aliud feſtiuum eiuſdem factum quo in aulicis ſuis peregrinarum & exoticarum veſtium vſum atque luxum, quod ab Auentino narratur, nolo hîc ſilentio præterire. Hyeme, vt eſt Germaniæ mos vetuſtiſſimus, Rhenone ex pellibus lupinis, ouillisúe erat indutus. Cumq́ apud Forum Iulium hybernans, videret Francos pelles exoticas, & veſtimenta peregrina à Venetis mercatoribus magno emptitare: huncq́ ſericatum, illum gemmatum, alium armillatum, alium manuleatum & cycladatum procedere, omnes vti veſtiti erant, ſecum venatum pluuia imminente proficiſci imperauit, veſtibusq́ hiſce imbre corruptis, ſpinis, dumetis atque fruticibus, dum feras inſequebantur atque conficiebant, dilaceratis, & cruore oblitis atque contaminatis, domum reuerſus, iuſſit omnes mox ſecum in prætorium coire, atq́ eodem ipſo habitu ſecum cœnare. Ob frigus tum omnibus ad focum conſidentibus, conuiuium ad multam noctem protraxit. Poſtridie iiſdem indutos veſtibus, cunctos apparere iubet. Tùm vbi huiuſmodi indumenta, partim imbre, pluuia, ſentibus dilacerata, cruore oblita: partim igne, rugis conſtricta, ac proinde rupta & diſciſſa conſpexit, lupinas pelles, quas, vti fieri ſolet, aere ſiccarat, integras oſtendit: ſtolidiſſimi mortalium, inquit, quod veſtimentum nunc vtilius, precioſiusúe eſt? Meum ne, drachma comparatum, an veſtra, tot libris, atque integro patrimonio coempta.

Hoc eodem modo Reges & Principes luxurioſum ac penè prodigioſum veſtium peregrinarum vſum ſi vellent (vt certè deberent) facillimè cobibere atque reprimere poſſent. Veſtis, vt vulgò, & quidem rectè vereq; dicitur, indicat virum. Nam veſtitus decorus, patrius, moderatus, frugalis, humilitatis, modeſtiæ, conſtantiæ, grauitatis & ſapientiæ, contrà veſtitus indecorus, inuſitatus, exoticus, ſumptuoſus, & luxurioſus, ſuperbiæ, inſolentiæ, prodigalitatis, luxuriæ, leuitatis, ſtultitiæ index eſt atquè teſtis, atque ita habitus corporis, animi habitum vel bonum, vel malum & vitioſum arguit.

Quantum ad Henricum M. attinet, veſtitu ille vtitur, atque gaudet patrio, vernaculo, frugali, decoro, ac perſonæ ſuæ conueniente, & quidem plærunque militari & bellico. Veſtes eius ſunt arma, quibus ſemper ferè dies noctesq; eſt indutus, quæque nunquam ferè deponit, in quibus ſæpè pernoctauit, non in lectulo aliquo molli & delicato, ſed in ſcamno aut quouis alio loco duro, vel etiam humi requieſcens. Tanta autem eſt hoſtium eius immanitas, vt non ſolùm Regiæ dignitatis inſignia, ſed etiam veſtitum neceſſarium ei detrahere, atq; adeo vitam eripere conentur, quos Deus ab hoc ſuo propoſito auertere, & ad iuſtam debitamq; erga hunc Regem, beneuolentiam obſeruantiam & obedientiam conuertere atq; flectere velit. Veſtes quoq; eius ſplendidas vereq; regales verè quis dixerit eſſe virtutes præſtantiſſimas, quibus præditus eſt & ornatus.

De religionis Chriſtianæ publica cura atq; ſtudio ſuprà dictũ eſt: nunc de priuato eiuſdem ſtudio cultuq; pauca quædam, quæ ab Eginharto noſtro commemorantur, adijciamus. Eccleſiam igitur, vt ille inquit. Carolus M. mane & veſperi, nocturnis item horis, & ſacrificij tempore, quando eum valetudo permiſerat, impigrè frequentabat. Vtinã hodie Principes & Magiſtratus nonnulli non ſaltus & nemora, (ibi nimirum venandi gratia) nec non ſphæriſteria, theatra, in quibus ludi & ſpectacula ſæpe turpia eduntur, cauponas, popinas, item gurguſtia atq; lupanaria ſæpius & libentius quàm templa frequentarent. Henricus contà M. Caroli M. hac quoq; in parte imitator: quoniam

aſſiduè

aſſiduè, libenter & alacriter (niſi magna ſint impedimenta) Eccleſias, ſiue templa, hoc eſt, cœtus & conuentus ſacros & Eccleſiaſticos adit ac frequentat, illosq́; fieri & agitari curat, in quibus ſacra, hoc eſt, conciones, homiliæ, ſacramenta, vota, preces, Pſalmodiæ, eleemoſynæ ſacræ (quæ quidem vera ſunt noui Teſtamenti ſacrificia) peraguntur ac celebrantur.

Præterea Carolus M. teſte Eginharto, legendi & pſallendi diſciplinam diligentiſſimè emendauit (fuit enim vtriusq́ue ac præcipuè Muſicæ valde amans & peritus) quanquam ipſe nec publicè legeret, nec niſi ſubmiſſa voce & in commune cantaret. Sic Henricus quoque Magnus lectionum, concionum cantionumq́ue ſacrarum eſt ſtudioſiſſimus, qui etiam totum ferè illum Pſalmorum Dauidicorum librum ſanctiſſimum (cuius lectione mirificè delectatur) memoria tenere dicitur. Non pudet etiam eum aut piget, ſed iuuat maximè cùm alibi, tùm in publicis & ſacris cœtibus vnà cum alijs pſallere, animi nimirum ſui in tot tantisq́ue moleſtiarum tempeſtatibus conſolandi recreandiq́ue cauſa: denique non legendi tantùm atque pſallendi, ſed etiam ſacra quæuis alia adminiſtrandi diſciplinam in quibuſdam orbis Chriſtiani partibus admodum corruptam & deprauatam ſecundum ſacræ Scripturæ Canonem cupit corrigi & emendari.

Venio nunc ad extremum vitæ Caroli Magni, quaſi actum laudabiliſſimum ſanè & glorioſiſſimum. Hæc pars complectitur extremam eius ſenectutem, Ludouici filij vocationem ad Regni ſocietatem & inaugurationem, Caroli Magni morbum, mortem, ſepulturam, monſtra atque prodigia, quæ mortis eius fuerunt præſagia, teſtamentum, canonizationem, filij eius ſucceſſionem in Regno & Imperio.

Carolus igitur Magnus, cùm iam & morbis aduerſaq́ue valetudine & ſenectute extrema, quæ ipſa per ſe morbus eſt, afflictus animaduerteret, ſe tot tantisq́ue Imperij ampliſſimi oneribus ſuſtinendis non amplius parem eſſe, & vitæ huius finem appropinquare im-

mò inſtare, filium ſuum Ludouicum Aquitaniæ Regem (qui Pius cognominatus ei poſtea in Regno Imperio ſucceſſit) ad ſe euocatum, congregatis ſolenniter ex toto Regno Francorum primoribus, cunctorum conſilio atque conſenſu conſortem ſibi totius Regni & Imperialis nominis hæredem conſtituit, impoſitoque capiti eius diademate. (id quod Anno DCCCXIII. *factum eſt.) Imperatorem & Auguſtum iuſſit appellari. Etſi igitur plærunque ſenes decrepiti, & ætate confecti deſipere, delirare, & quaſi repueraſcere incipiunt, iuxta dictum illud peruulgatum, Bis pueri ſenes, tamen Caroli Magni in ſumma ſenectute, ſumma ſapientia, prudentia atque pietas in hoc eius facto clariſſimè cernitur. Hoc enim ille pacto pro pia ſua prudentia ac pietate vna eademque opera & ſibijpſi, & filij ſui, & totius Regni poſt mortem ſuam ſaluti, dignitatique optimè conſuluit: cùm & ipſe laboribus alleuaretur, & filius Regni adminiſtrationi aſſueſceret, & populus cognita perſpectaque filij ſapientia ac virtutibus, tanto maiori animorum inclinatione in illum propenderet, & denique futurarum contentionum atque diſſidiorum cauſæ & occaſiones præciderentur. Vnde Eginhartus teſtatur, hoc Caroli Magni factum & eius maieſtatem auxiſſe, & exteris nationibus non minimum terrorem incuſſiſſe. Hinc igitur documentum capiant Reges ac Principes, vt ante obitum ſuum liberorum, & hæredum ſuorum totiusque Regni ſaluti ac dignitati diligenter proſpiciant & conſulant, denique omnem operam, ne poſt illorum mortem motus, turbæ, diſſidia ac bella inteſtina conſequantur, omnesq́ contrà, quoad eius fieri poteſt, futurarum turbarum, motuum, ſeditionum ac bellorum inteſtinorum vias intercludant. Simile autem quid noſtra ætate & quidem paucis ante annis in Regno Gallico accidiſſe nemo eſt qui ignorat. An non enim quæſo Henricus* III. *Rex Galliæ non quidem ſenio confectus, ſed in maximo propter ſupplicium de hoſtibus nonnullis ſuis potentiſſimis ſumptum vitæ diſcrimine atque periculo conſtitutus, Henricum Magnum tunc Nauarræ tantùm Regem (qui ei*

poſtea

poſtea in Regno Gallico ſucceßit) aduerſus quem, quod eſt mirabilibus, antea magnos exercitus miſerat, bellumque geſſerat, ex Aquitania ad Regni ſocietatem, & ad ſe Regnumque totum ſecum vnà tuendum & conſeruandum euocauit? Cuius quidem ille voluntati auctoritatique (cùm multæ ſuſpiciones illum retinere ac remorari potuiſſent) ſtatim paruit, & incredibili celeritate ad ei totique Regno ſuccurrendum aduolauit. Deinde an non idem Rex, accepto mortifero illo vulnere, paulò ante obitum ſuum, cùm ſibi ex hac vita migrandum eſſe videret, coram Regni proceribus, optimatibus atq; Ducibus, Henricum Magnum iuſtum legitimumq; ſuum in Regno Gallico hæredem ac ſucceſſorem, ſecundum perpetuam Regni legem ac conſuetudinem declarauit, omnesque ad iuſtam debitamque ei, ceu Regi & Domino ſuo legitimo obſeruantiam & obedientiam præſtandam, grauiſſimè eſt adhortatus? Poſtremò Deus eſt orandus, vt huius ipſius Henrici Magni mentem Sancto ſuo Spiritu illuminare pergat, vt ille non in præſenti tantùm, ſed etiam in poſterum hæredum ſuorum legitimorum, totiuſque Regni vtilitati atque ſaluti optimè proſpiciat, ac prudenter atque maturè turbis & moleſtijs, quæ poſt eius obitum (quem Deus pro infinita ſua miſericordia diutiſſimè auertere velit) exoriri & excitari poſſent, omnibus modis occurrat atque medeatur.

Porrò vt ad Carolum Magnum redeamus, dimiſſo in Aquitaniam filio, ipſe more ſolito, quanquam ſenectute confectus, non longè à Regia Aquenſi venatum proficiſcitur, exactoque in huiuſmodi negotio, quod reliquum erat, autumni tempore, circa Calendas Nouembris Aquisgranum reuertitur.

Carolus itaque Magnus tanto venandi ſtudio & amore flagrauit, vt in extrema quoque ſenectute venationi (quam medici ſenibus noxiam valde eſſe iudicant) operam dederit, ita ille erat ab otio alienus.

Ita Henricus M. tanto venandi ſtudio ducitur, & tam ab otio

ignauo abhorret, vt ſi quid minimum ei otij à grauiſſimis ſuis occupationibus conceditur, id venationi, quam ad corporis ſanitatem, & ad bellicam virtutem apprimè vtilem fructuoſamq́; eſſe conſtat, impendat.

Nunc de morbo Caroli M. et quæ illum ſtatim fuit conſecuta, morte dicatur: nam morbus & mors, vt literarum ſono apud Latinos, ita reipſa ſunt coniuncta.

Quum igitur Carolus M. Aquiſgrani hyemaſſet, menſe Ian. valida febri correptus, decubuit, qui ſtatim, vt in febribus (quibus IIII. annis ante obitum crebrò laborauit) ſolebat, cibi ſibi abſtinentiam indixit, arbitratus hac continentia morbum poſſe depelli, vel certè mitigari.

Piè profectò ſapienterque tantus Imperator hac ſua abſtinentia, (qua virtute excelluit) non corporis ſolùm, ſed etiam animi ſui ſanitati atque ſaluti conſulere ſtuduit. Nullum enim eſt corporis animique remedium præſentius, melius, efficacius & ſalutarius, quàm ſobrietas, continentia atque temperantia in cibo atque potu. Nihil contrà animi corporisq́; ſanitati magis eſt infeſtum & inimicum, quàm gula, ebrietas, crapula, hoc eſt, immoderata cibi potusq́; ingurgitatio, vndè verè ille dixit, plures gula, quàm gladio interire. Hac eadem virtute Henricus M. præditus & excellens ad admirationem vſque & animi & corporis ſui ſanitatem optimè tuetur atque conſeruat.

Verùm cùm Carolum M. Deus ex hac vita atque ſtatione ad ſe, & ad cœleſtem æternamq́; illam vitam ſortemq́; euocare vellet, ad febrim acceſſit lateris dolor (quem morbum Græci à loco affecto pleuriſim ſiue pleuritidem vocant, et membranæ coſtas ſuccingentis inflammationem definiunt) illoque adhuc inediam retinente, neque corpus aliter, quàm rariſſimo potu ſuſtentante, ſeptimo poſtquam decubuit die, deceſſit. Hic ſilentio præteriri nequaquam debet (quod ipſum clementiæ diuinæ illuſtre eſt documentum) quòd ante paucos annos Henricus M. quo tempore vndique validiſſimis hoſtium copijs cinctus oppugnabatur, eodem morbo, pleuritide nimirum, ex maximis

ſudoribus

ſudoribus & exercitijs contracto tam grauiter periculoſeq́ laborauit, vt ipſi medici tentatis & adhibitis omnibus remedijs, omnem ferè de eius ſalute ſpem abiecerint. At Deus animi corporisq́ ἀρχίατρος, pro immenſa ſua erga illum totumq́ Regnum miſericordia, medicam & ſalutarem ei manum ſuam porrigens, breui illum præter omnem ſpem priſtinæ ſuæ ſanitati atq́ viribus reſtituit, & ad Regis Regniq́ defenſionem & ſalutem reſeruauit.

Tandem verò Carolus M. quaſi ſatur dierum, ſeptimo, poſtquam pleuritide fuit correptus, die, anno ætatis ſeptuageſimo ſecundo, Regni quadrageſimo ſeptimo, Ianuarii quinto Cal. Feb. id eſt, XXVIII. die, hora tertia eius diei, anno imperij decimo quarto, Chriſti Saluatoris octingenteſimo decimoquarto, mundi conditi quatermilleſimo, ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Indictione ſeptima vitã hanc mortalem cum immortali illa & æterna commutauit.

Obſeruare hîc in tanti Imperatoris vita atq́ obitu poſſumus numeri Septenarij vim & naturam, qui non ſine cauſa in ſacris literis ſacer & myſticus habetur. Nam poſtquam Deus perfecta abſolutaque totius mundi fabrica, ſeptimo demum die requieuit, inde adeò fit (Deo ſcilicet in numero, menſura & pondere, vt creauit, ita moderante & adminiſtrante omnia) vt dies anniq́ ſeptimi cùm in magno, tùm in paruo (qui homo eſt) mundo, ferè ſint fatales, decretorij, mutationum, atque perfectionum finis, auctores & indices. Notum eſt vel mediocriter in medicina verſatis Hippocratis illud omnium medicorum antiquorum facilè principis pronunciatum & quaſi Axioma. Vitam hominis ſeptem dierum eſſe. Nam primùm cõceptio certa ſeptem dierum eſt, & ſeptima dies certa firmaq́ eſt iam perfectæ conceptionis nota, ante quam diem, ne fœtus quidem neq́ embrio putatur eſſe, ſed ſemen. Deinde natos & in lucem editos infantes ſeptima probat (qua primus Dauidi ex Berſabea natus infans extinctus eſt) quoniam plurimi eorum, qui vitales non ſunt, intra hebdomadam pereũt. Vnde octauo die Deus voluit infantes circumcidi. Sic in adultis duratio vitæ hominum ſine refectione ſeptem dierum eſt. Sic menſtruo-

rum naturalium, fluxionis & purgationis eorum naturalis finis eſt dies ſeptima.

Deniq; vt morborum ita ætatis humanæ certi ſunt dies, quaſi fatales, & decretorij, qui climacterici Græcè, Latinè ſcalares dicuntur, quòd anni illi ſint velut gradus quidam & ſcala humanæ vitæ, qui quidem ſeptenarijs & nouenarijs ferè definiuntur.

Ac morborum quidem vt alij ſunt acuti, alij chronici, ita acutorum quidem dies decretorij ſunt impares, præcipuè ſeptenarij (vnde Carolus quoque Magnus pleuritide correptus, qui morbus eſt acutus, ſeptimo poſt die extinctus eſt) chronicorum pares, vt vigeſimi, ſexageſimi, octogeſimi, centeſimi.

Ætatis autem humanæ anni decretorij & climacterici, ſiue ſcalares, qui per ſeptennia & nouennia numerantur, præcipui ſunt quadrageſimus nonus, qui conſtat ſeptem ſeptennijs, et ſexageſimus tertius, qui conſtat nouem ſeptennijs, & ſeptuageſimus, qui conſtat decem ſeptennijs (quo anno Carolus Magnus diem ſuum obijt) & octogeſimus primus qui conſtat nouem nouennijs Hinc Dauid: Vita hominis ſeptuaginta anni, in potentatibus octuaginta amplius labor & dolor, quos eoſdem vitæ fines Solonem ſtatuiſſe Diogenes Laertius narrat. Hæc de tempore (quod ſeptenario ferè numero definitur) obitus Caroli M. tanti Imperatoris addere libuit, propterea quòd obſeruatione videntur eſſe digna. Nos verò Deo ex animo ſupplicabimus, vt pro ſua miſericordia Henrico M. vitæ ac valetudinis diuturnam vſuram largiatur, vt Regno huic ſuo, cui quidem ille natus & à Deo deſtinatus eſt, quàm diutiſſimè adhuc viuere, præeſſe atq; prodeſſe, ſtatumq; illius turbulentū componere & pacare, atq; ita tandem ſucceſſoribus ſuis illud pacatum, tranquillum florenſq; relinquere poſſit.

Quemadmodum autem Carolus M. accepta communione, id eſt, Euchariſtia, deceſſit: ita Henricus M. in magnis periculis, antequam ad prælium, aut aliud negotium magni momenti aque periculi aggrediatur, Communionis, hoc eſt, Euchariſtiæ ſeu Cœnæ Dominicæ celebratione & perceptione, nec non ieiunijs, precibus, ſupplicationibus

deuotis

deuotis ac religioſis prius cum ſuis vacare, atque ita ſe ſuosq; ad pericula & ad mortem quaſi præparare ac præmunire conſueuit.

Quantum ad Caroli Magni ſepulturam & exequias attinet, corpus eius more ſolenni lotum & curatum, & maximo totius populi planctu luctuque (qui quidem argumentum fuit amoris, charitatis & obſeruantiæ erga illum) eo ipſo die, quo mortuus eſt, Eccleſiæ, hoc eſt, templo Aquiſgranenſi magnificentiſſimo illatum & humatum eſt. Dubitatum quidem primò fuerat, vbi reponi deberet, propterea quòd ipſe viuus nihil de eo præcepiſſet. Sed tandem omnium animos inſedit, nuſquam honeſtius eum tumulari poſſe, quàm in illa ipſa Baſilica, ab illo conſtructa. Hinc colligimus, Carolum Magnum non (qui ſuperſtitioſorum & ambitioſorum quorundam hominum mos eſt) vel de loco ſepulchrali, vel de funeris & exequiarum magnificentia atque pompa anxium fuiſſe atque ſolicitum, vnde etiam nihil his de rebus in vita ſua præcepiſſe atque mandaſſe ſcribitur. Contrà hodie reperiuntur plurimi inter Chriſtianos, qui de loco ſepulturæ nimis ſunt ſoliciti, ſibiq; ſuperſtitione quadam excæcati, perſuadent, locum ſepulchralem non parum conferre ad ſalutem, ſepulchra item atque monumenta ſumptuoſiſſima curant ædificari, & non contenti eo, quòd in vita luxuriæ nimis fuerunt dediti, poſt mortem quoque in funeribus & exequijs ſuis immoderatam cupiunt adhiberi pompam atque luxuriam, ac ſumptus fieri profuſos & inſanos. Verùm vt omnibus in rebus, ita hac quoque in re modus eſt tenendus, vitanda cùm ſuperſtitio, tùm luxuria, tùm Cynica etiam & inhumana barbaraque funeris, exequiarum & ſepulturæ honeſtæ contemptio: denique perſonarum, moris atque conſuetudinis patriæ diligens hac in parte eſt habenda ratio. Conſtantinum quoque Magnum funeris, exequiarum & ſepulturæ diligentem habuiſſe rationem, Euſebius & alij teſtantur.

Funeris porrò Caroli M. decus & ornamentũ maximũ fuit luctus planctusq; ciuiũ illius ceu patris patriæ optimi & fideliſſ. mortẽ deplo-

*rantium. Nam Regum, Principum & Magiſtratuum optimè de Re-
pub. meritorum obitus pernicioſi plerunq; periculoſiq́ eſſe ſolent, quos
maxima plerunq; rerum & politicarum & Eccleſiaſticarum mutatio
atque perturbatio conſequitur. Etſi igitur Poëta ille funera ſua no-
luit fletu decorari, tamen lugendi meritò, & fletu luctuq́ mediocri ta-
men & moderato, decorandi ſunt virorum præſtantium & de Rebuſ-
publicis & Eccleſijs optimè meritorum obitus. Hîc etiam monendi
ſunt Reges, Principes & Magiſtratus, vt ita ſe in vita atque mune-
re ſuo gerant, vt meritò obitus eorum huiuſmodi hominum fletu plan-
ctuq́ ornentur, non autem ſint obitus eorum hominibus, idq́ meritò
vel clam, vel etiam palàm gaudio ac voluptati, immò ludibrio ac ir-
riſui.*

*Magnum profectò Dei beneficium cenſeri debet funus & ſepultura
tranquilla, pacata & honeſta, tametſi legimus multorum etiam ſan-
ctiſſimorum & religioſiſſimorum hominum corpora hoc honore, homi-
num iniquitate & improbitate caruiſſe, inſepulta iacuiſſe, tandemque
auium & animalium aliorum prædæ fuiſſe expoſita. Nos Deum rur-
ſus orabimus ex animo, & ab illo obnixè petemus, vt Henrici M.
poſtquam is confecto piè laudabiliterq; vitæ muneriſq́ huius curricu-
lo ad metam peruenerit, id eſt, diem ſuum obierit, anima quidem eius
angelorum, vt ita loquar, manibus cælo, corpus autem maiorum ſuo-
rum monumentis atq; ſepulchris inferatur.*

*Monumentum porrò in Caroli M. honorem ſuper tumulum eius
extructum fuit, arcus deauratus (qui quidem arcus triumphalis eius
virtutum, rerum geſtarum, meritorum de Repub. & Eccleſia præſtan
tiſſimorum index fuit atq; teſtis) cum imagine atq; titulo ſeu inſcri-
ptione huiuſmodi, breuiter & ſummatim eius pietatem, virtutes, res
geſtas, annum Imperij, ætatis ac mortis complectente.*

SVB HOC CONDITORIO SITVM EST COR-
PVS CAROLI MAGNI ATQVE ORTHODOXI
IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM
NOBILITER AMPLIAVIT, ET PERANNOS
XLVII.

XLVII. FOELICITER TENVIT. DECESSIT SEPTVAGENARIVS. ANNO DOMINI D. CCC. XIIII. INDICTIONE VII. V. CALEND. FEBRVARII. *Sic (vt taceam plurima alia exempla) Conſtantino M. Romæ in capite viæ Appiæ, ad Palatini montis radices arcus triumphalis (qui hodie adhuc viſitur) erectus fuit cum honorifica inſcriptione.*

Henricus M. propter excellentes virtutes & res geſtas, dignus, immò digniſſimus eſt ſimilibus trophæis, monimentis, titulis, honoris ac dignitatis inſignibus. Nam vt Carolus M. ita ipſe quoq; verus eſt Imperator, ſibi & alijs benè ſapienterq; imperans: verè Magnus dici poteſt & debet, quòd non minus ferè, quàm ille fuit, magnus, immò maximus eſt genere, virtutibus, rebus geſtis fœlicitate, hominum internorum & externorum gratia, fauore & amore, laude deniq; fama atque gloria. His adde, quòd hic ipſe Magni titulus ante annos ferè CC. LI *etiam Ludouico illi primo Duci Borbonio, Pari & Camerario Franciæ (qui Roberti Franci filius, Ludouici S. nepos, Regis huius Henrici M. tritaui auus fuit) ob virtutum & rerum geſtarum magnitudinem tributus fuit, vnde idem titulus gentilitio quoque & hæreditario iure Regi huic meritò tribuitur. Poſtremò verè orthodoxus appellandus & cenſendus, quoniam rectè vereq; fidei nimirum & ſymbolo Apoſtolico, Scripturæ Canonicæ, Propheticæ & Apoſtolicæ conuenienter de Religione ſentit, & quòd ſi qua in re errat & hallucinatur, Eccleſiæ ſecundum canonem Propheticum & Apoſtolicum iudicantis & pronuntiantis iudicio lubens ſeſe ſubijcit, ac melius doceri cupit.*

Caroli porrò M. mortem (vt etiam olim Conſtantini M. mortem) per tres ferè annos antegreſſa ſunt portenta atq; prodigia multa admiranda, immò ſtupenda, quæ partim eius mortis partim maximarum turbarum, malorum, cladium, calamitatum, motuũ, tumultuum, atq; bellorum inteſtinorũ, quæ eius mortẽ conſecuta ſunt fuerunt præſagia atq; præludia, propter quæ optimum Imperatorem de Repub. de Eccleſia, de poſteritate ſua veriſimile eſt valde fuiſſe pro pietate ſua

ſolicitum, Conſtantini quoq; M. mortem multæ turbæ, minæ, tenebræ conſecuta ſunt prodigijs ſimiliter quibuſdam atq; portentis à Deo præſignificata. Nam vt ortus, ita obitus clarorum & illuſtrium hominum ceu luminum ſigna plerumq; inſignia, inſolita & inuſitata, vel præcedere, vel comitari, vel conſequi conſueuerunt, vt & antiqua hiſtoriæ, & ipſa noſtrorum temporum atq; ætatis hiſtoria teſtatur.

Creberrima itaq; illa Solis & Lunæ defectio, illa atri coloris in Sole ſeptem dierũ ſpatio viſa macula, non modò illius (qui orbis Chriſtiani quaſi Sol atq; lumen clariſſimum fuerat) extinctionem, ſed etiam Regni Francici, immò totius Eccleſiæ & Reipub. Chriſtianæ tetras triſteſq; tenebras atq; caliginem, hoc eſt, defectiones, motus, tumultus, ſeditiones, bella inteſtina, ſanguinaria, impia atq; nefaria, quæ eius nepotes & aduerſus ipſum Ludouicum Pium filium & ſucceſſorem eius, ac patrem ſuum, & inter ſeipſos cum maxima ſanguinis profuſione geſſerunt: defectum item pietatis, religionis atque virtutum in orbe Chriſtiano, deniq; fœdiſſimas ignominiæ atq; dedecoris maculas, quæ cùm eius generi atq; familiæ, tùm toti Reipub. Chriſtianæ fuerunt aſperſæ, apertiſſimè portenderunt ac præſignificarunt.

Deinde porticus illius, quam inter Baſilicam & Regiam operoſa mole magnoq; ſumptu conſtruxerat, ruina ſubita die feſto Aſcenſionis Chriſti, quid ſignificauit aliud, quàm ipſum, qui Eccleſiæ adhuc & Reipub. quaſi porticus atq; columna extiterat, ruiturum, hoc eſt, moriturum eſſe, multorum item & hominum & ædificiorum ruinam portendit?

Item pontis illius ſublicij ſuper Rhenum propè Moguntiam, quem per decẽ annos ingenti labore, maximo ſumptu, mirabili opere ita conſtruxerat, vt perpetuò duraturus eſſe videretur, ſubita tribus horis conflagratio, ita vt ne veſtigium quidem eius remanſerit, cui dubium quin non modò illius, qui adhuc ſui populi quaſi pons, hoc eſt, Dux fidelis fuerat, mortem, ſed etiam horrenda illa belli domeſtici & inteſtini, quod inter filium & nepotes exarſit, incendia præmonſtrauerit.

Adhæc fax illa ingens & terribilis, quam in vltima illa ſua in

Saxoniam

Saxoniam aduerſus Godefridum Danorum Regem expeditione ante Solis ortum caſtra egreſſus viderat, equi illius caſus, ipſiusq́ ad terram grauis alliſio, illas ſimiliter bellorum inteſtinorum atque tumultuum faces, caſus atque ruinas grauiſſimas & portentoſas procul dubio præmonſtrauit.

His adde crebros Palatij Aquenſis tremores, frequentes ædium, in quibus verſabatur, crepitus, Baſilicā Aquigranēſem (in qua poſtea ſepultus fuit) de cælo fulmine tactā, maliq́ aurei quo tecti culmen ornatum fuerat, fulminis ictu, diſſipationē: quæ omnia tremores, pauores, armorum crepitus atque ſtrepitus, fulmina, totiuſq́ Regni diſſipationem horrendam præſignificarunt.

Pomum autem illud aureum (vt hoc obiter addam) quod Carolus Magnus in Templi Aquiſgranenſis culmine collocari curauit, ſignum procul dubio fuit atque ſymbolum ſecundum antiquos hieroglifhicum charitatis, pacis atque concordiæ, cuius Carolus fuit ſtudioſiſſimus, vnde ſymbolum quoque eius fuit, VIRTVS VNITA VALET. *Hinc hodie quoque in Caroli Magni ſtatua apud nos, vt ſuprà dictum eſt, viſitur pomum cum cruce inaurata, & illud ipſum hodie quoque eſt Imperij ſymbolum (ab Electore ſeu Septemuiro Palatino Imperatori præferri ſolitum) cuius quidem Imperij ſalus omnis & incolumitas in pacis, concordiæ charitatisq́ ſtudio conſiſtit.*

Illa poſtremò nominis eius (PRINCEPS CAROLVS *) in imagine eius coronæ ſynopide ſcripti, eo ipſo, quo deceſſit anno, paucis ante menſibus deletio miraculoſa illum ex hoc mundo tollendum, & ad alterum mundum verè mundum & ornatum, hoc eſt, ad cæleſtem illam dignitatem ac principatum euehendum eſſe ſignificauit.*

Huiſmodi verò figuris atque prodigijs etſi Deus populos admonet de futuro Regum ac Principum obitu, ac de plurimis malis & incommodis, quæ ille ſecum trahit, & idcirco ad pœnitentiam veram ſeriamq́ue inuitat & allicit: tamen ipſos ſimul Reges ac Principes monet atque docet, vt non nimium vita fragili, fluxa &

caduca,eiuſq́ bonis atq́ commodis nitantur atq́ confidant,ſed ad vitam potius illam cœleſtem & æternam toto pectore aſpirent & anhelent,eius potiſſimùm cupiditate atq́ deſyderio tangantur.

Deinde ædificiorum magnificentiſſimorum, ſumptuoſiſſimorum & munitiſſimorum ſubitis ruinis ac conflagrationibus eiſdem quodammodo Deus exprobrat inſanum ac inexplebile,quo pleriq́ ducuntur,ædificandi ſtudium, ab eo illos deterret & auocat,eoſq́ monet,in ædificijs & ſubſtructionibus ſplendidis,magnificis & munitis non nimium ponendum eſſe ſpei atq́ fiduciæ,cùm illæ,longo tempore, maximis laboribus atque ſumptibus extructæ.ſæpè vel vi tempeſtatum.vel iniuria & impetu hominum vno momento corruant aclabefactentur.

Venio ad eius Teſtamentum,quo mentem ac voluntatem ſuam de bonis ſuis teſtatus eſt, quid de illis fieri,quibuſq́ illa dari atq́ diſtribui debeant.

Teſtamentum hoc non iam morti vicinus, & animam iam iam exhalaturus(vt ſæpe inter Chriſtianos fieri conſueuit) quando de bonis æternis ac cœleſtibus,& de ſalute animæ potius, quàm de bonis & fortunis corporeis & terrenis cogitandum & agendum eſt, ſed III. ante obitum annis,mente ac ſenſibus integris & ſanis condidit.

Teſtamentum autem hoc eius verè officioſum, pium ac religioſum fuit,pietatis charitatiſq́ eius teſtimonium luculentum, quo non ſolùm liberis et hæredibus ſuis,verùm etiam Eccleſijs,Scholis,earumque moderatoribus,pauperibus deniq́ optimè conſuluit

Omnem etenim pecuniam,veſtes,vaſa aurea & argentea,multamque pretioſam ſupellectilem tripliciter diuiſam legauit. Duas partes vni & viginti ciuitatibus metropolitanis Regni,ac earum Epiſcopis dari iuſſit, vt illis partim in templis ſartis tectis tuendis ac reficiendis,partim in pauperum inopia ſubleuanda vterentur. Tertiam verò partem habita vniuſcuiuſq́ ratione,cùm filijs, filiabus,nepotibus, ac neptibus,tùm Palatij ſeruis & ancillis reliquit.

Erant inter cæteros theſauros tres argenteæ menſæ,ac vna aurea eximiæ magnitudinis.Harum trium vnam,quæ Conſtantinop.vrbis imaginem

imaginem referebat, ad ornandum celeberrimum beati Petri Templum Romam miſit. Aliam, in qua forma vrbis Romæ affabrè eleganterque ſculpta erat, Rauennati baſilicæ dono dedit. Tertiam verò, quæ totius orbis deſcriptionem continebat, quæ cæteris & operis pulchritudine, & ponderis grauitate multùm præſtitit, & illam auream, partim pauperibus, partim filijs ſuis reliquit.

Teſtamentum igitur hoc, primò eſt teſtimonium & argumentum ſingularis eius & prudentiæ & charitatis erga liberos & hæredes ſuos quibus omnem, quæ poſt obitum eius exiſtere poſſent. (vt plærunque fieri ſolet) litium, contentionum atque turbarum anſam præcidere voluit, quæ cauſa in ipſo Teſtamento, vt ab Eginharto deſcriptum eſt, ab initio his verbis exprimitur. Vt hæredes ſui omni ambiguitate remota, quid ad ſe pertinere deberet, liquidò cognoſcerent, & ſine lite atque contentione ſua inter ſe competenti partitione diuidere poſſent. Hæc eius fuit voluntas atque propoſitum in condendo hoc Teſtamento. Hoc exemplum ſequi debent omnes parentes atq; viri pij & prudentes. Hinc Conſtantin. ille M. patremfamiliás voluit habere herciſcundæ familiæ ſuæ arbitrium ac poteſtatē, cùm eam ad fratrum conſanguineorum aliorumque hæredum concordiam tuendam pertinere exiſtimaret.

Papinianus quoque iureconſultus ſuæ ætatis clariſſimus, laudat eos teſtatores, qui vt diſcordijs propinquorum ſedandis proſpiciant, quos communio conciliare ſolet, bona ipſi ſua, quæ ijs relinquunt, diuidunt. Hac igitur ipſa de cauſa Caroli quoque M. pro pietate & prudentia ſua hanc Teſtamento bonorum ſuorum diuiſionem fecit, vt hæredum ſuorum concordiæ conſuleret, omnemque ijs litium, contentionum ac diſcordiarum occaſionem adimeret.

Deinde idem hoc illius Teſtamentum teſtimonium fuit atque documentum egregiæ illius cùm erga Eccleſiam eiusque antiſtites, tùm erga pauperes & inopes, ac proinde erga Deum ipſum, erga Chriſtum φιλάνθρωπον *charitatis flagrantiſſimæ. Verè ergò officioſum pium ac religioſum fuit hoc eius teſtamentum, quo maiorem profectò Eccleſiæ,*

& pauperum, quàm liberorum atque hæredum ſuorum rationem habuit: & idcirco Eccleſiæ atq; pauperibus maiorem quoq; bonorum ſuorum partem legauit. Laudanda meritò & perpetuo prædicanda eſt hæc Caroli M. erga Eccleſiam eiusq; præſides, nec non pauperes liberalitas, quam vtinam multi Reges, principes & magiſtratus imitarentur. Hac in parte Carolus M. non modò antiquos illos veteris Teſtamenti Reges pios, verùmetiam noui Teſtamenti & Eccleſiæ primitiuæ Reges & Imperatores Chriſtianos imitatus eſt, qui & ipſi Deo, Chriſto, Eccleſiæ, hoc eſt Eccleſiæ miniſtris atq; paſtoribus, & pauperibus multa & viui & poſt mortem donarunt, legarunt, reliquerunt bona, & alijs donata atq; legata fideliſſimè tutati ſunt, ac magnoperè cauerunt, ne illa rurſus ijs, quibus data fuerunt, adimerentur, & in alios vſus transferrentur, alijs denique donandi atque legandi bona poteſtatem fecerunt.

Extat Conſtantini Magni laudabilis conſtitutio ad populum, cuius hæc ſunt verba: Habeat vnuſquiſq; licentiam ſanctiſſimo venerabiliq; Concilio, id eſt collegio ſiue vniuerſitati ſiue corpori Eccleſiæ, decedens, bonorum quod optauerit, relinquere, & non ſint caſſa iudicia eius. Hac lege Conſtantinus ille Magnus ſanxit, hæreditates & legata Eccleſijs relinqui poſſe. Hæc autem, quæ collegio miniſtrorum & presbyterorum Eccleſiæ, quaſi corpori donari & legari conſueuerant, ea non ſolùm Eccleſiæ, ſed etiam ipſi Deo, Chriſto donari & legari dicebantur. Ethnici quoque falſis ſuis ſacerdotibus, & illarum collegijs hæreditates & legata relinquere conſueuerunt. Huiuſmodi Teſtamenti in iure fit mentio: cuius hæc ſunt verba: Quiſquis mihi hæres erit, fidei eius committo, vt det ex reditu bonorum meorum, ſacerdotij & ἱεροφύλοις & libertis, qui in illo templo erunt, donaria decem die nundinarum. Legatorum, qua Deo relinquebantur, meminit Paulus Iuriſconſul. Et in nonnullis Vlpiani fragmentis legitur: Senatus conſulto principumúe conſtitutionibus, neſcio quos olim deos commentitios, inſtitui hæredes potuiſſe. Multò igitur iuſtiore de cauſa huiuſ-

ſa huiuſmodi legata Eccleſiæ,quaſi ipſi Deo, & Chriſto legata, laudari debent.

Iuſtinianus in quadam ſua nouella conſtitutione,quorundam teſtamentorum meminit, qui Chriſtum inſtituebant hæredem,& interpretatur Eccleſiam eius loci,in quo teſtator degebat, hæredem inſtitutam videri,ea tamen lege, vt totum illud,quod inde conſequitur, pauperibus eroget.

Veriſſimè autem ac optimo iure huiuſmodi dona atque legata,ad Eccleſiæ Dei & Chriſti,ceu veri Dei hominumq́ mediatoris, cultum atq́ religionem tuendam,ad Eccleſiæ Dei & Chriſti θεανθρώπου miniſtros,ſucceſſores,ſeu vicarios (quibus annumerādi meritò ſunt pauperes & inopes) alendos ac fouendos,ipſi Eccleſiæ, ipſi Deo,ipſi Chriſto, vero Deo & homini data,donata,legata,dedicata & conſecrata cenſentur, idq́ ipſius Dei, Chriſti Immanuelis, Eccleſiæ denique teſtimonio iudicio atque ſententia. Hinc colligitur huiuſmodi bona atque dona ſacra, diuina & Eccleſiaſtica non ad prophanos vſus, ſed ad religionis cultusq́ diuini conſeruationem, ad miniſterium Eccleſiæ & Scholæ,ad pauperum ſuſtentationem conferri debere.

Etſi verò hæreditates & legata legibus & conſtitutionibus, adde exēplo Conſtantini M. primi Imperatoris Chriſtiani,nec non lege diuina & humana Eccleſijs relinqui poſſunt & debent: tamen ſtatim poſt Conſtantini Magni tempora extiterunt ſacerdotes & monachi auari, aſtuti & callidi, qui religionis prætextu, cum ventri potius ſuo, quàm Eccleſiæ conſulerent, viduas (vt ille ait) auaras venabantur, hæreditates captabant,& in Teſtamentum veluti irrepere ſtudebant. Quamobrem lege lata huiuſmodi captatoribus & venatoribus teſtamentorum ac legatorum frænum fuit iniectum. Huius legis Hieronymus quoque meminit in ſua ad Nepotianum Epiſtola, nec tam de ea conqueri ſe ait, quàm dolere Eccleſiarum paſtores illam auaritia ſua inſatiabili eſſe meritos, cui reprimendæ illam neceſſariam fuiſſe confitetur. Hæc videtur eſſe illa lex, quæ libro XVI. Codicis Theodoſiani extat, Valen-

tiniani Valentis, & Gratiani ad Damaſum Epiſcopum Ro. Edidêre etiam aliam deinde legem Valentinianus, Theodoſius ii. & Arcadius. Ne viduæ diaconiſſæ quicquã poſſent Clericis dare, relinquereúe. Hanc tamen ii. poſt menſibus reſciderunt & abrogarunt.

Sæpè poſtea hæc clericorum & Eccleſiæ præſidum auaritia legibus fuit coercenda, Et certè extat Carol. M. lex, ne arripiant res, religionis nomine, ab ijs oblatas, quorum liberi & hæredes hac ratione fraudati, talem meritò dicere poſſent donationem inofficioſam. Et eodem tempore Synodus Cabilonenſis, Caroli M. auſpicijs coacta, grauiter reprehendit ſacerdotes, qui multis callidè perſuadebant, vt ſuas Eccleſiæ conſecrarent facultates. Scitum eſt illud Auguſtini. decima ſeptima quæſt. C. vlt. Quicunq; vult exhæredato filio Eccleſiam hæredem facere, quærat alterum qui ſuſcipiat, quàm Auguſtinum: vbi etiam laudatur eius Epiſcopi factum, qui teſtatori cuidam, à quo liberos non habente, bona ſua Eccleſiæ relicta fuerunt, poſtquam liberos præter ſpem & opinionem ſuſceperat, omnia reſtituerat. Hodie quoq; multi religionis ſpecie & ſimilitudine, reuera autem partim errorum & ſuperſtitionum, partim diuitiarum inſatiabili inexplebiliq; cupiditate incenſi ac inflammati, multos ad inofficioſa teſtamenta & legata incitant & impellunt.

Porrò in Teſtamento Caroli M. & Capellæ, id eſt miniſterij Eccleſiaſtici & Bibliothecæ eius, quæ librorum copia dicitur fuiſſe inſtructa, fit mentio, de qua ſtatuit, vt ab ijs, qui libros illos habere vellent, iuſto pretio redimerentur, pretium deinde in pauperes erogaretur.

Hic rurſus 2. in Carolo M. notanda obſeruatione & imitatione digna, nempe Bibliotheca copioſa, ſiue librorum copia, & benignitas erga pauperes.

Quantum ad Bibliothecam attinet, conſtat omnibus temporibus Reges & Principes potentiſſimos quoſq; Bibliothecarum & publicarum & priuatarum ſtudioſiſſimos fuiſſe. Romæ Bibliothecæ templis erant adiunctæ, quo ſignificabant ethnici, religionẽ ſine libris conſeruari non poſſe, & arctiſſimam eſſe religionis atq; eruditionis coniunctionem.

ctionem. Roma in ſuo Capitolio habebat Bibliothecam Maiorum: ſic enim appellabatur. Auguſtus propè templum Apollinis extruxit Bibliothecam Græcam & Latinam. Templum Traiani ſuam habebat Vlpiam, libris optimis refertam. Domitianus cùm templum Iouis Capitolini inſtauraſſet, Bibliothecas ſimul incendio abſumptas, maximis impenſis reparauit, exemplaribus vndiq; conquiſitis, miſſisq; Alexandriam librarijs, qui deſcriberent atq; emendarent. Tranquillo teſte. Smyrnenſes, teſte Strabone, Homeri templo Bibliothecam adiunxerunt.

Apud Iudæos olim Regibus Bibliotheca et librorum ſacrorũ cura à Deo fuerat commendata. Celebris fuit in Iudæa Bibliotheca Hieroſolymitana, quam, teſte Euſebio, Alexander Epiſcopus Hieroſolymitanus Eccleſiæ adiunxerat. Item Cæſarienſis, cura & ſtudio, vt idẽ Euſebius refert, Pamphili martyris collecta. Ptolomæi quoq; Philadelphi Regis Aegypti, in Alexandrina Bibliotheca adornanda, opera atque ſtudium valdè laudatur, qui etiã ſacra Biblia ſingulari Dei conſilio & beneficio conquiri, & in linguam ſuam transferri curauit: Reges quoq; Attalici Pergami egregiam Bibliothecam inſtituerunt. Habuerunt etiam Reges & principes ſuos bibliothecarios, et quidem magno habuerunt in precio & honore, quorum opera in Bibliothecis ordinandis, inſtituendis, digerendis, augendis et locupletandis vſi fuerunt, vt Auguſtus Caium Meliſſum (vt hodie illuſtriſſimus Elector Palatinus Paulum Meliſſum Poëtam noſtræ ætatis nobiliſſimum & doctiſſimum) Iulius Cæſar Marcum Varronem, cui vni viuenti ſtatua in Bibliotheca fuit poſita. Conſtantinus M. Euſebiũ, Ptolomæus Philadelphus Demetrium Phalerium. Franciſcus I. Rex Galliæ literarum pater & patronus optimus in Bibliotheca illa Fontanusbelaquei inſtituenda, augenda & ornanda, maximos ſumptus fecit. Speramus Henricum M. Regum & Imperatorum clariſſimorum, & inprimis prædeceſſorum maiorumq; ſuorum exemplo laudabiliſſimo, vbi maior ei erit facultas atq; ocium, in Bibliothecis ſui Regni copioſiſſimis & inſtructiſſimis non ſolùm tuendis, ſed etiam augendis, & locu-

V

plectandum nulli operæ, ſtudio atq; impenſis parciturũ, cùm literarum ac literatorum (quorum hæc ſunt arma atque organa) amore atq; ſtudio maioribus ac prædeceſſoribus nihilo ſit inferior, minimeq; cedat.

Hoc porrò Teſtamentum paternum Ludouicus Pius cognomine eius filius, hæres atque ſucceſſor in Regno Francico & Germanico ſtatim poſt patris obitum, initio Regni ſui, pro ſingulari ſua pietate quàm celerrimè poterat, vt Eginhartus ſcribit, ſumma deuotione, & vt Auentinus loquitur, Germanica fide adimpleri curauit, bona ſoluit, ſororibus quoq; legata ſeu teſtata repræſentauit. Id Rex & Imperator ille fecit conſentaneè ac congruentes iuri legiq; naturali, diuinæ & humanæ. Hinc in lege illa XII. tabularum Romana ſcriptum erat: Vti quiſq; legaſſet, ita ius eſto, & Cicero in publicis actis: nihil eſt lege grauius, in priuatis firmiſſimum eſt teſtamentum.

Extat etiam Conſtantini M. Conſtitutio ſupremæ voluntatis liberum ſtilum eſſe debere et licitum, quod iterũ nõ redit, arbitrarium.

Hac de cauſa Veneti inprimis laudandi, qui in teſtamentis ſartis tectis tuendis, valde ſunt religioſi, & idcirco certum inſtituerunt magiſtratum ſupremæ dignitatis, qui D. Marci procuratores appellantur, qui Duces, vbi Princeps ipſe diem ſuum obijt, declarare ſolent. Horum munus eſt præcipuum, vt nimirum teſtamenta ſumma fide tueantur ac colant, & ea quæ illis continentur, exequi curent. Horum fides tantùm breui eluxit, vt etiam apud exteras gentes plerique viri principes & fœminæ eos tutores ſuos eſſe voluerint, vt teſtis eſt Egnatius lib. 6. Cap. 6. cuius munus eſt dare operam, vt teſtamenta non rumpantur, aut violentur, ſed inuiolata conſeruentur.

Vt igitur Ludouicus Pius pro pietate ſua paternæ huic poſtremæ voluntati paruit, & obſecutus eſt, ei citra moram & tergiuerſationem vllam plenè cumulateque ſatis fecit: ita omnes liberos decet parentum ſuorum cùm viuorum, tùm mortuorum voluntati, ac præſertim illi vltimæ & ſupremæ piè religioſeq; obtemperare, quod niſi fecerint in grauiſſimam Dei offenſionem, iram atque furorem incurrent. Quemadmodum autem laudabilis fuit Ludouici Pij in teſtamento & volun-

voluntate paterna ſeruanda & implenda pietas, ita deteſtabilis & inexpiabilis eſt eorum liberorum impietas atque ſcelus, qui teſtamenta et ſupremas parentum ſuorum voluntates negligunt, rumpunt, reſcindunt, violant, atque ita ſuorum parentum quaſi manibus immaniſſimè inſultant.

Quantum ad Henricum Magnum attinet, nos primò Deum precabimur, vt illi quoque Teſtamentum pium, officioſum & religioſum condendi facultatem impertiat, quo quidem partim heredum & ſucceſſorum ſuorum legitimorum, partim totius Regni Gallici & Nauarreni ſaluti, incolumitati atque dignitati optimè ſit conſultum. Deinde quemadmodum Ludouicus Pius patris ſui Teſtamentum ac voluntatem ſupremam ſanctè religioſeq́ ſeruauit & impleuit: ita quoque Henricus Magnus, cùm agnati, affinis et prædeceſſoris ſui (quem non ſolùm vt fratrem amauit, ſed veluti patrem ſuum coluit & obſeruauit conſtanter) ſupremam voluntatem adimplere & exequi ſedulò ſtudet, quod acta eius quotidiana ſatis teſtantur, tùm quorumuis aliorum teſtamenta ac voluntates vltimas rationi, iuri diuino & humano cõſentaneas & vult & curat ſtudioſè religioſeq́ ſeruari, minimeq́ negligi ac violari.

Quod ad Caroli M. Canonizationem, vt vulgò appellatur, attinet, de illa Auentin. ſic ſcribit. An. Chriſti Seruatoris noſtri M.C.LXVI. *Indictione* XIIII. *Imper. Friderico primo Cæſ. Auguſto imperante Carolus M. in numerum cœlitum relatus eſt. Morem ritumq́ue gentilitium imperatores in diuos referendi (qui Græcè ἀποθέωσις, id eſt, Deificatio, Latinè Conſecratio appellatur) graphicè copioſeq́ deſcribit Herodianus, qui mos ad Chriſtianos promanauit. De hac autem canonizandi, ſiue homines in diuorum numerum referendi conſuetudine quæ ipſius Caroli Magni fuerit ſententia atque iudicium, ex illius verbis, quæ hic ſubiungam, liquidò conſtat. Illa autem deprompta ſunt ex libri primi capite tertio, operis eius conſcripti aduerſus Iconolatriam, hoc eſt, imaginum cultum, quo Irenem & Conſtan-*

tinum Imperatorē grauiter culpat, quòd geſta ſiue ſcripta ſua diualia nuncuparint, & pluribus docet diui nomen non niſi Deo aut ijs, qui falsò dij exiſtimantur, tribui. Verba eius animaduerſione digniſſima hæc ſunt: Mundanarum quarundam artium inuentores & vrbium conditores, vel ſceptra imperialia retinentes, poſt mortē, in deos credebantur transferri, et diui vocabantur, & ſimulachra illorū dij nuncupabantur. Mendax nomē diuale nō immeritò eſt, ꝙ peccatores pro ſuis meritis æternis ſupplicijs mancipatos diuinitatē aſtruere nititur eſſe adeptos. Ceſſet igitur, ceſſet falſi nominis ambitio; deſtituatur antiqui erroris veſtigium, fateſcat cæca ſuperſtitionis vocabulum, abdicetur procacis nominis ſupercilium, pellatur à fidelibus in diuos transferendorum hominum gentile mendacium. Iam veritas de terra orta eſt, iam ortus eſt fidelibus ſol iuſtitiæ: iam qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam, iam habitantibus in regione vmbræ, mortis lux orta eſt. Omnia falſa, veritate veniēte caſſata ſunt. Nam ſi falſorū deorū gentilis opinio falſa eſt, poſt mortem in diuos transferendorum hominum fabula falſa eſt, diualis nominis nuncupatio vana eſt. Si igitur falſorum deorum gentilis opinio falſa eſt, diualis quoq; nominis appellatio vana eſt. Liquidò ergo patet, rem falſam falſum nomen habere, & falſo nomine eos, qui veritatis diſcipuli ſunt, nuncupari non debere. Nam etſi qui fortè catholici defunctos quoſque diuæ memoriæ nuncupaſſe vſpiam reperiantur, manifeſtum eſt, eos vſum fuiſſe ſecutos gentilitatis, & vanitatis. Sed hæc & his ſimilia Romana potius ambitio, quàm Apoſtolica admiſit traditio. Nos deniq; qui & veritatis ſectatores, & ab ipſa veritate redempti ſumus, ſicut ſpreuimus gentilium deorum mendacium, ſpernere debemus gentilia vocabula, Apoſtolo docente, qui ait: Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? A qua conuentione, ipſo annuente, liberemur, qui nos ereptos de tenebris & vmbra mortis, tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem in remiſſionem peccatorum.

Ex his

Ex his igitur verbis luce meridiana clarius apparet, Carolum M. hunc homines defunctos in diuorum numerum referendi morem seu gentilitium ſiue ethnicum & idololatricum improbaſſe.

Nos Deum precabimur, vt Henricum M. poſt longam, diuturnam & fœlicem vitam ex Regno hoc terreno, caduco, fragili, quod innumeris expoſitum eſt moleſtijs atq; periculis, in Regnum illud cæleſte & æternũ, omnis mali, miſeriæq; expers, omniq; bonorum genere cumulatum, & ex hac mundi hominumq; colluuie tandem euocatum, in cœlitum, hoc eſt, Dei, angelorum, hominumq; electorum cætum cæleſtem transferat, vt vnà cum illis æterna, incomprehenſibili & ineffabili illa voluptate ac beatitudine fruatur, ad quam, vt ille, ſic nos quoq; toto pectore anhelare ſemper & adſpirare debemus.

Sequitur poſtremum noſtri huiuſce tractatus caput, nempe Caroli M ſucceſſor. Is fuit Ludouicus Pius cognomento, legitimus eius ex Hyldegarda ſecũda vxore filius, iam antea, eo adhuc viuo, cùm ſua, tùm Procerum Regni voce vnanimi atq; conſenſu iuſtus legitimusq; eius in Regno ſucceſſor declaratus, & Auguſtus ac Imperator ſalutatus. Optima, inquit Cicero, hæreditas à patribus traditur, omniq; patrimonio præſtantior, gloria virtutis rerumq; geſtarum. Sic Ludouicus Pius cognomine patri ſuo glorioſiſſimo ſucceſſit, non ſolùm in Regni, in pecuniæ, in honorum, ſed etiam laudis atq; gloriæ patrimonio, quod omni auro, argento, gemmis, theſauris atque gazis longè præſtat.

Nos Deum aſſiduè precari debemus, vt Henricus quoq; M. poſt obitum, ſeu abitum atq; migrationem ex hoc terreno & corporeo Regno, ad Regnum illud cæleſte & æternum, poſt ſe relinquat aut filium, aut alium ſucceſſorem in hoc Regno Gallico & Nauarreno ſui ſimilem, hoc eſt, & nomine & reipſa Pium, cui Reipub. Regni, Eccleſiæ, patriæq; totius ſalus ac dignitas curæ ſit atq; cordi.

Hæc habui, quæ de clariſſimorum horum Regum & Imperatorum comparatione hoc tempore pro tenui mea facultate dicerem ac ſcriberem, quæ oro quæſoq; quoſuis lectores, vt pro ſingulari ſua hu-

manitate æqui boniq́ consulere, & bonam in partem, vt bono animo à me ſunt ſcripta, interpretari velint.

Deum precabimur, vt quemadmodum olim Carolum illum M. ad ſummam eius ſenectutem, atq; adeò ad extremum vſq; vitæ ſpiritum, gratiæ & benignitatis ſuæ cura eſt proſecutus, illumq́ ex innumeris periculis extraxit, & ſaluum incolumemq́ conſeruauit: ita quoq; hunc eius agnatum ac ſucceſſorem (quem ſimiliter ab ineunte ætate ex infinitis periculis mirificè eripuit, & in vita contra plurimorum ac potentiſſimorum hoſtium ſuorum vim, impetus, conſilia, conatus, inſidias atq; technas conſeruauit) in gurgite adhuc periculorum verſantem diuino angelicoq́ ſuo ſatellitio atq; præſidio in poſterum quoq; protegat, tueatur ac defendat.

Poſtremò quemadmodum Carolus M. vnà cum ſuis & maioribus ac prædeceſſoribus, & poſteris ac ſucceſſoribus cùm vniuerſam Rempub. Chriſtianam (cui tunc temporis pleriq; orbis terrarum & Orientalis & Occidentalis Reges atque Imperatores infenſiſſimi ac infeſtiſſimi fuerant) tùm ſpeciatim noſtram Heluetiam, ac præcipuè Tigurinam hanc noſtram ciuitatem atq; Eccleſiam incredibili cura, amore, ſtudio, beneuolentia, beneficentia ſeu munificentia potius eſt proſecutus (cuius veſtigia in ciuitate & Eccleſia noſtra habemus ad omnem memoriā clara & illuſtria) ita quoq; faxit Deus Opt. Max. vt Henricus quoq; M. Rex Galliæ atq; Nauarræ Chriſtianiſſimus & auguſtiſſimus, Caroli M. agnatus, gentilis, ſucceſſor, hæres ac imitator in pio, beneuolo, benigno & clementi hoc ſuo cùm erga totam Heluetiam, Rhetiam, Valeſiamq́, tùm erga Rempub. & Eccleſiam noſtram Tigurinam animo (quem non literis tantùm & verbis, ſed etiam reipſa atque factis multifariam declarauit) perſeuerare, & vniuerſam noſtram patriam fidei clementiæq́ ſuæ commendatam ſemper habere dignetur,

Amen, Amen, Amen, &c.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VIncere poſſe hoſtes, haud parua eſt gloria Re-
gis:
At ſe poſſe ipſum vincere, maior ea eſt.



TIGVRI

APVD IOANNEM VVOLPHIVM TYPIS
FROSCH. ANNO M.D. XCII.

Supplemento

CONSILIVM CHRONOLOGICVM,

QVA RATIONE

TEMPORA EX FVNDAMENTIS RESTITVI ET EMENDARI POSSINT;

A

CONRADO PAVVELL AB ADENSTEDT, BRVNSVICENSI SAXONE, SENATVS ECCLESIASTICI IN INFERIORI PALATINATV AD RHENVM PRAESIDE, PROPOSITVM.

Contenta in eo capita Index poſt Præfationem exhibebit.

BASILEÆ,

Apud HenricPetrinos, 1627.

Defectus amici non diſsimulare, amoris & candoris eſt:
Perſonas autem inſectari, calumniatoris eſt, & perverſiſsimi Momi ac Sycophantæ.

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, PRVDENTISSIMIS, ET VIGILANTISSIMIS VIRIS, AC DOMINIS, INCLYTÆ ET TOTO

orbe celebratiſſimæ Civitatis AMSTELREDAMENSIS Conſulibus & Senatoribus, Dominis ſuis omni obſervantiâ & veneratione colendis, hoc ſuum Conſilium Chronologicum dedicat & conſecrat Auctor.

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, prudentiſſimi, & vigilantiſſimi Viri ac Domini: Temporum Scientia hodie cōtemnitur à vulgo: à Doctis, tanquam non-neceſſaria & difficilis, negligitur, & in nullo habetur precio. Quòd ſi quis eam non neceſſariam ad ſalutem dicat: non abnuo. Modò CHRISTVM ſibi natum, pro ſe paſſum, mortuum, reſuſcitatum, & in cœlum ſublatum, firmiter credat: Temporis circumſtantia impunè ignorari poteſt. At, ſi quis eam ad confirmationem fidei non neceſſariam eſſe dicat: næ ille vehementer errat. Quorſum enim aliàs Spiritus Sanctus, in ſacris literis, diverſis operibus Dei

deſcribendis, temporis circumſtantias tam accuratè annotâſſet, & tam diligẽter inculcâſſet; quàm ut præſertim veritas & certitudo, tàm in comminatis pœnis immittẽdis, quàm in promiſſionibus exhibendis, indè apparere poſſit? Exẽpla habemus, in deſcriptione principii & finis Diluvii; in liberatione Populi Dei ex ſervitute Aegyptiacâ, & reductione eiusdẽ ex captivitate Babylonicâ; in deſcriptione Nativitatis Domini & Salvatoris noſtri IESV CHRISTI, eius cœpti Miniſterii, Paſſionis, Mortis, Reſurrectionis, & in cœlum Aſcenſionis. Cuius rei ratio alia reddi non poteſt; quàm DEVM opera ſua tam evidentibus circumſtantiis temporis & loci voluiſſe illuſtrari: ut Impii tantò magis convincerentur, & omnis occaſio ſe excuſandi ipſis præſcinderetur. Nam homines à naturâ, quæ cum circumſtantiâ temporis & loci audiunt, iis citiùs aſſentiuntur, eaq́; firmiùs credunt, quàm quæ ſine iis ipſis proponuntur. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, DEVM, in exhibendis ſuis promiſſionibus & comminationibus, ne minimum momẽtum temporis eas retardare. Vnde Eccleſia & hoc noſtro tempore certa eſſe poteſt, Deum ſibi certò adfuturum; & liberationem à Tyrannide Antichriſti, ei

promiſ-

promiſſam, tempore præfinito & determinato elapſo, ne horam quidem dilaturum. Huius Antichriſti ruinam iam propediem inſtare & præ foribus eſſe, ex eo ferè apparet; quòd, diverſis in locis, populi contra eundem inſurgant, qui eius Tyrannidi ſeſe opponant.

Cùm autē cura temporis, eiusq́ conſervatio, ECCLESIÆ, & quidem Primoribus in eâ, omni tempore à Deo fuerit demandata: Nemo neſcit, Deum, iam abhinc ſexaginta & ampliùs annis, Cōfœderatarum in Belgio Provinciarum armis, ad tutandam ſuam Eccleſiam, uſum eſſe. Niſi enim earum arma ipſe Deus Magno illi Nabuchdonoſori Ibero oppoſuiſſet; & eius impetum, aſpirante gratiâ divinâ, ea non ſuſtinuiſſent: de veſtris, & vicinorum Regnorum & Provinciarum, Principatuum, & Rerumpublicarum, Eccleſiis actum fuiſſet. Cùm autem inter omnes Cōfœderatas Provincias veſtra BATAVIA, & in eâ veſtra Civitas AMSTELREDAMENSIS, reliquas Provincias & Civitates (quod citra præiudicium aliarum, & cum pace earum, citra adulationem, dictum volo) opibus, nunquam ſatis laudandâ veſtrâ veſtrorumq́ vigilantiâ, atq́ admirabili animi magnitudine, in

uſum publicum paratis, longè ſuperet & præcellat: Nec me lateat, non in Senatu ſolùm veſtro, ſed etiam in auguſtiſſimâ & opulentiſſimâ veſtrâ Republicâ, eſſe Viros doctiſſimos, qui ſtudio Hiſtorico maximè delectentur, neq; ab hoc Temporis ſtudio ſint alieni: Mihi perſuaſiſſimum habui, hocce meum Conſilium Chronologicum, quâ ratione Tempora ex fundamentis reſtitui poſſint, Veſtris Amplitudinibus non fore ingratum. Trigeſimus-tertius iam agitur annus, quòd in hoc temporum Reformationis ſtudio, præter alias meas occupationes, deſudavi: in quo nihil laborioſius vel difficilius mihi accidit, quàm hanc omnem de Tempore diſceptationem, per tot, tamq; magna doctiſſimorum Theologorum, Iuriſconſultorum, & Hiſtoricorum volumina diſperſam, paucis hiſce tabellis (quod hîc Baſileæ, inter exilii mei ærumnas, factum eſt) includere. Accipiant ergo Magnificæ veſtræ Dominationes, ſereno vultu, hunc fructum Sexennalis mei exilii, & me favore ſuo complectantur, quem diverſi Cæſariani & Bavarici excercitus omnib. bonis, quæ in inferiori Saxoniâ & Palatinatu poſſidebam, exuerunt, quòd fidelis DEO & Regi meo extiterim; atque ita me

cum

cum Coniuge & quinque Liberis ad extremam egeſtatem redegerunt. Verùm id Deo ita viſum; qui nos interdum caſtigat, ut intelligamus, eum nos legitimorum filiorum, non ſpuriorum loco habere: quiq; tandem his miſeriis, quando idipſi placuerit, ſuo tempore finem impoſiturus eſt.

Quod reſtat, DEVM toto pectore oro, ut ita veſtris inpoſterum etiam conſiliis adſit ſuo favore, ſive privatis, ſive publicis; taleſq; largiatur ſucceſſus, quibus hoſtium ipſius & veſtrorum in Eccleſiam Chriſti rabies, non à veſtris tantùm penatibus, ſed ab aliorum quoque Principum & Rerumpublicarum Chriſtianarum ditionibus, propulſari poſſit; ad divini ſui Nominis gloriam atque amplificationem, Eccleſiarumq; ſuarum conſervationem & propagationem: quò non ſolùm Regibus, Principibus, & Rebuſpublicis Europæis, magis ac magis; verùm etiam cæteris orbis terrarum partibus, notis atque olim ignotis, illuceſcat, DEVM illum, quem vos ſyncèro corde colitis, DEVM eſſe unicum & verum, DEVM inquam Deorum, & Dominum Dominantium; qui humiles extollat, & ſuperbos deprimat: adversùs

quem,

quem nulla intelligentia, nullum conſilium, nullæ vires conſiſtere poſſunt. Cuius benigniſſimæ, fidiſſimæq; tutelæ, Inclytam veſtram Civitatem, precibus meis aſſiduis & ardentibus commendo. Bene valete. Baſileæ Rauracorum, Idibus Iunii, Anno Chriſtiano 1627.

Magnificarum veſtrarum Dominationum

Obſervantiſſimus &
Studioſiſſimus,

CONRADVS PAVVELL ab
Adenſtedt, &c.

CANDI-

CANDIDO LECTORI S.

QUandoquidem noſtræ Temporum Diſpoſitionis Hypotheſes, candide Lector, cum Demonſtrationibus Chronologicis *Iohannis Temporarii* Bleſenſis coincidunt, ejusq; Canonibus conformes ſunt: Poſſemus fortè apud aliquos in ſuſpicionē venire, quòd eas à dicto Temporario mutuati eſſemus, vel ejus veſtigiis inſtitiſſemus. Quare omnibus notū eſſe volumus, Nos novam noſtrā Pavvellianam Temporis Diſpoſitionem, multò ante dictum Temporarium, anno ſuperioris ſeculi 1594. Spiræ Nemetum, litteris conſignâſſe; & talem, qualem eam hîc, in noſtro Conſilio Chronologico, libro 1. exhibemus, ad finem perduxiſſe. Id quod doctiſſimorū Virorum litteris & monumentis, præcipuè Scipionis Gentilis JCti & Profeſſoris Altorffiani, & Heliſæi Roſelini, Archiatri Hanovienſis, & aliorum, cum quibus epiſtolicæ diſſertationes de re Chronologicâ nobis interceſſerunt, demonſtrare & probare poſſemus: niſi litteræ iſtæ eandem cum univerſâ noſtrâ Bibliothecâ, & omnibus mobilibus, in invaſione Inferioris Palatinatus, fortunam incurriſſent. Deinde, noſtra tēpora ad normam Periodorum *Julianæ & Dionyſianæ* ſunt diſpoſita, & ordinata. Prædictus Temporarius, Metonis & Calyppicæ Periodorum quidem obiter meminit: de Julianâ autem & Dionyſianâ apud eundem Temporarium altum ſilentium; nec ullum veſtigiū, vel minimum verbum, reperitur. Ubi apud Temporarium notabilis illa Hiſtoriæ non ſacræ ad ſacram, ex ſacris, motibus Cœli, Ptolemæo, & libro 2 Regum, in 23. anno Ezechiæ Regis Judæ, & in anno 1. Merodaci Babylonii, alligatio: quæ præcipuum noſtræ temporum Diſpoſi-

tionis fundamentum eſt. Temporarii Demonſtrationes, anno prioris ſeculi 1596. evulgatæ, primùm lucem aſpexêre. Anno præſentis ſeculi 1603. cùm Pforzhemii Præfectus eſſem, iſtæ primùm à me viſæ fuerunt. Nec omnibus Temporarii placitis vel inventis aſſentimur. Nam ipſius Problemata, de Paradyſo, & Sibyllinis carminibus, non approbamus. Motus cœleſtes, quos Epochæ Nabonaſſaris ex tabulis Prutenicis aſſcripſit, iisdem numeris, quibus ipſe eos conſignavit, ex iisdem Tabulis, nobis non proveniunt. In anni tempore, quo *Chriſtum* circa Aequinoctium vernum natum aſſeverat, palàm ab eo diſſentimus. Cætera cordatiora, quæ habet, non reſpuimus. Ita & *Tempus*, & *Diverſa* Diſpoſitionis *Forma*, nos ab imitationis & ſecutuleji crimine excuſat & eximit. Ante primam conſcriptionem noſtræ temporum Diſpoſitionis, non infitiamur, nos omnium ferè Chronologorum monumenta evolviſſe. Sed nihil in iis imitatione dignum reperimus, præter unicam Hypotheſin, de vero nativitatis Abrahami anno: in quâ ingenuè fatemur nos Matthæum Beroaldum Gallum ſecutos eſſe; reliqua ejus omnia miſſa facientes. Anno hujus ſeculi 1622. cùm à Cæſareanis Palatinatu pulſus eſſem, ac indè me meamque familiam Baſileam transportâſſem, incidi fortè in Lectionem Bibliorum editionis Gallicæ, in regali folio, Anno 1563. Genevæ impreſſorum: in quibus in primis foliis reperi Deſcriptionem annorum Mundi, ab ejus creatione uſq; ad noſtra tempora. In eâ ipsâ Deſcriptione, deprehendi tres meas Hypotheſes: Annum ſcilicet verum nativitatis Abrahami, in anno 130. Tharæ patris; & verum annum ætatis ejusdem Abrahami, quo is primam Euangelii promiſſionem à Deo accepit, anno videlicet ætatis ſuæ 70. quem eundem & nos habemus; & tandem genuinum & verum principium 70. Hebdomadum Danielis, in anno 20. Artaxerxis Longimani, Regis Perſiæ, fixum. Propterea ne ego inſimulari poſſim, quòd eas Hypotheſes ex dictis Bibliis deſumſerim, quas jam

ante

ante 28.annos, tales,quales in meâ Pavvellianâ novâ Temporum Diſpoſitione leguntur, inſerta fuerunt priùs,quàm dicta Biblia à me fuerint viſa. Quod tamen verè magis hîc de me fortè dici poſſet; quàm me meas Hypotheſes ex Johanne Temporario deſumpſiſſe. Unum certè non magis verum,quàm alterum: quia utrumque falſum. Veritas cùm ſibi ſemper ſit ſimilis & uniformis, apud ſui ſimiles,id eſt,veritatis ſectatores,facilè aſſenſum invenit.Ego quidem non parùm gaviſus ſum, quòd confirmationem mearum Hypotheſium,in dicti Temporarii Demonſtrationibus, & dictis Bibliis, repererim: ne ſolus mihi ſapere viderer. His candide Lector vale, nec ſiniſtri quid de nobis ſuſpicare.

INDEX SVMMORVM CAPITVM, QVÆ IN HOC CONSILIO Chronologico pertactantur.

Libro I.

Agitur de Defectibus Chronologiarum generalibus.

I. *Annotantur, & quodammodo demonſtrantur, Chronologiarum* DEFECTVS GENERALES, *numero duodecim.* *fol.1.*

II. *Datur in ſecundo defectu Diagramma diſcrepantiarum Chronologorum, circa diſtantiam primi anni Mundi & creationis, ab Epochâ Chriſtianâ civili vel vulgari, in anteriora.* *fol.2.*

III. *Exhibetur Nova* PAVLLIANA *Temporum Diſpoſitio, in quâ ſuperiores* DEFECTVS *omnes reparantur, & ex fundamentis emendantur, Quatuordecim ſingularibus explicata.* *fol.9.*

Poſſet hîc quiſpiam mirari, quare hæc nova Temporum Diſpoſitio PAVLLIANA *appelletur. Nota eſt in Iure noſtro Actio Pauliana, à Prætore, qui eam propoſuit, ſic dicta; quâ omnia ea, quæ in fraudem Creditorum acta geſtáve fuerunt, reſcinduntur, & in integrum reſtituuntur. Ita hæc nova Temporis Diſpoſitio* PAVVELLIANA, *ab Auctore ſuo ſic dicta, quâ omnia illa, quæ ex veris numeris,* EPOCHIS, *quæ hîc Creditorum vicem obtinent, adempta, vel ex ſupernumeris illis aſſuta, & in fraudem* VERITATIS *adjecta fuerunt, reſcinduntur, & omnia in integrum reſtituuntur.*

IV. *Stabilitur & explicatur* POSTERIVS PVNCTVM CERTVM, *in primo die Ianuarii, Epocha Chriſtianæ Civilis; ejusq́; alligatio ad annum vigeſimum-tertium Ezechiæ Regis Iuda, ex Sacris literis, & Cœli motibus, demonſtratur.* *fol.15. & 16*

V. *Exhibetur* SYNTHESIS *Temporum, à ſuprà ſtabilito & firmato* POSTERIORI PVNCTO CERTO, *ad primum punctum certũ, à priori certo dependente; id eſt, ad primum annum Mundi à principio Periodi Iulianæ, in anteriora per octo Epochas deducta; quam nemo ante nos unquam edidit.* *fol.18.*

VI. Appa-

VI. *Apparatus ad ſubſequentem* ANALYSIN *Temporum, exponitur:* VSVS *admirabilis* PERIODI IVLIANÆ. *fol.22.*
VII. *Exhibetur* ANALYSIS *Temporum,à* PRIMO PVNCTO CERTO *dependente, id eſt,à primo anno Mundi uſq; ad* CHRISTVM *Dominum, per octo Epochas deductis; quàm antè nos, ab ejusmodi certo priori,nemo unquam exhibuit.* *fol.29.*
IIX. *Oſtenditur, quâ ratione & Methodo,* FERIAE *ex numeris annorum Mundi, hujus noſtræ novæ Pavvellianæ Temporum Diſpoſitionis,extrahi & haberi poſſint.* *fol.34.*
IX. *Detegitur* ARTIFICIVM *Sethi Calviſii, Muſici & Chronologi Lipſenſis, quo is ſuam ipſius propriam,& Ioſephi Scaligeri Chronologiam, ex quâ ſuam deſcripſit, ſub prætextu prætenſi conſenſus cum* MOTIBVS COELESTIBVS, *ſtabilire & defendere, ac pro verâ venditare annititur. Huic detectioni inſerta eſt forma & uſus* PERIODI CALYPPICAE, *& comparatio verarum* PAVVELLIANARVM *& Scaligero-Calviſianarum Calyppicarum.* *fol.40.*
Sciendum verò eſt, in eâ Tabulâ,parvorum illorum ſpatiolorum in mediâ Scalâ unumquodq; deſignare unam Decadem annorum Mundi.

LIBRO II.

De Scopulis Chronologicis, id eſt, de Defectibus ſpecialibus & ſingularibus, agitur.

Traditur principiò, comparatiò dilucida, & explicatio formarũ anni Hebraici primitivi, & anni Iuliani noſtri. *fol.57.*
Subſequuntur SCOPVLI *Chronologici,numero Decem: ad quos omnes ferè Nautæ, qui hoc noſtro ſeculo mare Chronologicum ſulcarunt, navibus ſuis alliſi ſunt, & veritatis naufragium fecerunt. Sub vocabulo Scopuli, intelligimus defectus Chronologiarum ſpeciales.*
I. *Scopulus* DILUVII: *In quo diſſeritur, de vero anno,menſe, & die* DILUVII, *quo id cœpit. Et ſimul datur anni Diluvii duplex deſcriptio, Hebraici primitivi,& Iuliani. fol.60. Parva illa ſpatiola, in medio Tabulæ deſignant 5.dies: qualium unusquisq; Menſis habet ſex.*
II. *Scopulus,* ARPHAXAT: *in quo verus annus nativitatis Arphaxati demonſtratur.* *fol.64.*
III. *Scopulus,* ABRAHAM: *in eo ſtabilitur annus nativitatis Abrahami. fol.64.*

IV. *Scopulus,* PROMISSIONIS *Euangelicæ: In quo verus annus, quo Abrahamo prima promiſſio Euangelii data fuit, firmatur & aſſeritur. fol. 70.*

V. *Scopulus,* AEGYPTIACVS *: in quo definitur tempus moræ Iſraëlitarum in Aegypto.* *fol. 76.*

VI. *Scopulus,* TEMPLI. *In eo verus annus, quo Templi fundamenta à Salomone jacta ſunt, oſtenditur.* *fol. 80.*

VII. *Scopulus,* EXCIDII *Hieroſolymitani. Vbi ex comparatione annorum Regum Iudæ, ad annos Regum Iſraëlis; verum tempus ſtantis Templi Hieroſolymitani oſtenditur & aſſeritur.* *fol. 82.*

IIX. *Scopulus,* DEPORTATIONIS: *In cujus detectione, verum initium Deportationis Iudæorum in Babel, & principium 70. annorum Captivitatis Babylonicæ, firmatur & ſtabilitur.* *fol. 86.*

IX. *Scopulus,* PERSICVS: *in cujus deductione, vera Periodus Monarchiæ Perſicæ, contra Chronologos noſtri temporis, definitur, & ex Catalogo Regum Perſicorum, & Cœli motibus, demonſtratur.*

X. *& ultimus Scopulus,* DANIEL: *In cujus tractatione, verum principium ſeptuaginta* HEBDOMADVM *Danielis ſtabilitur & firmatur, atq; ex ſacrâ & communi humanâ hiſtoriâ, & motibus Cœli, demonſtratur.*

In omnibus & ſingulis hiſce Scopulis, hæc obſervatur methodus & ordo. 1. Scopulus detegitur: id eſt, argumenta contraria refutantur. 2. Vera directio Magnetis oſtenditur, & noſtra ſententia argumentis & demonſtrationibus firmatur. 3. Nautæ, qui ad unumquemq; Scopulum alliſerunt, nominantur. 4. Nec tacentur nomina eorum, qui unumquemq; Scopulum nobiſcum prudenter evitarunt.

De

De ordinatione Tabularum, & Erratis Typographicis hujus libelli.

Sciendum, majoris declarationis & lucis cauſâ, binas Tabulas huic conſilio eſſe adjunctas. Una eſt Comparatio Pavvellianarum verarum Calyppicarum, cū Calyppicis Scaligero-Calviſianis: quæ duobus conſtat foliis. Primum folium habet Calyppicas præcedentes, uſq; ad annum Mundi ſupra milleſimum 640. incluſivè: alterum folium incipit cum anno Mundi ſupra milleſimum 641. Quæ duo folia ita ſunt aptanda & jungenda, ut lineæ lineis correſpondeāt, & ut Decas 150. annorum 650. fit æqualis & conformis ſuperioribus & inferioribus Decadibus. Hæc Tabula, ita compoſita, inſerenda eſt libello inter paginam 44. & 45. Altera Tabula eſt deſcriptio Diluvii, ab ejus principio uſq; ad ejus finem, per menſes concinnata: quæ inter paginas 60. & 61. inſerenda.

Pauca quædam Errata typographica ita immutanda cenſeo.

Paginâ 2. 3. & 4. In Henrici Buntingii, Ioſephi Scaligeri, Matthæi Beroaldi, & Davidis Parei, annis creationis Mundi, ante Epocham Chriſtianam civilem, in fine, ubi eſt verbum citiùs, *in omnibus 4. locis, pro illo vellem ſubſtitui* jam antè, *vel* jam priùs. *&c.*

Paginâ 8. pro verbis, in tractatu Scopulorum, *vellem ſubſtitui,* in tractatu noſtro Scopulorum, *qui invenitur in hoc conſilio, libro 2.*

Paginâ 14. in exemplo diviſionis Cycli Indictionis, poſtremum numerum in dividendo 6339. *qui eſt* 9. *virgulâ cancellatum, vellem abſq; eâ cancellatione & virgulâ ſcriptum: quia eſt reſiduum iſtius diviſionis, & ipſe Cyclus ejus anni.*

Paginâ 16. lineâ 20. pro Mechii *ſcribendum* Mechir.

Paginâ 17. lineâ 2. pro Athi, *ſcribendum* Athir.

Paginâ 21. lineâ 21. pro incluſivè, *ſcribendum* excluſivè.

Paginâ 104. lineâ 7. poſt verba, Monarchia Perſica finit, *inſerendum*, poſt dictam Eclipſin, 10. diebus ſecuta eſt pugna.

Tertia Calyppic

Quarta Calyppi

Quinta Calypp

Jesus Chr
Eclipſis Lun
nuarii, qui
Chriſtiana.

Christus
horâ 11. ant
ſurrexit 5 Ap

LIBER PRIMVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE

DE

DEFECTIBVS CHRONOLOGIARVM GENERALIBVS.

TEmporum Diſpoſitiones plerorūq; Chronologorum hujus ſeculi, (quod citra injuriam, ſalvo ipſorum honore & exiſtimatione, ſcribo) *defectuoſæ* & erroneæ ſunt. Certè gratiam ipſis habeo quàm maximam, quòd Diſputationibus ſuis occaſionem inveſtigandæ veritatis mihi dederint.

Defectus autem illi ſunt duplices. Alii ſunt generales; alii ſpeciales, à prioribus deſcendentes. De ſpecialibus, in tractatu noſtro Reſtitutionis Temporum, libro octavo; & in tractatu de Scopulis & Syrtibus Chronologicis, actum. Hic de Defectibus generalibus diſquiſitio inſtituta eſt.

Primò, *Chronologorum* Diſpoſitiones temporum, primùm eâ de causâ ſunt *defectuoſæ*: Quòd in iis nullum *primum punctum certum*, nec à *Poſteriore*, nec à *Priore certo*, demonſtrari vel oſtendi poſſit. Per primum punctum certum, intelligo primi anni Mundi, primi menſis, primum diem.

Secundò, *Chronologi* annos ſuos Mundi, à *fictitio* & imaginario quodam Creationis *primo* anno deducunt: quem alii ab Epochâ Chriſtianâ vulgari, vel civili, (quæ certum & indubitatum poſterius punctum eſt) pluribus annis remotiorem; alii propinquiorem, ſibi imaginantur, Ita,

quot Chronologias, tot annos Creationis diverſos habemus: ſi tot eſſent Mundi, quot annos Creationis diverſos Chronologi nobis ſuppeditant, Reges & Principes, de unius dominatu, non tantoperè inter ſe-ſe digladiarentur.

Hæc Chronologorum, circa annum Creationis, *diſcrepantia*, ex ſubjecto Diagrammate erit manifeſta. Omnes Chronologi, quotquot, in hoc ſtudiorum genere, induſtriam ſuam Eccleſiæ probare unquam conati, & temporum ordinationem profeſſi fuerunt: Ii omnes primum annum Epochæ Chriſtianæ vulgaris, vel civilis, (à quâ anni noſtri Chriſtiani, quibus adhuc hodiè utimur, deſcendunt) aſſcribunt unanimiter anno 43. Imperii Auguſti Imperatoris à Triumviratu; & Caji Cæſaris, dicti Imperatoris Auguſti nepotis, cum L. Aemilio Paullo, Conſulatui; & anno Iuliano 45. id eſt, à correctione à Iulio Cæſare Dictatore inſtitutâ. Ita hic annus primus Epochæ Chriſtianæ vulgaris, vel civilis, punctum temporis certum eſt, & extra omnem controverſiam poſitum.

DIAGRAMMA

VARIATIONVM CHRONOLOGORVM, CIRCA Diſtantiam anni Creationis, vel primi anni Mundi, ab Epochâ Chriſtianâ vulgari, in anteriora vel præcedentia.

Chronologorum anni cretionis.

Cycli eorum ipſorum annorum proprii.	*In annis Periodi Iulianæ.*	*In annis ante Epocham Chriſtianam vulgarem civilem.*
☽. ☉.		
3.16.	744.	3970.
5.18.	746.	3968.

Abraham Bucholzerus Sileſius, ſecutus Picum Mirandulam Italum; & eum ſecutus Elias Reuſnerus, Ienenſis Profeſſor: ii ſtatuunt, Mundum eſſe conditum, ante Epocham Chriſtianam vulgarem vel civilem, annis 3970. quo anno Mundus annis 53. priùs jam conditus fuerat.

Henricus Buntingius Hannoveranus, aſſcribit creationem Mundi, anno ante Epo-

Epochâ Chriſtianam vulgarê, *3968.* quo anno Mundus annis *54.* citiùs jam conditus fuerat.

GERHARDUS MERCATOR, jungit annum creationis Mundi, anno ante Epocham Chriſtianam vulgarem civilem, *3967.* quo anno jam Mundus *55.* annis priùs conditus fuerat. *3967. 747. 6.19.*

PHILIPPUS MELANCHTHON, Tabulæ Prutenicæ, Iohannes FUNCCIUS Boruſſus, conferunt creationem Mundi, in annum ante Epocham Chriſtianam vulgarem vel civilem, cùm Mundus jam priùs conditus à Deo fuiſſet annis *60.* *3962. 752. 11.24.*

IOSEPHUS SCALIGER, Sethus Calviſius Lipſenſis, Nicolaus Mulerius Friſius, David Origanus Francofurti ad Oderam, ſtatuũt, Mundum conditum eſſe ante Epocham Chriſtianam vulgarem, annis *3949.* cùm Mundus annos *73.* citiùs jam creatus fuiſſet. *3949. 765. 5.9.*

Hæc de poſteriore Scaligeri Epochâ Chriſtianâ vulgari ita ſe habent: quam ad duos annos in poſteriora promovit. Ante dictam Epocham, aſſcripſerat anno ſuo Mundi *3947.* quo etiam Chriſtum natum ſtatuit: & ſecundùm hanc aſſcriptionem concludit, Mundum conditum eſſe anno, ante Epocham Chriſtianam, *3946.* cùm *76.* annis (qui unicam periodum Calyppicam conficiunt) Mundus jam priùs conditus fuiſſet. De hac Scaligeri variatione vide, quæ infrà in calce hujus conſilii, de Scaligeriano Artificio detecto, pluribus declaravimus.

MATTHAEUS BEROALDUS Gallus, aſſignat creationem Mundi anno ante Epocham Chriſtianam vulgarem, *3929.* cùm Mundus *93.* annis citiùs jam creatus eſſet. *3929. 785. 6.1.*

HUGO BROUGHTONIUS Anglus, depugnat; Mundum creatum eſſe, ante Epocham
7.2. 786. 3928. Chriſtianam vulgarem, anno 3928. cùm Mundus annis 94. jam priùs creatus fuiſſet.

DAVID PAREUS, Theologus Palatinus, contendit, Mundum creatum eſſe, ante Epo-
8.3. 787. 3927. cham Chriſtianam vulgarem vel civilem, anno 3927. cùm Mundus annis 95. citiùs jam conditus fuiſſet.

Hæ Chronologorum, circa annum Creationis & Mundi primum deſignandum & determinandum, variæ & multiplices hallucinationes, manifeſtè arguunt; Annos eorum Mundi, ab incerto primo puncto, & primo anno Mundi vago & lubrico, deductos eſſe; ac proinde & ipſos incertos & vagos eſſe. Ab incerto autem principio, vel primo puncto, impoſſibile eſt certa tempora deducere; non magis, quàm à ſpinis uvæ, & à dumetis ficus, colligi poſſint.

Apparet ex præcedente Diagrammate; inter Pareum, qui propinquiorem Creationis annum ab Epochâ Chriſtianâ habet, & Abrahamum Bucholzerum, qui remotiorem annum à dictâ Epochâ habet, differentiam eſſe 43. annorum. Intermedii, incertitudinem omnium ſuarum Chronologiarum, earumque Temporum diſpoſitionum, augent. Cujus jam Creationis annus verus? & cui ex his Chronologis accedemus?

Hactenus de ſecundo Defectu: ſequitur tertius.

Tertiò; *Chronologi* (quod pace eorum dico) aliquibus ſacræ Scripturæ textibus, præcipuè iis, qui temporis notationem habent, malè uſi ſunt, contra expoſitionem præcipuorum Eccleſiæ Doctorum; Martini Lutheri, Iohannis Calvini, Conradi Pellicani, Theodori Bezæ, & aliorum: iisque textibus alium affingunt ſenſum, contra conſenſum Eccleſiarum orthodoxarum Germaniæ, Galliæ, Belgii, & Angliæ: & (quod ſummè deteſtandum) antinomias & contradictiones, in ſacrâ Scripturâ, admittere & ſtatuere

non

non erubeſcunt; quæ tamen commodâ interpretatione evitari poſſent. De quibus latiùs in Tractatu Temporum Reſtitutionis, libro octavo, ubi cujusque Chronologi errores ſpeciatim recenſentur & demonſtrantur; item in libro de Scopulis & Syrtibus Chronologicis, ubi de ſpecialibus Chronologiarum defectibus actum eſt. Iam Lectorem rogatum volo: ut, antequàm iſtos tractatus noſtros videat, judicium ſuum interim ſuſpendat.

Quartò, Contra conſenſum totius *Antiquitatis*, & authoritates tot claſſicorum & præſtantiſſimorum Hiſtoricorum, & univerſam communem Hiſtoriam non-ſacram, *Periodos* aliquorum Regnorum vel ſtrictiores, vel laxiores, quàm par eſt, & quàm reverâ ſint, nobis proferunt; pro-ut, ad ſtabiliendam earum imaginariam Temporum diſpoſitionem, id illis commodum viſum fuerit. Quod in ſpecialibus eorum defectibus pleniùs demonſtrabitur.

Quintò, In ſuprà-dictorum Chronologorum ſcriptis, & Diſpoſitionibus temporum, nulla datur Hiſtoriæ communis non-ſacræ, ad hiſtoriã *Sacram*, vera & certa *Alligatio*, in certo aliquo & determinato anno, in ſacris literis fundata; & à probatiſſimis Scriptoribus, per cœli motus, firmata & confirmata. Tentata illa quidem à quibusdam ſępè fuit; ſed irrito conatu.

Sextò, Anni eorum Mundi, ad Normam Periodi Iulianę non ſunt accommodati, nec digeſti: ſed fortè-fortuitò, ſine ordine certo, collecti, & invicem conglutinati.

Septimò, Quamvis eorum annorum Mundi, in Periodo Iulianâ, anni correſpondentes aſſumantur: tamen, per eorum numeros, veri, naturales, & genuini motus cœleſtes, qui iis annis fuerunt, quorum aliqui, à Scriptoribus fide-dignis monumentis conſignati, in eorum libris reperiuntur, ad ſingula momenta exhiberi & dari non poſſunt: uti poſſent, ſi eorum anni, veri anni Mundi eſſent.

Octavò, Multò minùs eorũ anni Mundi erronei, per annos ſuos in Periodo Iulianâ correſpondentes, *Phænomena*,

Luminarium Syzygias & *Eclipſes*,iis menſibus,diebus, horis,& horarum ſcrupulis, quibus ea phænomena fuerunt conſpicua, & partim à fide-dignis Hiſtoricis & Aſtronomis,cum ſuprà-ſcriptis ſuis temporum circumſtantiis, in eorum ſcriptis annotatæ leguntur & habentur, exhibere vel dare poſſunt. Quod poſſent; ſi eorum anni,veri anni Mundi eſſent. Quod de ipſorum annis Mundi, tàm ante, quàm poſt Epocham Chriſtianam, perpetuò verum eſt. Nam de annis Chriſtianis aliter res ſeſe habet. Cùm enim ad Epochæ Chriſtianæ annos, Ephemerides quædam ſpeciales exſtent: non opus habent,ad annos correſpondentes Iulianæ Periodi confugere; ſed ad annos dictæ Epochæ motus cœleſtes habere poſſunt: ad annos verò ſuos Mundi,eos motus habere non poſſunt; niſi per annos ſuos Chriſtianos. Quod-ſi eorum anni Mundi veri eſſent: etiam ſine iſtis Ephemeridibus,tàm ante,quàm poſt Epocham Chriſtianam,per ſuos in Periodo Iulianâ correſpondentes annos, ex Tabulis quibuscunque ad eam Periodũ Iulianam accommodatis, (quales ſunt hoc tempore, Tabulæ Friſicæ Nicolai Mulerii, Medicinæ Doctoris, & Gymnaſiarchæ Leovvardienſis; ex quibus, per veros annos Mundi,indè à condito Mundo, ad 7980.annos,veri motus cœleſtes extrahi & haberi poſſunt) pateſcerent. Quod cùm eorum anni Mundi præſtare non poſſint: arguitur, Chronologorum annos Mundi, & eorum temporum Diſpoſitiones, defectuoſas & erroneas eſſe.

Nonò,Dictorum Chronologorũ anni Mundi,per ſuorum in Periodo Iuliana correſpondentium annorum numeros, nunquam cujusque anni proprios & genuinos *Cyclos, Lunæ, Solis*,& *Indictionis*, iis numeris,per radices cujusque Cycli, 19.28.& 15.diviſi,in ſuis *Reſiduis* producunt; ſed alienos,& longè diverſos, & tales, qui datos annos tot annis præceſſerunt; quot annis eorum temporis Diſpoſitio,& eorum calculus,vel eorum anni Mundi, à veris annis Mundi,& vero calculo,in poſteriora diſtant,& verus annus primus

primus Mundi, eorum annum primum Mundi præcedit. Econtrà,ſi veri anni Mundi ipſorum anni eſſent: illi, per ſuorum in Periodo Julianâ correſpondentium annorum numeros,iis numeris, per radices cujusque Cycli, producerent veros & genuinos cujusq; anni Cyclos,tàm Lunæ, quàm Solis,in ſuis reſiduis. Si verò nihil in reſiduo ſupereſſet: id argumento eſſet, ipſam radicem eſſe ejus anni Cyclum, & eum annum ultimum cycli annum. Quod cùm Chronologorum anni Mundi præſtare non poſſint: manifeſtum eſt,eos veros annos Mundi non eſſe; ſed hoc etiam defectu laborare.

Decimò,Chronologorum anni Mundi,per ſuos in Periodo Iulianâ correſpondentes annos,talem Cyclum Solis producere non poſſunt; qui,ſecundùm doctrinam Eraſmi Reinholdi,in Iſagoge Tabularum Prutenicarum,Præcepto 6.fol.24. traditam, *Ferias* hebdomadales, iis ipſis Menſium diebus, quibus eæ in ſacris Literis, & aliis probatis Scriptoribus, aſſignatæ inveniūtur & leguntur, edant & exhibeant; ſed planè alienas,& diverſas. Quòd-ſi veri ii anni Mundi eſſent: veras & genuinas quoque ferias exhiberent.

Vndecimò, In nominatorum Chronologorum Temporum Diſpoſitionibus, nulla invenitur annorum *Sabbaticorum* & *Iubilæorum* naturalium, indè à condito Mundo, cum annis Sabbaticis & Iubilæis Moſaicis legalibus,connexio, vel *coincidentia:* quæ, in verâ Temporum Diſpoſitione,ad oculum demonſtrari & exhiberi poteſt. In quâ,à primo Septimo, & primo Quadrageſimo-nono, incipiendo,Sabbata & Iubilæa naturalia ita continuantur: ut primum Sabbatum,& primum Iubilæum legale Moſaicum, in ſeptimum & quadrageſimum-nonum annum, indè à condito Mundo numeratum & continuatum, præcisè & ad amuſſim incidat. Quod in dictorum Chronologorum Temporum Diſpoſitionibus,eorumq; annis Mundi,commonſtrari non poteſt: ideoque defectum arguit.

Duodec-

Duodecimo, Omnes ferè Chronographi, annos Hebraicos antiquos, & novos vel poſteriores; item Aegyptiacos, Græcos, Romanos, tàm incorrectos, quàm correctos, quantitate & principiis ſuis multum inter ſe diſcrepantes, confundunt, iiſque promiſcuè utuntur. Ex quo conſequitur, quòd momenta veris ſuis momentis non ſint contigua, nec iis cohæreant. Ita tempora eorum, in Temporum Diſpoſitionibus & Chronologiis, ſunt luxata & diſſoluta. Quocirca non mirum, ſi ad eorum annos Mundi, tàm ante, quàm poſt Epocham Chriſtianam, veri Motus cœleſtes, nec duci, nec exhiberi poſſint. Cùm ſatius fuiſſet, ad unicam anni *Iuliani*, à Iulio Cæſare *correcti*, formam, (quæ quàm-proximè ad anni cœleſtis ſolaris quantitatem accedit, & anno Hebraico primitivo multùm ſimilis eſt) proprio ſuo principio cuique anno reſervato, tempora inde à condito Mundo accommodâſſe: quos annos & vera Paulliana Temporum Diſpoſitio habet.

Hi ſunt *Duodecim Defectus Generales* Chronologorum: à quibus duodecim ſpeciales dependent, ex iis orti; qui libro 8. noſtræ Temporum Reſtitutionis, & in tractatu noſtro Scrupulorum Chronologicorum, recenſentur, & corriguntur: quo Lectorem nunc remittimus.

NOVA

NOVA PAVLLIANA TEMPORUM DISPOSITIO; IN QVA SVPERIORES Defectus omnes reparantur, & ex fundamentis emendantur.

PRIMÒ, in hac *Nova Paulliana Temporum Diſpoſitione*, datur *primum punctum certum*, id eſt, primus annus Mundi, à *Poſteriori certo* demonſtratum & ſtabilitum: & à *Priori certo* deductum: à quo priori certo, primum illud punctum certum dependêre, oſtenditur & probatur.

Secundò, *Poſterius* illud certum, eſt Epocha Chriſtiana vulgaris vel civilis; id eſt, primus ejus Epochæ annus: Qui, omnium Chronologorum, aliorumq; Scriptorum ſuffragio, in anno Auguſti Imperatoris 43. ab ejus Triumviratu; & in anno Conſulatûs Caji Cæſaris, dicti Imperatoris nepotis, cum L. Aemilio Paullo; & in anno Urbis conditæ 753. anno. Nabonaſſaris 748. item Græcorum vel Seleucidarum 313. fixus eſt.

Tertiò, Ab hujus *Epochæ Chriſtianæ* vulgaris anno primo excluſivè, in annis Hiſtoriæ communis non-ſacræ (nam Hiſtoria ſacra huc-uſque non pertingit) & Motibus cœleſtibus, retrò in anteriora revolutis, ſurſum in præcedentia aſſcenditur: donec numeros ſacros, & per eos dictum primum punctum certum, conſequamur. Quod aſſequimur & deprehendimus non priùs, quàm in anno, primum annum dictæ Epochæ Chriſtianæ vulgaris, annis 4022. completis, excluſivè præcedenti; i.e. in anno ante dictam Epocham 4022. cujus anni primus dies, eſt id primum punctum certum. à poſteriori certo inventum. Quod infrà hìc, in Syntheſi Temporum, aliquo modo; ſed in noſtro Temporum Reſtitutionis Tractatu, lib. 1. plenius demonſtratur: quò Lectorem remittimus.

Quartò, *Prius certum*, eſt primus annus *Periodi Iulianæ:* qui is annus eſt, in quo omnes tres Cycli uſuales, Lunæ, Solis, & Indictionis, ſimul ab unitate incipiunt, id eſt, in quem principia omnium trium Cyclorum concurrunt. Cyclis omnibus tribus, ab hoc præſente & currente anno Chriſtiano 1626. retro-actis, & in anteriora revolutis; hic primus annus Periodi Iulianæ, vel hæc cōcurrentia omniū trium Cyclorum in ſuis principiis, non antè deprehenditur; quàm in anno, hunc præſentem annum Chriſtianum, annis 6338. completis, excluſivè præcedente. In eo anno, omnes tres Cycli ab unitate inceperunt: qui annus ex Hypotheſi ita conſtitutus eſt. Nam ante Mundum conditum, nec Sol, nec Luna, nec tempus fuit. Hoc prius certum, vel hic primus annus Periodi Julianæ, primum noſtrum certum, id eſt, primum noſtrum annum Mundi ſuprà inventum, excluſivè præceſſit annis completis Julianis 691, ex hypotheſi, ut ſuprà ſcriptum eſt. Ita hic primus annus verus Mundi, ab hoc *Priori certo*, id eſt, primo anno Periodi Julianæ, dependet; & eſt ejus Periodi annus 692. Quod hìc infrà, in Temporum Analyſi, & Declaratione Periodi Julianæ, ejusque admirabilis uſus, aliquomodo; ſed in noſtro Temporum Reſtitutionis tractatu, lib. 6. cap. 24. pleniùs explicatur.

Quintò, Ab hoc primo Puncto certo, id eſt, anno ante Epocham Chriſtianam vulgarem vel civilem, 4022. qui idem eſt 692. annus Periodi Julianæ; veri, genuini, & naturales *Anni Mundi*, hujus Novæ Temporum Diſpoſitionis, deducuntur.

Sextò, Secundùm hos annos Mundi *veros* & naturales, Hiſtoria ſacra ita ordinata & digeſta eſt: ut exinde, *Conſenſus* hujus Temporum Diſpoſitionis, cum Sacrâ Scripturâ, non obſcurè eluceſcere & apparere poſſit.

Septimò, Omnes *Textus* Sacri, qui temporis notationem habent, ſecundùm veros & genuinos ſenſus & intellectus, ab omnibus Eccleſiis Orthodoxis receptos & approbatos,

tos, explicantur & declarantur : omnibus Antinomiis & Contradictionibus, in Sacris, evitatis. Quod dicto noſtro Tractatu, de Temporum Reſtitutione, lib. 3. pleniùs declaratur: ubi dicti textus clariùs exponuntur.

Octavò, Ad hos eosdem annos Mundi veros, in hac temporum Diſpoſitione, *Hiſtoria communis* non-ſacra, ita diſpoſita & ordinata eſt: ut omnium Regnorum & Rerumpublicarum initia & incrementa, ſuis naturalibus & propriis annis attributa; viciſſitudines & converſiones, ſuis annis aſſignatæ & aſſcriptæ ſint: ut indè omnium Regnorum & Rerumpublicarum veræ *Periodi*, debitis quantitatibus ſuis conſtantes, ſine ullâ extenſione ulteriore vel contractione, quàm par ſit, haberi & perſpici poſſit. Ex quo, *Conſenſus* hujus temporum Diſpoſitionis, cum totâ Antiquitate, & omnibus claſſicis & probatis Scriptoribus, manifeſtè evincitur. Id quod libro 4. ſupra-dicti Tractatus Temporum Reſtitutionis, ſpeciatim deducitur & probatur.

Nonò, In hac novâ Paullianâ Temporum Diſpoſitione, Sabbata naturalia, id eſt, Septimus quisque annus, indè à condito Mundo numeratus, in primum *Sabbatum legale Moſaicum*, ex Mandato Dei à Moyſe in Deſerto ordinatum, (hîc annorum Sabbata intelliguntur) præcisè incidit. Ita ut hujus temporum Diſpoſitionis anni Mundi, per 7. diviſi, in reſiduis oſtendant, quotus annus quisque ſit à proximè præcedente Sabbato, ſive naturali, ſive legali: quod perinde eſt. Si namque nihil in reſiduo remanſerit: id indicium eſt, eum annum Mundi incidere in numerum ſeptimum, & eſſe Sabbaticum. Primum Sabbatum legale, nobis incidit in annum Mundi, hujus Temporũ Diſpoſitionis, 2555.

430
2555 (365.
777

Decimò, In hac eâdem Temporũ Diſpoſitione, *Iubilæa* naturalia, id eſt, Quadrageſimus-nonus quisque annus, à

condito Mundo numeratus, in primum *Iubilæum* legale Moſaicum,ex Dei mandato à Moyſe in Deſerto ordinatū, præciſè & ad amuſſim incidit. Ita ut hujus Temporum Diſpoſitionis anni Mundi,per 49.diviſi, in reſiduis oſtendant, quotus-quisque annus Mundi ita diviſus à proximè præcedenti Jubilæo, vel naturali, vel legali,(perinde enim eſt) abſit. Si namque nihil in reſiduo remanſerit: id indicium eſt,annum Mundi diviſum,ipſum Jubilęum eſſe. Primum Jubilæum Moſaicum legale, in hac Paullianâ novâ Temporum Diſpoſitione,incidit in annum Mundi 2597.

2
140
2597 (53.
499
4

Undecimò,Datur etiam,in hac novâ Temporū Diſpoſitione,vera & indubitata *Alligatio Hiſtoriæ communis* non-ſacræ ad *Sacram*: In anno 23.Ezechiæ,Judæorum; & 1. anno Merodaci, Babyloniorum Regis; & 27. anno Nabonaſſaris Ptolemaici, ex 2 Regum cap.20.v.12.& 2 Chron.c.32. v.31.& Ptolemæo,lib.4.Almageſti,cap.6. Quæ alligatio, per Motus cœleſtes, & tres Lunæ Eclipſes, confirmatur & ſtabilitur. Quæ omnia pleniùs exponuntur,in noſtro Tractatu Temporum Reſtitutionis,lib.6.cap.19.

Duodecimò, Si hujus Temporum Diſpoſitionis anni Mundi, per additionem Radicis Periodicæ Julianæ, quæ eſt *691.* in annos correſpondentes ejus Periodi convertantur: ad eos annos correſpondentes,qui ex dictâ additione reſultant, ex Tabulis Motuum cœleſtium,ad Periodum Julianam accommodatis, (quales hoc noſtro tempore ſunt Tabulæ Friſicæ,Lunæ,& Solares, Nicolai Mulerii,Leovvardienſis Gymnaſiarchæ, anno Chriſtiano 1615. Amſterlodami excuſæ) ex his Tabulis, inquam, ad confectos annos correſpondentes, indè à condito Mundo,cujusque anni, menſis, diei, horæ,& horæ ſcrupulorum,veri, naturales, & genuini motus cœleſtes, qui vel oculis conſpicui,

ſpicui, vel à probatiſſimis Scriptoribus in monumentis ſuis conſignati reperiuntur, extrahi & haberi poſſunt: & prodibunt illis ipſis diebus, horis, & horarum ſcrupulis, quibus conſignati apud Scriptores inveniuntur. Ut ſunt Aequinoctia, Solſtitia, Luminarium Syzygiæ & Eclipſes: quæ in oculos incurrunt. Idque ad ſingulos annos Mundi, hujus Temporum Diſpoſitionis, ſive ante, ſive poſt Epocham Chriſtianam civilem.

Decimo-tertiò, Hujus Temporum Diſpoſitionis anni Mundi, in annos ſuos in Periodo Julianâ correſpondentes converſi, (quod fit per additionem Radicis Periodicæ Julianæ, 691. ut ſuprà dictum) per numeros dictorum ſuorum correſpondentium annorum, producunt, cujusque anni Mundi, indè à condito Mundo, veros & proprios *Cyclos*, tàm Lunæ, quàm Solis & Indictionis, hoc modo: Numerus correſpondentis anni inventus dividatur per cujusque Cycli radicem. Ut, ſi dividantur per Cycli Lunæ radicem, quæ eſt 19. in reſiduo datur ejus anni Cyclus Lunę. Quòd-ſi nullum erit reſiduum : id indicium eſt, datum Mundi annum, eſſe ejus Cycli ultimum ; & radicem ipſam ejus anni Cyclum eſſe. Si eodem modo numeri iidem dividantur per Cyclum Solis, qui eſt 28. reſiduum dabit ejus anni Cyclum Solis. Si deniq; iidem numeri dividantur per Cyclũ Indictionis, qui eſt 15. proveniet in reſiduo ejus anni Cyclus Indictionis. Idq; perpetuò, indè à condito Mundo, in omnibus annis hujus Temporum Diſpoſitionis.

Sed hîc interfari quis poſſit : quid primis hominibus negotii cum Indictione Romanâ fuerit? Scio equidem, quòd primis temporibus non conveniat iſte Cyclus. Nihil tamen tàm naturale, quàm Cyclũ aliquem, vel Periodum 15. annorũ, cujuscunq; is ſit nominis, in anteriora revolvere. Nihil id habet abſurditatis. Hic annus Chriſtianus currens 1626. ſecũdùm hanc Paullianam Temporis Diſpoſitionẽ, eſt annus Mundi verus 5648. id quod infrà, in Analyſi temporum, demonſtrabitur. Vel hoc modo poteſt.

Diſtantiæ anni primi Mundi, ab Epochâ Chriſtianâ, infrà in Syntheſi Temporum demonſtratę, ſunt 4022. Adde annum Chriſtianum præſentem & currentem: & productum erit annus Mundi verus dati anni Chriſtiani. Ut:

Diſtantia primi anni Mundi ab Epochâ Chriſtianâ,	4022
Annus Chriſtianus præſens & currens,	1626
	5648.

Is annus, additione Radicis Periodicæ *691*. in annum Periodi Julianæ correſpondentem convertatur.

5648 Numeri hujus anni correſpondentis, ſc. *6339*. per
691 radices omnium trium Cyclorum uſualium di-
6339 vidantur.

Pro cyclo Lunæ, vel aureo numero, per 19.	*Pro cyclo Solis per 28.*	*Pro cyclo Indictionis per 15.*
1	1	15
33	35	2330
3662	2771	6339 (422
6339 (333	6339 (226	1555
1999	1888	11
11	22	

In reſiduis, prodeunt Cycli Lunæ, vel numerus Aureus, 12. Solis, 11. Indictio 9. qui ſunt veri & proprii Cycli hujus currentis *1626*. anni Chriſtiani.

Decimo-quartò, Tempora hujus Diſpoſitionis Temporum, indè à condito Mundo, ad uniformem annum *Julianum*, ab Imperatore C. Julio Cæſare poſterioribus temporibus correctum, annum omnium annorum perfectiſſimum, ad annum ſolarem cœleſtem quàm-proximè accedentem, ut & anno primitivo Hebraico ſimilimum, diſpoſita ſunt. Ita ut indè à conditu Mundi, & omnium rerum initio, momenta momentis, & ſcrupula ſcrupulis, cohæreant, & ſibi invicem contigua ſint.

Hæc ſunt XIV. Novæ hujus Temporum Diſpoſitionis *Singularia:* ex quibus nemo non intelligit, iis ſuperiores Defectus generales, ex fundamentis corrigi & emendari. Quod erat faciendum.

APPEN

APPARATVS AD SYNTHESIN TEMPOrum ſubſequentem.

Quemadmodum in omnibus aliis ſcientiis, *Syntheſis*, per naturæ leges, Analyſin ordine præcedit: ſic idipſum maximè in temporum tractatione verum eſt. Quâ ratione enim, à nullo, vel (quod idem eſt) ab incerto principio, certa tempora poſſunt derivari vel deduci? Quâ in re, hoc noſtro ſeculo, maximè à Chronographis fuit peccatum: dum omnes Analyticâ Methodo tempora nobis exhibere conati ſunt; Compoſitione vel Syntheſi temporum poſthabitâ & neglectâ. Nos igitur multò conſultius & tutius eſſe judicavimus; ſi Methodo Syntheticâ, tempora à certo quodam, & extra omnem litem poſito termino *Poſteriori* primo, componantur; & ita à proximioribus & notioribus, per aſſcenſum in anteriora, remotiora, & minùs nota, progrediamur: ut ita *Primum punctum certum*, quod idem primus Mundi annus eſt, primò firmemus & ſtabiliamus; antequàm (quod alii ante nos fecerunt) ab incerto aliquo primo puncto, per Analyſin, tempora in poſteriora deorſum deducamus,

PRAE-

PRÆFATIO IN NOVAM HANC SYNTHESIN *Temporum.*

MONENDUS es, benevole Lector: Quòd, ſub Anni verbo, hîc ſemper intelligimus Calendas Januarii, vel primum nominati anni diem: eundemq; in hac temporum Syntheſi, in termino *à quo*, ſemper excluſivè; in termino autem *ad quem*, incluſivè. *Poſterius* certum, nobis eſt primus dies Januarii, Anni primi Epochæ Chriſtianæ vulgaris: quem annum ſuprà, in fine Defectuum generalium, in anno 43. Auguſti Imperatoris, & Conſulatu Caji Cæſaris, Nepotis Auguſti Imp. & L. Aemilii Paulli, firmavimus & ſtabilivimus.

Sequitur inveſtigatio diſtantiæ 23. anni Ezechiæ R. Judæ; ab Epochâ Chriſtianâ vulgari vel civili.

Plutarchus, Curtius, & Diodorus Siculus, Eclipſin Lunę commemorant, anno 2. Olympiadis 112. die 11. Epiphi Menſis Aegyptii, 10. ante pugnam inter Alexādrum & Darium Arbelianam diebus. Motibus cœleſtibus in anteriora revolutis, conſequimur, hanc Eclipſin præceſſiſſe Epocham Chriſtianā vulgarem, annis plenis 330. ac dieb. 103.

Thucydides, lib. 2. de Bello Peloponneſiaco, habet Eclipſin Solis, Olympiadis 87. anno 2. die 6. Menſis Mechii, primo ejus Peloponneſiaci belli anno.

Hanc Eclipſin edunt motus cœleſtes, quòd præceſſerit Alexandrinam ſuperiorem, annis 100. ac diebus 48.

Ptolemæus Peluſinus, lib. 5. Almageſti, cap. 14. annotat Eclipſin Lunæ, anno Nabonaſſaris 225. die 17. Phamenot, Anno 7. Cambyſis, filii Cyri Monarchæ. Hanc Eclipſin exhibent motus cœleſtes, quòd ſuperiorem Peloponneſiacam præceſſerit annis plenis 92. diebus 17.

Idem Ptolemæus, dicto lib. & cap. profert aliam Eclipſin Lunæ, Anno Nabonaſſaris 127. die 27. Menſis Athi, in anno quinto Nabopolaſſaris, qui idem Nabuchdonoſor Magnus. Hanc Eclipſin oſtendunt motus cœleſtes, quòd præceſſerit Cambyſianam ſuperiorem, annis plenis 98. diebus 85.

Idem Ptolemæus, lib. 4. cap. 6. Almageſti, aliam Eclipſin Lunæ notat, anno 27. Nabonaſſaris, die 29. Thot Menſis Aegyptii, in anno 1. Merodaci, Babyloniorum Regis, quem is Merdocempad nominat: qui annus idẽ eſt 23. Ezechiæ, Regis Iudæ, & dies idem 19. Martii. Motus cœleſtes demonſtrant, hanc Eclipſin Nabuchdonoſorianam ſuperiorem præceſſiſſe, annis plenis 100. diebus 34.

A' die 19. Martii, ad Calendas Ianuarii, ejus 23. anni Ezechiæ, Regis Iudæ, incluſivè, ſunt adhuc dies 78.

Omnibus annis & diebus harum 5. Eclipſium, & ſuperfluis 78. diebus, indè ab Epochâ Chriſtianâ vulgari, ad primum diem anni 23. Ezechiæ, Regis Iudæ, in unam ſummam coadunatis, conficiuntur præcisè 721.

Quot anni, à primo Ianuarii, anni primi Epochæ Chriſtianæ vulgaris excluſivè, ad primum Ianuarii, anni 23. Ezechiæ, Regis Iudæ, incluſivè, numerantur.

Eadem *Diſtantia* 721. annorum, à primo Ianuarii anni primi Epochæ Chriſtianæ excluſivè, ad primum Ianuarii, anni 23. Ezechiæ, Regis Iudæ, incluſivè, etiam ex annis Auguſti Imperatoris, Regum Aegyptiorum, Macedonum, Perſarum, Chaldæorum, & Iudæorum, ſibi invicem immediatè ſuccedentium, uſque ad dictum primum Ianuarium, anni 23. Ezechiæ, Iudæorum Regis, demonſtrari poteſt, hoc modo.

A' primo Ianuario primi anni, Epochæ Chriſtianæ vulgaris, vel anni 43. Auguſti Imperatoris, excluſivè, uſque ad annum pugnæ navalis ad Actium, anni 29.

A' dictâ pugnâ, in annis Regũ Aegyptiorũ, ex quo Lagidæ Aegypto potiti ſunt, in anteriora, numerãtur anni 395.

Ante occupationem iſtius Regni, poſt mortem Alexandri, Interregnum, anno 1.

A' victoriâ Arbelianâ, Alexander M. Aſiæ dominatus eſt annis 2.

Ante eam victoriam Arbelianã, Perſæ rerum potiti ſunt, annis 205.

Ante eos, Chaldæi & Babylonii Reges, indè ab Excidio Hieroſolymitano 70.

Primus Ianuarii, anni 23. Ezechiæ Regis, præceſſit Excidium Hieroſolymitanum, annis 114.

Summa annorum omnium eadem, quæ ſuprà, 721. annorum.

Cùm in ſacris literis, annorum continuorum ſeries, poſt reditũ ex Babylone, nos deficiat; & de Principio Hebdomadum Danielis, inter Theologos & Chronographos, adhuc variè diſputetur: diſtantia ſuprà-ſcripta non aliunde, quàm ex Hiſtoriâ communi non-ſacrâ, & Motibus cœli, haberi poteſt: Ex quibus & nos eam deduximus, & demonſtravimus.

SYNTHESIS TEMPORVM, A' POSTERiori certo.

Epocha Chriſtiana vulgaris, eſt poſterius illud certum, & fundamentum totius Syntheſis temporum, in Conſulatu Caji Cæſaris, Auguſti Imperatoris nepotis, & L. Aemilii Paulli; qui idem eſt 43. annus dicti Imperatoris Auguſti à Triumviratu, & Urbis conditæ 753. Olympiadis 195. annus 1. Nabonaſſaris 748. Græcorum vel Seleucidarum annus 313. fixum.

A' Ianuario anni primi hujus Epochæ Chriſtianæ vulgaris excluſivè, uſque ad prímum Ianuariũ anni 23. Ezechiæ Regis Iudæ, in anterioraaſſcendendo, incluſivè, numerantur anni completi 721.

Quæ diſtantia ſuprà, in apparatu hujus Syntheſeos, ex Hiſto-

Hiſtoriâ ſacra, communi non-ſacrâ, & Motibus cœli, plenè demonſtrata eſt.

A Ianuario (intellecto ſemper ejus primo die) dicti 23. anni Ezechiæ, Regis Iudæ, excluſivè, uſque ad quartum annum Salomonis, Regis Iudæ, incluſivè, quo is templi ſui fundamenta jecit, anni Regum Iudæ, in libris Regum & Chronicorum, ſunt 314.

Hic ſedulò cavendum, ne anni currentes, & anni Vicariatûs filiorum, quibus illi cum parentibus, vel parentes cum filiis regnarunt, cum annis completis (quales hujus ſyntheſeos anni omnes ſunt) miſceantur. Quod per comparationem annorum Regum Iudæ, cum annis Regum Iſraëlis, facilè evitari poteſt.

A Ianuario anni quarti Salomonis excluſivè, ad annum exitus ex Aegypto incluſivè, 1 Reg. c. 6. leguntur expreſsè anni 480. Sed is annus fuit currens, in quo fundamenta Templi fuerunt jacta, qui proximè-præcedenti numero jam fuit incluſus. Anteriùs igitur ante Ianuarium, elapſi ſunt anni completi 479.

A Ianuario anni Exitus ex Aegypto excluſivè, ad Ianuarium anni 71. ætatis Abrahami, quo is in Ur Chaldæorum, antequàm in Charan proficiſceretur, primam Euangelii promiſſionem à DEO accepit, (cùm Abraham 70. ſuæ ætatis annum exceſſiſſet, & jam 71. ageret. Geneſ. 11. v. ult. & cap. 12. in princip. Actor. 7. v. 4.) incluſivè numerantur anni completi 430.

Quæ diſtantia, inter primam promiſſionem Euangelii Abrahamo datam, & Legis promulgationem in Sinai, expreſsè definita eſt ab Apoſtolo, in Epiſt. ad Galat. 3. v. 17. Idem eſt tempus Peregrinationis Abrahami, & ſeminis ejus, ſecundùm expoſitionem Eccleſiæ. Exod. 12. verſ. 40. Quòd autem Abraham, poſt annos completos ætatis ſuæ 70. currente ipſius 71. primam Euangelii promiſſionem acceperit; etiã hoc modo demonſtrari poteſt. Quadringenti anni ſervitutis ſeminis Abrahami, in ipſo Iſaaci

exortu initium, & in ipſo exitu ex Aegypto finem, habuerunt. Iſaac natus eſt anno ætatis Abrahami centeſimo. Geneſ.c.21.v.5. Ergo, ad complendos 430. ſuperiores annos, deſunt adhuc anni 30. qui in numeris ætatis Abrahami, in anteriora retrò numeratis, ab ejus anno centeſimo, digito quaſi oſtendunt ejus 71. ætatis annum currentem. Ita 30. Abrahami, & 400. ſervitutis ſeminis ejus, conficiunt eos 430. annos dictos, ad Galat.3.v.17.

A' Ianuario anni ætatis Abrahami 71. excluſivè, ad Ianuarium ætatis Patriarchę Tharę, patris Abrahami, 131. quo anno Abraham natus eſt, incluſivè, intercedunt anni 70.

Quòd autem Abraham, anno ætatis Tharæ 131. & non anno 70. (ut vulgò fertur) natus ſit; ex Actor.c.7.v.4. manifeſtum eſt. Eo enim in loco Spiritus ſanctus, per protomartyrem S. Stephanum loquens, affirmat; Abrahamum, poſt mortem patris ſui Tharę, (qui, cùm moreretur, fuit annorum 205. Gen.11.verſ.ult. quo tempore Abraham agebat annum ætatis ſuæ 75. Geneſ.c.12.v.4.) ex Charan diſceſſiſſe, & iter versùs Canaan ingreſſum eſſe. Iam annis 75. in annis Tharæ, ab ipſius morte retrò in præcedentia numeratis; vel iis à totâ ætate Tharæ 205. ſubtractis; remanent 130. anni, quos Tharæ compleverat, & annum 131. agebat, cùm Abraham naſceretur. Quod ad locum Moyſis, Geneſ.c.11.v.26. attinet; eum omnes orthodoxæ Eccleſiæ, earumq; præcipui Doctores, ita interpretantur: Tharam, anno ætatis 70. cœpiſſe liberos procreare; inter quos Abram erat natu minimus. Quàmvis enim primo loco ſit nominatus: tamen non magis fuit inter ſuos fratres primogenitus, quàm Sem, Iſaac, Iacob, & Iuda; qui paſſim in ſacris primo loco nominantur, & fratribus ſuis præponuntur, quòd Chriſtus ex illis naſciturus erat; non tamen exinde ſequitur, eos primogenitos fuiſſe, vel priori loco natos.

A' Ianuario anni ætatis Tharæ 131. in quo Abraham natus eſt, excluſivè, ad Ianuarium ejus anni; ſc. ſexcenteſimi ætatis

ætatis Nohæ, in cujus ſecundo menſe, id eſt, Novembri Iuliano, *Diluvium* cœpit, in ætatibus Patrum, incluſivè, id eſt, anno eo ſimul comprehenſo, numerantur anni 353.

Hîc non tacendum; Diluvium non cœpiſſe (ut vulgò ſcribitur) anno Mundi 1656. Quod de anno Mundi Iuliano falſum eſt: de anno tamen Hebraico primitivo tolerari poteſt. Major quidem Diluvii pars, incidit in annum Mundi Iulianum 1656. Sed ejus initium debetur 17. diei Novembris, qui in Geneſi ſecundus Menſis appellatur.

A`Ianuario anni Mundi 1655. & 600. Nohæ, in quo Diluvium cœpit, excluſivè, uſque ad Ianuarium primi anni Mundi, in ætatibus Patriarcharum, incluſivè, anno Mundi primo ſimul comprehenſo, numerantur anni completi 1655.

Summa annorum omnium Epocharum,
Anni 4022.

Ita ex ſacris literis, Hiſtoriâ communi non-ſacrâ, & Cœli motibus, demonſtravimus, Primum punctum certum, (id eſt, primum diem primi anni Mundi) incluſivè, præcedere Poſterius certum, (id eſt, annum primum Epochæ Chriſtianæ vulgaris) incluſivè, annis Iulianis completis 4022.

Non ignoramus, Mundum Ianuario Menſe non eſſe creatum; neque nos hoc dicimus: ſed tantùm Syntheſin noſtram, ad initium primi anni Mundi Iuliani, ab Epochâ Chriſtianâ, deducere, hîc conſtituimus.

BIBL. NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

APPARATVS AD SVBSEQVENTEM ANALYSIN TEMPORVM: ET primò de PERIODO IVLIANA, ejusq; uſu admirabili.

TRACTATU noſtro Temporũ reſtitutionis, lib. 6. c. 24. de origine, cauſis, & effectu *Periodi Iulianæ*, pleniùs diſſeruimus: quò Lectorem remittimus. Hîc ſolummodò, de ejus formâ & uſu, ſumma quædam capita attingemus; quantum ad Apparatum ſubſequentis Analyſeos Temporum, ejusque intelligentiam, nobis neceſſe viſum fuerit: in reliquis Lectorem ad ſuprà commemoratum noſtrum Tractatum, Temporum Reſtitutionis, remittentes. Periodus Iuliana, ex concurſu trium Cyclorum uſualium, enata & conſtructa eſt.

Quod ſit Periodus Iuliana.

Periodus Iuliana, & revolutio 7980. annorum Iulianorũ, In cujus principio, vel primo ejus anno, principia omnium trium Cyclorum uſualium, (*Lunæ*, qui & Aureus numerus appellatur, & Syzygias Luminarium moderatur: *Solis*, qui ferias anni ordinat: & *Indictionis*, qui quindecennalem Periodum, id eſt, tria Luſtra, repræſentat) initiis ſuis concurrunt; & ſimul omnes ab unitate incipiunt. Et in ultimo ſuo anno, id eſt, in anno Periodi Iulianæ 7980. omnes ſuos Cyclos, radicibus ſuis, 19. 28. & 15. ſimul omnes claudunt. Quod utrumque nobis demonſtrandum.

De primo: hoc eſt, de Periodi hujus Iulianæ principio, ejusq; primo Anno.

De anno Mundi vero, huic anno Chriſtiano correſpondente.

Suprà in Syntheſi temporum, & eorum compoſitione, ex ſacrâ Scripturâ, Hiſtoriâ communi non-ſacrâ, & motibus Cœli, demonſtravimus, Epocham conditi Mundi, vel pri-

primum Mundi annum, qui verum illud primum punctum eſt, incluſivè, ab Epochâ Chriſtianâ vulgari, & primo ejus anno, qui certum poſterius punctum eſt, excluſivè, diſtare à Ianuario ejus Epochæ, annis completis 4022. Huic præcedentiæ Epochæ Mundi ab Epochâ Chriſtianâ, adjiciatur præcedentia vel diſtantia Epochæ Chriſtianæ, ab hoc anno præſente & currente Chriſtiano 1626. qui eſt idem annus unitate diminutus, ſc. 1625. Et compoſitum utriusque diſtantiæ vel præcedentiæ, erit verus Mundi annus, huic noſtro præſenti & currẽti anno Chriſtiano 1626. correſpondens.

Primus annus Mundi ante Epocham Chriſtianam, 4022.
Præcedentia Epochę Chriſtianæ ante annum præſentem & currentem 1626. eſt 1625.

Reſultat compoſitũ totius præcedentiæ, annorũ 5647. quæ eſt præcedentia anni primi Mundi, ab hoc præſente & currente anno 1626. Hæc præcedentia 5647. annorum unitate augeatur: & datur verus annus Mundi; huic præſenti & currenti anno Chriſtiano correſpondens; videlicet annus 5648. Cui in Periodo Iulianâ correſpondet annus Periodi 6339. Quod per ſequentia ita demonſtramus.

Periodus Iuliana hoc habet ſingulare & proprium; ut ſinguli ſui anni, correſpondentium ſibi annorum Mundi, (modò ſint veri anni Mũdi; uti ſunt hujus Temporũ Diſpoſitionis) omnes tres Cyclos ejus anni proprios & naturales, ſemper in numeris ſuis, diviſione per radices facta cujusque Cycli, in reſiduis oſtendant & cõmonſtrent. Quod ſuprà, in expoſitione Novæ Paullianæ Temporum Diſpoſitionis, in 13. ſingulari, in præſente & currente anno Chriſtiano 1626. in Periodo Iulianâ ei correſpondente anno 6339. exempli loco, demonſtravimus: praxi diviſionis per omnes tres Cyclos ibi adjectâ. Per quod exemplum evicimus: cùm numeri anni Periodi Iulianæ 6339. per radices omnium trium Cyclorum diviſi, in ſuis reſiduis hos Cyclos edant; Lunæ, 12, Solis, 11. Indictionis, 8. atque hi veri

De annis Periodi Iulianæ, annis Mundi correſpondentibus.

&

& genuini hujus præſentis anni 1626. Cycli ſint: exinde concludi & ſtatui poſſe, Annum Periodi Iulianæ 6339, dicti anni Chriſtiani 1626, verum in eâ Periodo correſpondentem annum eſſe.

Poteſt & aliâ viâ, dato anno Mundi correſpondens in Periodo Iulianâ annus haberi: ſi nimirum Radix Periodica Iuliana, quæ ſemper eſt 691. annis Mundi adjiciatur, quam viam infrà clariùs declarabimus.

Quòd Periodi Iulianæ 1. annus, primum annum Mundi, 691. annis præcedat.

Datis duarum diverſarum Epocharũ, ut Mundi & Periodi Iulianæ, duobus correſpondentibus ſibi invicem annis, in unum eundemque annum concurrentibus: ſi minoris anni (qui ſemper eſt, reſpectu Periodi, annus Mundi) numeri, à majoris anni numeris (qui ſemper eſt annus Periodi, reſpectu Epochæ Mundi) ſubtrahantur: differentia ſive reſiduum oſtendet, quot annis Epocha Periodi Iulianæ, vel ejus primus annus, in præcedentiâ ab Epochâ Mundi diſter, eamque præcedat.

Annus Epochæ Periodi Iulianæ, Chriſtiano 1626. correſpondens,	6339.
Annus Epochæ Mundi, eidem anno Chriſtiano 1626. correſpondens,	5648.
	691.

Differentia vel reſiduũ, quot Epocha Periodi annis major eſt, eſt 691. Tot ergo annis Epocha Periodi Iulianæ Epocham Mundi vel creationis præcedit.

Ex quo hæc duo ſtabiliuntur conſectaria.

1. *Radix Periodi pro anno Mundi.*

Primum: Numerum 691. annorum, veram *Radicem* Periodicam Iulianam eſſe, pro annis Mundi inventam: ita ut 691. anni, cuiq; anno Mundi vero (quales ſunt anni Mundi Paullianæ Temporum Diſpoſitionis) additi, eum annum, in annum Periodi Iulianæ commutent; vel (quod idem eſt) ejusdem anni Mundi, in Periodo Iulianâ, verum correſpondentem annum oſtendant & commonſtrent.

2. *Anni primi Mundi correſpondens in*

Secundum conſectarium eſt: quòd Radicis Periodicæ 691. ſequens annus, videlicet 692. anno primo Mundi Iuliano, verus in ea Periodo *Correſpondens* annus ſit. Cùm

ergo

ergo annus Periodi Iulianæ 692. & annus primus Mundi, unus idemque annus ſit; ut demonſtratum: Ergo uterque annus eandem habent diſtantiam vel præcedentiam, ab Epochâ Chriſtianâ vulgari, jam ſuprà in Syntheſi temporum detectam & demonſtratam, 4022. ſcilicet annorum: quibus annus primus Mundi, incluſivè, dictam Epocham Chriſtianam, excluſivè, antecedat. Ergo etiã annus Periodi Iulianæ 692. incluſivè, totidem, id eſt, 4022. annis, ab Epochâ Chriſtianâ vulgari, excluſivè, in anteriora diſtat. Si jam hæc poſterior præcedentia Periodi, ante Epocham Chriſtianam, 4022. quam Periodus cum Epochâ Mundi communem habet, cum priori, quam ante Epocham Mundi habet, combinetur, vel jungatur: conficitur tota præcedentia, vel diſtantia Principii Periodi Iulianæ, vel ejus primi anni, incluſivè, ab Epochâ Chriſtianâ vulgari, excluſivè: & tota præcedentia, quâ primus annus Periodi Iulianæ, ab Epochâ Chriſtianâ vulgari, excluſivè, abeſt, vel eam antecedit, reſultat ex additione, 4713. annorum. Ex quo conſequitur, ſequentem annum Periodi, 4714. primi anni Epochæ, verum correſpondentem annum in eâ Periodo eſſe.

Periodo Iulianæ annus.

Præcedentia 1. anni Periodi, ante Epocham Christianam.

Præcedentia Epochæ Periodi Iulianæ ante Epochã Christianam vulgarem.

Præcedentia prior	691.
Præcedentia poſterior	4022.
	4713.

Idem annus correſpondens, & aliâ via haberi poteſt: Si ſcilicet Radicem Periodicam, pro annis Mundi ſuprà inventam, 691. anno Mundi Epochæ Chriſtianæ vulgaris, quem Syntheſis temporum ſuprà oſtendit eſſe annum Mundi 4023. junxeris.

Annus Mundi Epochæ	4022.
Radix periodi	691.
	4714.

Quæ via infrà pleniùs declarabitur.

ILLATIONES EX SUPRAſcriptis.

Ita per præcedentiam, vel diſtantiam Epochæ Mundi, ab Epochâ Chriſtianâ vulgari 4022. annorũ, ſuprà in Syntheſi temporum confirmatâ & ſtabilitâ, quod hujus anni

Chriſtiani præſentis & currentis 1626. in periodo Iulianâ correſpondens annus ſit 6339. per extractionẽ omnium trium Cyclorum, in 13. Singulari Novæ Paullianæ Temrum Diſpoſitionis, ſuprà demonſtratum eſt, Ex quibus jam ſequuntur hæc infrà ſcripta.

IN ANNIS PERIODI IVLIANAE.

I. Epocham periodi Iulianæ, id eſt, primũ ejus annum (qui eſt *certum illud prius*, in quo omnes tres Cycli ſimul ab unitate incipiũt) præcedere Epocham Mundi, vel primum illud punctum certum, quod eſt Ianuarius, & primus ejus dies, primi anni Mundi, annis Iulianis plenis 691.

Item, eandem Epocham Periodi Iulianæ, vel primum ejus annum, annum primum Epochæ Chriſtianæ excluſivè præcedere, annis plenis 4713.

Item, eandem Epocham Periodi Iulianæ, vel ejus primum annum, hunc præſentem & currentem annum Chriſtianum 1626. excluſivè, annis plenis 6338. præcedere.

Item, ex hac Epochâ Periodi Iulianæ, ſuprà oſtendimus enatas eſſe duas *Radices.*

I. *Radix Periodica* eſt, annorum ſcilicet 691. pro annis *Mundi* inventa: quæ radix, annis Mundi veris, noſtræ Temporum Diſpoſitionis, ante vel poſt Epocham Chriſtianam vulgarem, adjecta, producit ejus anni Mundi, cui adjecta eſt, verum in periodo Iulianâ correſpondentem annum, vel (quod idem eſt) annum Mundi in annum Periodi convertit.

II. *Radix Periodica*, annorum ſcil. 4713. pro annis *Chriſtianis* inventa: quæ radix, annis Chriſtianis noſtris, quibus hodie utimur, adjecta, producit ejus anni Chriſtiani, cui ea radix adjecta eſt, verum in Periodo Iulianâ correſpondentem annum; vel (quod idem eſt) eum annũ Chriſtianum, in annum Periodi Iulianæ convertit.

IN ANNIS MVNDI CONSECTARIA.

Epocha *Mundi*, vel primus ejus annus Iulianus, ejusque anni

anni primus Ianuarii dies, eſt *Primum illud punctum certum*, à priori certo, id eſt, à primo puncto Periodi Iulianæ; cui in eâ Periodo correſpondet annus *692*. Et à poſteriori certo, id eſt, à primo Ianuarii die, primi anni Epochæ Chriſtianæ vulgaris, excluſivè deductum, præcedit incluſivè, dictam Epocham Chriſtianam excluſivè, (ut ſuprà dictum & demonſtratū, in Syntheſi temporum) annis plenis 4022. Hęc Epocha Mundi habet unicam tantùm *Radicem*, quam *Mundanam* appellamus; annorum ſcilicet 4023. Quæ radix cuique anno Chriſtiano adjecta, producit ejus anni Chriſtiani, cui adjecta eſt, verum annum Mundi, in noſtrâ Paulliana novâ Temporum Diſpoſitione, correſpondentem; vel (quod idem eſt) annum Chriſtianum in annum Mundi verum convertit.

IN ANNIS CHRISTIANIS.

Annus Primus Epochæ Chriſtianæ, eſt annus Periodi Iulianæ 4714. & eſt annus Mundi 4023.

DE PERIODI IVLIANÆ FINE & ultimo anno.

Definitio Periodi Iulianæ ſuprà commemorata, duo habet membra.

I. In principio vel primo anno ejus Periodi, omnes Cyclos uſuales ab *unitate* ſimul incipere: quod per ſuperiora demonſtravimus: ubi &, dictum principium Periodi, ab Epochâ Mundi, in anteriora, ad *691*. annos; ab Epochâ verò Chriſtianâ, ad 4713. & ab hoc anno præſente Chriſtiano, ad *6338*. annos, etiam in anteriora, abeſſe confirmavimus & ſtabilivimus.

II. Membrum ejus Definitionis fuit; Vltimo Periodi anno, omnes tres Cyclos uſuales, in radicibus ſuis claudi, 19. 28. & 15.

Hoc ſecundum membrum hîc nobis adhuc reſtat demonſtrandum: quod factu nobis non erit difficile. Si Periodus Iuliana, eſt Revolutio 7980. annorum; uti eſt:

Ergo ipſa tota revolutio erit Periodi 7980. & ultimus annus. Quòd autem omnes tres Cycli, cum radicibus ſuis, eo anno claudantur, ex eo manifeſtum eſt. Suprà, in expoſitione Novæ Paullianæ Temporum Diſpoſitionis, ſingulari 13. annotatum eſt: ſi poſt diviſionem numerorum alicujus anni Periodi, per aliquam ex radicibus, nihil ſit in reſiduo: id indicium eſſe, eum annum ejus Cycli ultimum annum eſſe, & ipſam radicem ejus anni Cyclum eſſe. Si igitur annus Periodi Iulianæ, ejusq; numeri 7980. per radices omnium trium Cyclorum dividantur, & nihil in reſiduis remanſerit: demonſtratum eſt, eo anno omnes tres Cyclos in radicibus ſuis finiri.

Pro cyclo Lunæ, per 19.	*Pro cyclo Solis, per 28.*	*Pro cyclo Indictionis, per 15.*
31	1	11
330	274	2430
7980 (420	3340	7980 (532
1999	7980 (285	1555
11	1888	11
	22	

Cùm ergo ex ipsâ operatione manifeſtum ſit, nihil remanere in reſiduis: Ergo eo anno omnes tres radices Cycli ejus anni erunt; & hic 7980. Periodi annus ultimus ejusdem Periodi; qui ab hoc præſente anno Chriſtiano 1626. adhuc abeſt annis 1642. Ita annus 1643. orditur novam Periodum Iulianam, in quo omnes tres Cycli ſimul ab unitate incipiunt.

ANA-

ANALYSIS NOVÆ PAULLIANAE TEMPORUM DISPOSITIONIS, à primo puncto certo, à priori & à poſteriori certo, deducta.

HOc *primum punctum certum*, eſt primus dies primi anni *Mundi* Iuliani, à *Priori* certo, id eſt, à primo anno *Periodi* Iulianæ, dependens, cujus Periodi eſt annus 692: & à *Poſteriori* certo, id eſt, *ab Epocha Chriſtiana* vulgari, in anteriora tempora deductâ: quã epocham hoc punctũ incluſivè; Epocham autem excluſivè ſumptam, præcedit annis plenis 4022. Hoc primum eſt hujus Analyſeos. Secundum, ex Syntheſi noſtrâ Temporum, ſuprà abundè deductum & demonſtratum eſt.

Ab hoc ergo anno primo Mundi, hoc modo à duobus punctis, uno ſuperiore, & altero inferiore, firmato & ſtabilito; tempora per Analyſin in conſequentia, vel deorſum, deducemus.

Priùs hoc declarandum eſt; Nos non ignorare, Mundum in Ianuario, vel circa tropen hybernam, à Deo non creatum eſſe.

Cum orthodoxâ enim Antiquitate ita exiſtimamus, Mundum in Autumno creatum eſſe: & alibi argumentis hanc ſententiam firmavimus; & ſimul probavimus, Mundi anno Periodi Iulianæ 691. anno primum annum Mundi proximè præcedente, & ante Ianuarium primi anni Mundi, duobus Menſibus, & aliquot diebus, creatum eſſe. Videatur caput 28. lib. 6. Tractatus noſtri de Reſtitutione Temporum: quo loco diem Menſis primi, pro die Creationis, determinavimus.

Ab hoc primo anno Mundi vero, qui idem eſt annus Periodi Iulianæ 692. & annus ante Epocham Chriſtianam vulgarem 4022. ab hoc, dico, Anno Mundi primo incluſivè, (nam in hac Methodo analyticâ, Termini à quibus, ſemper incluſivè; Termini verò ad quos, excluſivè, à Calendis Ianuariis ad Calendas Ianuarii, inpoſterum intelliguntur) & à Calendis Ianuariis hujus primi anni Mundi incluſivè, uſq; ad annum, in cujus ſecundo Menſe Hebraico, & Novembri Iuliano, & anno ſexcenteſimo ætatis Nohæ, *Diluvium* cœpit, exluſivè, in ætatibus Patriarcharum, Geneſ.cap.11. numerantur anni Iuliani pleni 1655.

Huc referenda, quæ ſuprà hoc eodem loco, in Syntheſi noſtrâ, de vero initio Diluvii, monuimus.

Ab hoc anno Mundi 1655. in quo Diluvium initiũ habuit, & à Sexcenteſimo anno Iuliano ætatis Nohæ incluſivè, uſque ad annum ætatis Tharæ, patris Abrahami, 131. quo anno Abraham natus eſt, excluſivè, in ætatibus patrũ inveniuntur anni pleni 353.

Huc referenda ſunt, quæ de nativitate Abrahami, in Syntheſi noſtrâ, ſuprà annotavimus, ex Actor.7. Gen.11. & 12.

Ab anno ætatis Tharæ 131. & nativitate Abrahami, incluſivè, uſque ad annum ætatis Abrahami 71. excluſivè; quo anno Abraham, in Ur Chaldæorum, primam Euangelii promiſſionem à Deo accepit; ſunt anni pleni 70.

Huc pertinent annotata ſuprà, in Syntheſi, de anno, quo Abraham primam Euangelii promiſſionem accepit, ex Gen.12. & ad Galat.3.cap.

Ab hoc anno ætatis Abrahami 71. quo is primam Euangelii promiſſionem accepit, incluſivè; uſque ad annum Exitus ex Aegypto, excluſivè, definiuntur in Sacris anni pleni 430.

Exodi cap.12.verſ.40. & ad Galatas 3.verſ.17. Huc referenda,

renda, quæ de primâ Euangelii promiſſione ante promulgationem legis Abrahamo datâ, ſuprà, in noſtrâ Syntheſi temporum, diſſeruimus.

Ab anno Exitus ex Aegypto incluſivè, uſque ad annum quartum Regni Salomonis, Regis Iſraëlis, quo is fundamenta ſui Templi jecit, excluſivè, anni pleni 479.

1. Regum cap. 6. habentur quidem anni 480. ſed quia ultimus annus currens eſt, & in ſequenti termino includitur; & in hac temporum Analyſi, omnes anni completi ſunt; & ultimus annus ſequenti termino includendus erat: hic non niſi 479. anni completi in conſiderationem veniunt.

Ab anno quarto Regni Salomonis, quo is Templi ſui fundamenta jecit, incluſivè, uſque ad annum 23. Ezechiæ, Regis Judæ, excluſivè, in annis Regum Iudæ, cum annis Regum Iſraëlis comparatis, inveniuntur anni pleni 314.

Huc pertinent commonefactiones, quas hoc loco ſuprà in Syntheſi noſtrâ annotavimus, de annis Vicariatus vel proregni filiorum; & de annis, quibus parentes cum filiis regnarunt; & de currentibus cum completis non commiſcendis. Quæ omnia ex comparatione annorum Regum Judæ, cum annis Regum Iſraëlis, facilè haberi poſſunt.

Ab anno 23. Ezechiæ, Regis Judæ, incluſivè, uſque ad Januarium *Epochæ Chriſtianæ* vulgaris excluſivè, in annis Regum Judæ, Monarcharum Babyloniorum, Perſarum, Alexandri Magni, Regum Aegyptiorum, Auguſti Imperatoris, (anno ſcilicet Imperii ejus 43. & Conſulatu Caji Cæſaris, dicti Imperatoris nepotis, & Lucii Aemilii Paulli) & Motibus cœleſtibus, numerantur præcisè anni pleni 721.

Collectis omnibus numeris noſtræ Analyſeos, à primo Ianuarii, primi anni Mundi, & periodi Iulianæ, 692. incluſivè, uſque ad primum Ianuarii, primi anni Epochæ Chriſtianæ, excluſivè, inveniũtur in unâ ſummâ anni 4022.

quot

quot annos etiam exhibet ſuprà Syntheſis noſtra temporum. Ita Diſpoſitio hæc noſtra temporum nova, per utramque Methodum, confirmatur.

Epilogi loco, & pro Concluſione hujus noſtri Conſilij, monendus eſt Lector.

Chronologos, præcipuè verò Theologos noſtros, ex Hebdomadibus Danielis, Achilleum extruere argumentum: quo depugnare conãtur, in ſolà Sacrà Scripturà, mediantibus dictis Hebdomadibus, continuam temporis ſeriem, uſque ad Chriſtum, ſinè ullà interruptione haberi poſſe; nec opus eſſe, ad hiſtoriam communem (quam illi, ignominioſo vocabulo, prophanam appellant) confugere vel recurrere. In nullo item temporis pũcto, inter Chronographos & Theologos, majorem hæſitationem & incertitudinem deprehendi; quàm in deſignando principio Hebdomadum Danielis. Aliqui, & præſertim Theologi, id principium jungunt Anno primo Cyri, & edicto ejus de reditu ex Babylone: quod principium ut obtineant; non verentur, ipſum textum ſacrum, Danielis 9. verſ. 25. corrumpere; & pro verbis, *de reſtaurandis & reædificandis Hieroſolymis*, ſubſtituere, *Ab egreſſu verbi de reducendo populo:* alii, *ab egreſſu populi, &c.* O animi impotẽtiam, & deteſtandum ſacrilegium, quod hîc à primariis quibusdam Theologis committitur! Alii aſſignant principium Hebdomadum Danielis, anno 2. Darii Hyſtaſpis: quo is Edictũ promulgavit de reſtaurandis Sacrificiis, & reædificando Templo. Alii anno 7. Artaxerxis Longimani: cujus permiſſũ Eſdras tum partem populi reduxit. Alii, inter quos Ioſephus Scaliger, dictum principium Hebdomadum jungunt anno 2. Darii Nothi. O nothum & ſpurium dogma! quæ alligatio priorum omnium eſt abſurdiſſima & vaniſſima. Hæc eſt illa tantoperè collaudata, & decantata continua temporũ ſeries in Sacris: quæ non minima cauſa fuit conturbationis temporum.

Ne

Ne verò hæc incertitudo principii Hebdomadum Danielis nos hîc moretur: dicimus, completarũ & jam præſtitarum Prophetiarum veriſſimum & optimum interpretem eſſe *Eventum*. Cùm ergo ex verbis Oraculi Danielis, cap. 9. verſ. 26. manifeſtum ſit, *Chriſtum* in medio ultimæ ſeptimanæ exſcindendum eſſe; & Chriſtus in anno Conſulatûs S. Sulpitii Galbæ, & L. Cornelii Sullæ, crucifixus & mortuus ſit: revolvantur jam ab hoc anno, anni 484. quot habent Hebdomadæ Danielis, dimidiâ hebdomadâ diminutæ: & principium Hebdomadum Danielis digito quaſi præmonſtrat & deſignat hic numerus, annum Artaxerxis Longimani vigeſimũ; quo anno is, ſollicitante Nehemiâ, Edictum publicavit, & egreſſum eſt verbum, de reſtaurandâ & reædificandâ Hieroſolymâ. Nehemiæ cap. 1. Ita principium Hebdomadum Danielis, in verâ noſtrâ temporum Diſpoſitione, ritè cum anno 20. Regis Perſici Artaxerxis Longimani jungitur: adſtipulantibus verbis Angeli; & cruce Chriſti per eventum id comprobante.

QUA RATIONE ET METHODO FERIAE, ex numeris annorum Mundi, hujus noſtræ novæ & Paulliana Temporum Diſpoſitionis, extrahi & haberi poſſint.

Non leve momentum adfert character *Feriarum*, ad confirmationem alicujus temporum diſpoſitionis; ſi ex numeris ejus, in annis Mundi, *Feriæ* ita extrahi poſſint; ut ad eos dies Menſis, quibus tàm in Sacris literis, quàm apud alios Scriptores, eæ aſſcriptæ reperiūtur, exhibeātur. Sciendum autem eſt, Ferias veras & genuinas, per unius-cujusq; anni verū Cyclū Solis haberi: qui qualiter ex numeris noſtrorum annorum Mundi extrahatur, ſuprà in novæ noſtrę, Paullianæ Temporum Diſpoſitionis ſingulari 13. traditū eſt & demonſtratum; ad quod 13. ſingulare hic *Feriarum* Tractatus referendus eſt: ab eo enim, tanquā ejus conſectariū, dependet. Ne autē quid Lector hîc deſideret; extractio hæc ſequenti conficitur methodo. Pag. 13.

Anno noſtro Mundi cuilibet adjiciatur radix periodica Juliana, pro annis Mundi inventa; quæ ſemper eſt 691. annorum: productum, erit ejus anni Mundi, in Periodo Julianâ, annus correſpondens, vel (quod idem eſt) datus annus Mundi in annum Periodi Julianę erit converſus. Quo facto, Numeri hujus anni Periodi Julianæ dividantur per Radicem Solis, quæ ſemper eſt 28. Numerus qui ex diviſione remanet in reſiduo, eſt verus Cyclus Solis ejus dati anni Mundi, qui quærebatur. Cum hoc Cyclo Solis, hac ratione invento, fiat ingreſſus in Tabulam Cycli Solis hîc aſſcriptam: & Cyclus Solis, ita per diviſionem inventus, oſtendet, versùs dexteram, veram litteram Dominicalem, ei anno congruentem, ſi annus communis eſt: quod ex eo cognoſcitur, ſi detur unica & ſimplex littera. Sin dentur binæ litteræ: nota eſt, quòd ſit annus ille biſextilis. Tuncq; prioris literæ uſus eſt uſque ad 24. Februarii: poſterioris verò uſus eſt in ſequentibus hebdomadibus ejus anni.

TABU-

TABULA CYCLI SOLIS.

Cyclus Solis.	*Litera Dominicalis.*	*Cyclus Solis.*	*Litera Dominicalis.*
1	G F	15	C
2	E	16	B
3	D	17	A G
4	C	18	F
5	B A	19	E
6	G	20	D
7	F	21	C B
8	E	22	A
9	D C	23	G
10	B	24	F
11	A	25	E D
12	G	26	C
13	F E	27	B
14	D	28	A

Eraſmus Reinholdus, in Tabulis Prutenicis, Præcepto 6.fol.24. & 25.hujusmodi tradit modum, Ferias cujusq; diei Menſis inveſtigandi. Si datus ſit annus, cujus diei feria inveſtiganda, ſit annus ante Epocham Chriſtianam vulgarem, eamque præcedat: I. Accipiatur ejus anni à dictâ Epochâ diſtantia, vel præcedentia in anteriora: quod idem eſt. II. Ea unitate minuatur. III. Numeri ita diminuti, per 28. quæ eſt radix Cycli Solis, dividantur. IV. Reſiduum, quod ex eâ partitione ſupereſt, ſervetur. V. Cum eo fiat ingreſſus in Tabulam ſubjectam annorum unius Cycli Solaris; & excerpatur Feria, ei reſiduo ad dexteram correſpondens. VI. Ea feria ſeorſim annotetur, & ſervetur. VII. Deinde dati Menſis aſſumatur Menſis proximè ſequens, & in columnâ annorum, ante vel poſt Epocham Chriſtianam, accipe feriam ei Menſi ad dexteram correſpondentem, habitâ ratione anni communis & biſextilis, qualis datus annus fuerit: hancque feriam ſuperiori feriæ reſidui ſuprà inventæ ſubſigna, & ſerva. IIX. Tandem Menſis, in quo datus dies reperitur, omnes dies, à calce menſis ſurſum aſſcendendo, uſque ad datum diem, eoque ſimul comprehenſo & incluſo, dinumerentur. (Notandum autem, quòd in annis poſt Epocham Chriſtianam, hi dies uno die augeantur. id quod exemplo Auctoris colligitur. Nam à die 6. Junii, eo ſimul cõprehenſo, non inveniuntur, niſi 25. dies:

CANON FERIARUM.

In Tabulis Prutenicis, fol. 13. b.

ANNI UNIUS Cycli Solis.

Cyclus Solis.	*Feriæ.*	*Cyclus Solis.*	*Feriæ.*
1	1	15	4
2	2	16	6
3	3	17	7
4	5	18	1
5	6	19	3
6	7	20	4
7	1	21	5
8	3	22	6
9	4	23	7
10	5	24	2
11	6	25	3
12	1	26	4
13	2	27	5
14	3	28	7

ANNI ANTE EPOCHAM Christianam.

MENSES.	*Communis.*	*Bissextilis.*
Januarius.	1	2
Februarius.	5	6
Martius.	5	5
Aprilis.	2	2
Majus.	7	7
Junius.	4	4
Julius.	2	2
Auguſtus.	6	6
September.	3	3
October.	1	1
November.	5	5
December.	3	3

ANNI POST EPOCHAM Chriſtianam.

MENSES.	*Communis.*	*Bissextilis.*
Januarius.	3	3
Februarius.	3	4
Martius.	6	7
Aprilis.	1	2
Majus.	4	5
Junius.	6	7
Julius.	2	3
Auguſtus.	5	6
September.	7	1
October.	3	4
November.	5	6
December.	1	2

Auctor autem numerat 26. In annis verò ante Epocham Chriſtianam, hoc augmento non eſt opus.) IX. Ab eo numero dierum, quoties poſſibile erit, 7. rejiciantur. X. Reſiduum reliquis duobus numeris inventis ſubſcribatur. XI. Pòſt omnes tres numeri in unam ſummam colligantur. XII. Rurſus, à collectâ ſummâ abjiciatur numerus ſeptenarius, quoties id fieri poteſt. XIII. Reſiduum à Radice Epochæ Chriſtianæ, quæ ſemper eſt *Sex*, ſubtrahatur. XIV. Id Reſiduum eſt feria diei dati, quæ inveſtigabatur. Quòd ſi nihil remaneat in reſiduo, (utputa cùm reſiduum eſt 6.) ab iis ſex radix Epochæ, ut 6. ſubtracta.

cta,relinquit o. Ergo eſt feria tūc ſeptima,vel Sabbatum; Quoties autem Cyclus Solis habet duplicem litteram dominicalem; is annus eſt biſextilis. Sin tantùm habet unam; eſt annus communis.

Primum exemplum hujus extractionis Feriarum, ex numeris annorum Mundi, noſtræ Temporum diſpoſitionis, dabimus ex *Sacris* litteris. Exodi cap. 16. in principio, ſcribit Moyſes; *Populum Iſraëliticum, decimo-quinto die ſecundi Menſis, primi anni Exitûs ex Aegypto, in deſertum Sin veniſſe; ſub veſperam, ingentem copiam coturnicum caſtra texiſſe: ſequenti die, qui fuit decimus-ſextus ejusdem ſecundi Menſis, manè Manna primum pluiſſe: indè poſt ſeptem dies Sabbatum fuiſſe.* Is igitur ſeptimus dies poſt 16. incidit neceſſariò in 22. diem ejusdem menſis; qui dies Hebraicus cœpit ultimo Maji, anni Juliani, horâ 6. veſpertinâ, Sole jam occidente: quem diem, circa ſequentem mediam noctem, excepit 1. Junii. Hocque primum Sabbatum collectione Mannæ fuit violatum: eodem cap. verſ. 27. Experimentum jam fiat, an noſtra temporum Diſpoſitio, in noſtro anno Mundi, hanc feriam ſeptimam, illo 22. die ſecundi Menſis Hebraici, vel 1. Junii anni Juliani, producat, an aliam. Noſtra temporum Diſpoſitio Paulliana, aſſignat annum Exitûs ex Aegypto anno Mundi vero 2509. qui eſt ante Epocham Chriſtianam vulgarem annus 1515. I. Hic annus unitate minuatur: & relinquuntur 1514. II. Iſti anni per radicē Cycli Solis, quæ ſemper eſt 28. dividantur: & in reſiduo manent 2. III. Cum hoc reſiduo

Primum exemplum, ex Sacris.

13
52
1514 (54.
288
2

ingredior Tabulam illorum unius Cycli Solis: & correſpondet illi reſiduo feria 2. quam reſervo, & noto.

IV. Menſis dati, qui eſt Junius, aſſumo Menſem proximè ſequentem, qui eſt Julius. V. Ex Tabulâ annorum ante Epocham Chriſtianam excerpo feriam, quam dictus Menſis Julius mihi commonſtraverit: quæ etiam datur 2. Hanc primæ feriæ reſidui ſubnoto. VI. Tandem Menſis dati, id eſt, Junii, dies omnes, à calce ejus ſurſum aſſcendendo, uſque ad diem datum, eo ſimul incluſivè connumerato, dinumero: & dantur dies 30.

2.	Feria reſidui.
2.	Feria menſis.
2.	Reſiduum dierum.
	Summa 6.

VII. Ab hoc numero abjicio 7. quoties poſſum. Vel eundem numerum, 30. ſcilicet, per 7. divido: quod idem eſt. IIX. Reſiduum 2. reliquis duabus feriis ſervatis ſubſcri-

2
30 (4.
7

bo. IX. Servatos numeros in unam ſummam colligo: & dantur 6. X. À ſummâ collectâ, Radicem Epochæ, quæ ſemper eſt *Sex*, ſubtraho: & remanet nihil. o. Ergo noſter annus, pro dicto die 22. Hebraico Menſis ſecundi, & 1. Junii anni Juliani, exhibet feriam ſeptimam, ſive Sabbatum: quam feriam & Moyſes habet. Eadem igitur noſtra Temporum diſpoſitio, ſicut & noſtri anni Mundi, per characterem Feriarum maximè confirmantur: id quod erat demonſtrandum.

Alterum exemplum, ex anno currente.

Alterum exemplũ eſto dies Aſſcenſionis Chriſti, hujus currentis 1627. anni Chriſtiani. Ubi notandum, in annis poſt Epochã Chriſtianam, in dinumeratione dierum, ſupra datum diem adhuc unum eſſe ſuperaddendum: in annis autem ante Epocham Chriſtianam, non item. Experiamur igitur, in quam feriam ille nobis incidat. I. Annus currens unitate minuatur: & remanent 1626. II. Hi numeri per radicem Cycli Solaris 28. dividantur: & remanet reſiduum 2. III. Cum hoc reſiduo ingredior Tabulam unius

2 6
6 2 2
1 6 2 6 (58.
2 8 8
2

unius Cycli Solaris; & invenio ei correſpondentem feriam ſimilem 2. quam reſervo & annoto. IV. Quia datus annus eſt poſt Epocham Chriſtianam: ergo accipio menſem proximè præcedentem, qui eſt hic Aprilis. Is in Tabulâ, poſt Epocham Chriſtianam dat feriam 1. quam priori feriæ ſubſcribo. V. In menſe dato, incipiendo à die dato, eòque ſimul comprehenſo, dies deorſum uſq; ad calcem dinumero: & invenio 29. quibus ſuperaddo unum; & fiunt 30. VI. Hos 30. dies divido per 7. & in reſiduo remanent 2. Quod reſiduum ſubnoto ſervatis numeris. VII. Omnes tres numeros in unam ſummam colligo, quæ dat 5. IIX. Huic ſummæ adjicio radicem Epochæ, quæ eſt 6. & fit ſumma 11. IX. Ab eâ rurſus abjicio Radicem adjectam 6. & remanent 5. quæ eſt feria quæſita 3. Maji, in die Aſſcenſionis, anni Chriſtiani 1627. Hæc feria 5. oſtendit diem Jovis, quem habent omnia noſtra Diaria.

Feria reſidui	2.
Feria menſis	1.
Reſiduum	2.
Summa	5.

Eadem feria poteſt etiam haberi ex Cyclo Solis, quem dant numeri anni Periodi Julianæ, noſtro anno Mundi

1
3 6
2 1 8 2
6 3 4 0 (226.
2 8 8 8
2 2

5649. correſpondentis, qui eſt 6340. per radicem Solis 28, diviſi; in reſiduo ſcilicet 12. qui Cyclus Solis, per

Tabulam ſuperiorem, dat literam dominicalem G. quæ oſtendit feriam primam, in 29. Aprilis. Sic 3. Maji, qui eſt dies Aſſcenſionis, neceſſariò incurrrit in feriam quintam, Ergo noſtri anni Mundi, in ſingulis ſuis diebus, exhibent veras & naturales Ferias.

ARTI-

ARTIFICIUM SETHI CALVISII, MUSICI ET CHRONOLOGI LIPſenſis; quo is ſuam ipſius, & Joſephi Scaligeri, Chronologiam & Temporis Diſpoſitionem, ſub prætextu prætenſi conſenſus ejus cum Motibus cœleſtibus, in Phænomenis poſterioris ſeculi à Scriptoribus & Aſtronomis annotatis, ſtabilire, & pro verâ venditare; atq; hoc modo utriusq; errores, in prioribus ſeculis admiſſos, tanquam pallio obtegere & velare, annititur; detectum, & Eccleſiæ manifeſtatum.

SETHUS CALVISIUS, ante annos 20. Chronologiam in publicum edidit, ſub ſuo quidem nomine: ea autẽ reverâ Joſephi Scaligeri eſt; quam is, in ſuo Temporum emendationis tractatu, in ſuâ temporum compoſitione habet. Immane eſt, quantis eam laudibus dictus Calviſius, in ſuâ Iſagoge, quam ille Chronologiæ ſuæ præfixit, cumulet; eamq; unicam veram, perfectam, & omnibus numeris abſolutã temporis Diſpoſitionem eſſe, contendat. Idque ex eo potiſſimùm evincere conatur: quòd Phænomena & Eclipſes, ab Herodoto, Thucydide, Ptolemæo, & aliis, annotata, ad annos ſuos Mundi, ex tabulis Motuum cœleſtium edantur; & ad annos eos proveniant, iisdem diebus, horis, & horarũ ſcrupulis quibus illæ apud dictos Auctores, in eorum monumentis, reperiuntur. De quâ re ille, in dictâ ſuâ Iſagoge, mirè gloriatur, & magnum triumphum ducit. Ut verum fatear, hæc res non parùm in initio me commovit, & diu me ſuſpenſum tenuit. Cùm enim certò ſcirem, Calviſianam-Scaligerianam temporis Diſpoſitionem, ejusque annos Mundi, notoriè vitioſos & erroneos eſſe: intelligere tamen non potui, quâ ratione

hæc extractio verorum motuum cœleſtium, ad hos annos Mundi erroneos, fieri poſſet. Tandem tabulas illas motuum, ex quibus hæc extractio fiebat, diligentiùs conſiderans, deprehendi, eas non tabulas motuum cœleſtium generales perpetuas; (quales ſunt Prutenicæ Reinholdi, Magini, & Friſicæ Lunares ac Solares Nicolai Mulerii Leovvardienſis, & ſimiles) ſed tãtùm particulares, ab ipſo Calviſio fabrefactas, & ſuæ Iſagogæ inſertas eſſe. Sed penitiùs inſpiciẽs & evolvens eaſdem tabulas, inveni eas bipartitas, & in annos expanſos & collectos diſtributas. Expanſos comperi annos 76. (quæ una Periodus *Calyppica* eſt) non excedere: & collectos, ex meris Calyppicis aggregatos eſſe. Quo viſo, ſtatim Sol veritatis, nebulis diſcuſſis, mihi illuceſcere cœpit. Tandem deprehendi, Calviſium ſuos Scaligerianos annos Mundi, ad Motus cœleſtes, uti meritò debuiſſet, non accommodâſſe: ſed Motus cœleſtes in ordinem redegiſſe, iiſque apertè vim intuliſſe, & ad ſuos annos Mundi Scaligerianos retuliſſe: idque beneficio Periodi *Calyppicæ*, quâ ad ſuam intentionem abuſus eſt, eum feciſſe. Ita animadverti, eas Calviſii Motuum cœleſtium tabulas, non ſolùm particulares, & non generales, tantò minùs perpetuas; ſed etiam violentas & coactas, non veras & naturales Motuum cœleſtium tabulas eſſe. Ad cujus rei intelligentiam, quædam de Periodo *Calyppicâ* nobis neceſſariò ſunt exponenda: ut hoc artificium eò faciliùs detegatur.

Periodus Calyppica quid. *Periodus Calyppica*, eſt revolutio 76. annorum; quibus decurſis, Syzygiæ Luminarium, Novilunia, Plenilunia, & Eclipſes, ad eadem temporis momenta, in quibus ante 76. fuerunt, recurrunt: ab Auctore, qui tempore Alexandri Magni vixit, Calyppo, ſic dicta. Ita omnes primi anni omniũ Periodorũ Calyppicarum, quo-ad Syzygias Luminarium & Eclipſes, ſibi ipſis invicem ſunt ſimiles; eodem modo Secundæ Secundis, Tertiæ Tertiis, Quartæ Quartis, &c. & ita conſequenter ultimæ ultimis. Quod quidem in propinquio-

pinquioribus perpetuò ita ſe habet. In remotioribus autem annis, qui nimis magno intervallo invicem diſtant, motus & variatio Aequinoctiorum, inducunt quandam diſſimilitudinem. Poſſunt autem hæ Periodi Calyppicæ, à quolibet puncto temporis, & anno Mundi, inchoari. Si à primo Creationis anno ducantur, ut ſeptuageſimusſextus, quisq; annus Calyppicā auſpicetur: illę Calyppicæ, *naturales* appellantur. Plerumque autem, & frequentius, à primâ Calyppica Auctoris, initium habent. Hæc prima Calyppica Auctoris, anno Pugnam Arbelianam, quâ Alexander Magnus Darium Codomannum, Perſiæ Regem, devicit, proximè ſequenti. Ab hac primâ Calyppicâ auctoris, omnes reliquæ Calyppicæ, in præcedentia & conſequentia, dinumerantur. Et quámvis anni ſingulares propinquarum Calyppicarum, ſibi invicem, quo-ad Syzygias & Eclipſes, correſpondeant, ſibiq́ue invicem ſimiles ſint: tamen ipſæ integræ & totæ Periodi, in ipsa Temporis Diſpoſitione, quo-ad ſitum, maximè differunt. Nam ſecunda Periodus, ſemper 76. annis primâ eſt poſterior; & tertia totidem ſecundâ; & quarta tertiâ eodem modo: & ſic conſequenter.

Ita integræ Periodi, ſingulæ per ſe conſideratæ, quámvis annis ſibi invicem ſimiles; tamen diverſos ſitus, & principiis ſuis diverſos annos Mundi; ut & in unaquâque Periodo ſinguli anni, in totâ vel universâ temporum Diſpoſitione, obtinent: atq; ita integræ Periodi, ut & ſinguli anni, ratione ſitus, multùm inter ſe differunt.

Prima Calyppica Auctoris, in verâ noſtrâ Paullianâ temporum Diſpoſitione, habet annum Mundi verum 3693. *Periodi Iuliana* 4384.
Ab hac primâ Calyppicâ Auctoris, vel artificiali, reliquæ verę Calyppicæ artificiales omnes, in præcedentia & conſequentia, deducuntur.

Scaligeriano-Calviſiana erronea Prima Auctoris, vel artificialis Calyppica, ipſis, in ſuâ Tēporū Diſpoſitione, fixa eſt

Periodi Iuliana 4311. in anno eorum Mundi 3620. qui in noſtrâ Paullianâ temporum Diſpoſitione eſt annus tertius primę proximæ præcedentis Calyppicæ: & ita Scaligeriana-Calviſiana prima Auctoris Calyppica, noſtrâ verâ primâ Calyppicâ, 73. annis & anterior; illamque per integram Periodum Calyppicam, minus tribus annis, præcedit. Ab hac Scaligerianâ-Calviſianâ primâ Calyppicâ,& eorũ anno Mundi 3620. erroneo, omnes reliquæ eorum Calyppicæ, & in præcedentia, & in conſequentia, deducuntur; & eâdem labe, quâ prima, à quâ deducuntur,laborant: ita ut omnes noſtris veris 73. ſint anteriores. Sic Scaligeriana ſecunda, cum noſtrâ primâ verâ; & tertia Scaligeriana, cum noſtrâ ſecundâ verâ; & quarta Scaligeriana, cum noſtrâ tertiâ verâ: & ſic in ſequentibus & præcedentibus conſequenter. Id quod ex ſubjecto Diagrammate, & cõparatione utriusque Calyppicarum,perſpicuum erit. Hæc anticipatio Calyppicarum Scaligerianarum, diverſos annos Mundi in numeris, & annorum diverſas denominationes inducit.

Ut autem ſecretum id confictorum & coactorum Motuum cœleſtium,Calviſianarum Tabularum, Mundo evidentiùs patefiat & innoteſcat: ſciendum eſt,Calviſium, cùm videret, ad annos Mundi ſuos & Scaligeri, ex Tabulis generalibus, & Motuum cœleſtium perpetuis, (quales ſunt Prutenicæ, Magini, & Friſicæ Lunares ac Solares Mulerii) motus cœleſtes ad votum non provenire; nec eas Tabulas ſuæ & Scaligeri temporum Diſpoſitioni quadrare; ad novas Tabulas Motuum cœleſtium conficiendas, animum adjeciſſe: atque id feciſſe, hac inventione & hoc compendio uſum. Cùm Eclipſin quandam,apud Scriptorem quendam conſignatam, anno cuidam ſuo Mundi aſſignare vellet: ut idem tempus, quod habet Scriptor, aſſequeretur; propoſuit ſibi Calyppicam, ſuo anno Mundi dato,cui Eclipſin aſſignatam vellet: & in eâ omnium & ſingulorum Eclipſibus diligenter conſideratis,an annum habere poſſet,in quo Eclipſis aliqua eâ die

&

& horâ daretur, quâ die ea ab Scriptore fuiſſet conſignata: qui annus non difficilis ei fuit inventu. Eum annum habitum, ſuo anno dato junxit; & Calyppicæ præcedentes annos ſuis præcedentibus, ſequentes ſuis ſequentibus junxit: & ſecundùm hanc Calyppicam, omnes reliquas, & præcedentes, & ſequentes, diſpoſuit: atq; ita tabulam ſuam Annorum *expanſorum* concinnavit; eique pòſt, facili negotio, alteram Annorum *collectorum*, ex meris Calyppicis aggregatis, ſubjunxit: quæ ipſi reliquas Eclipſes, iis diebus & horis, quibus illæ apud Scriptores annotatæ reperiuntur, facilè ſuppeditarunt. Nã Eclipſes omnes, naturalibus ſuis intervallis, ab invicẽ diſſidẽt: quæ intervalla in Calyppicis, unâ datâ, & reliquis Calyppicis, præcedentibus & ſequẽtibus, ſecundùm primam diſpoſitis, in dictis Calyppicis ad amuſſim haberi poſſunt. Sed ſi quis pro primâ verâ, (quod propter ſimilitudinem earum facilè contingere poteſt) alienam nactus fuerit; quod Calviſio hìc accidit: omnes præcedentes & ſequẽtes Calyppicæ, quàmvis motus cœleſtes ſimiles veris, & congruentia tempora edant & exhibeant, Scriptorum temporibus ſimilima; tamen alienæ & erroneæ Calyppicæ ſunt, non veris annis Mundi adhærentes. Hic enim effectus eſt ſimilitudinis Calyppicarum inter ſe.

Atque hæc eſt vera Anatomia & Reſolutio Tabularum confictorum & coactorum Motuum cœleſtium, Calviſianarum, in Iſagogâ ſuâ propoſitarum. Ex quibus ſimul perſpicitur cauſa, ob quam eæ nihilominùs, ad erroneos Scaligerianos annos Mundi, veros motus cœleſtes, ſuis diebus & horis edant & exhibeant; quàmvis & Tabulæ, & anni Mundi vitioſi & erronei ſint; ſcil. id fieri propter ſimilitudinem ſingulorum annorũ diverſarum Calyppicarum; ut ſuprà dictum. Ut autem hæc differentia, inter veras generales perpetuas, & particulares confictorum & coactorum cœleſtiũ motuum tabulas Calviſianas, eò magis elucescat, & Sole meridiano clariùs appareat: eam unico

exemplo, in uno Phænomeno, & quidem omnium antiquiſſimo, quod unquam à Scriptoribus annotatum fuit, (nam quæ de Romuli Eclipſibus apud Ciceronem & Tarutium habentur, meræ nugæ ſunt & figmenta) demonſtrabimus.

Ptolemæus, lib. 4. Almageſti, cap. 6. fol. 95. Græci exemplaris, Eclipſin Lunæ nobis commemorat, anno 27. Nabonaſſaris, & primo anno Merdocepadi, vel Merodachi, Babylonii Regis; (notus hic etiam in Sacris) quæ apparuit, ejus anni, die 29. Thot Menſis Aegyptii, correſpondente 19. Martii anni Juliani: qui annus, cum ſuâ Eclipſi, incidit nobis, in noſtrâ Paullianâ verâ temporum Diſpoſitione, in annum Mundi 3302. cum quo concurrunt ſimul anni; 27. Nabonaſſaris, 1. Merodaci Babylonii, & Ezechiæ Regis Judæ annus 23. ad quem eodem anno ſuprà nominatus Rex Babylonius Merodach legatos miſit, ſciſcitatum de umbræ miraculo. Eſt hic annus 65. Calyppicæ, primam noſtram veram præcedentis.

2 Reg. cap. 2 verſ. 12. & 2 Chron. cap. 32. verſ. 31. Eſaiæ ca. 39. in pr.

Jam experimentum fiat, num ex tabulis Motuum cœleſtium generalibus perpetuis, ad annum hunc noſtrũ Mundi 3302. hæc Eclipſis Lunæ, cum tempore ſuo, Ptolemæi tempori congruo, haberi & extrahi poſſit. Aſſumantur Tabulæ Friſicæ Lunares & Solares perpetuæ, Nicolai Mulerii Leovvardienſis, ad annos 7980. calculatæ: quibus decurſis, (ſi Mundus tam diu erit) eædem Tabulæ recurrunt, atque ita renovantur & perpetuantur. Ad annum noſtrum Mundi ſuprà datum 3302. addatur radix Periodica, quæ ſemper eſt 691. annorum: & conficitur annus Periodi Julianæ 3993. qui eſt ejus anni Mundi 3302. annus correſpondens, in dictâ Periodo; ad quã Tabulæ illæ ordinatæ & calculatæ ſunt. Extrahantur jam Motus cœleſtes ad dictum Periodi annum 3993. noſtro anno Mundi correſpondentem; & quidem ad Menſem Martium anni biſſextilis, qualis his annus eſt.

MEDII

MEDII MOTUS COELESTES PLENI-lunii, Menſis Martii, anni Mundi 3302. & Periodi Iulianæ 3993. Anni Biſextilis.

Periodi Iulianæ	*Anni.*	*Epactæ.*	*Latitudo* ☽	*Motus* ☉ *in æquinoct.*
Annus Period.	3993.	Dies.Hor./.	Sig. Gr. /.	Sig. Gr. /.
An. proximus minor.	3910.	8. 11. 30.	9. 14. 5.	8. 23. 48.
Reſidui anni.	83.	16. 14. 41.	4. 27. 57.	11. 13. 29.
Menſis Mart. biſextilis.		0. 22. 31.	2. 1. 20.	1. 28. 12.
Summa Epactarum.		26. 0. 42.	7. 16. 0.	1. 13. 39.
Numerus proximus major. Canonis Lunæ plenæ, à quo ſumma Epactarum ſubtrahenda.		45. 7. 6.	11. 29. 22.	11. 19. 8.
		19. 6. 24.		

Medii ergo motus cœleſtes, ex his generalibus & perpetuis Motuum cœleſtium tabulis, ad noſtrum Annum Mundi, & Periodi Iulianæ, hanc primā Merodaci Eclipſin edunt & exhibent, die 19. Martii, horâ 6. min. 24. Correſpondente die 29. Menſis Aegyptii Thot: quem Diem & Ptolemæus habet, in ſui Almageſti lib. 4. cap. 6.

Ad horas & ſcrupula horaria quod attinet: Sciendum eſt, hos Motus cœleſtes eſſe tantùm motus medios, qui per proſtaphæreſes Anomaliarum Eccentrici Solis & Lunæ correcti & æquati, exhibent veros motus ad Meridianum tabularum. Pòſt, reducto meridiano tabularum, ad Meridianum Alexandrinum vel Babylonicum, provenit ſimile tempus in Horis & Scrupulis; quale Ptolemæus & Chaldæi produnt.

Sufficit autem, quòd, ad noſtrum annum Mundi, Tabulæ iſtæ Menſem & diem edunt & exhibent. Chronologus ſi diem habeat; non eſt quòd de horis ſit ſollicitus. Hæc Eclipſis, in ordine noſtrarum Calyppicarum, incidit, cum ſuo anno Mundi 3302. in annum 64. ſextæ noſtræ Calyppicæ, primam Auctoris præcedentis: idque in hac noſtrâ verâ Paullianâ Temporum Diſpoſitione.

Jam reſtat, ut experiamur & tentemus, num ex iisdem Tabulis motuum cœleſtium perpetuis, ad annum Mundi Scaligero-Calviſianũ 3229. cui illi hanc Eclipſin Lunę Merodacianam aſſcribũt, hæc Eclipſis haberi & extrahi poſſit; ut idem Ptolemæi Menſis & dies, videlicet 29. Thot, id eſt. 19. Martii proveniat. Adhibeatur idem proceſſus & methodus, quam ſuprà, in extractione motuum ad noſtrum annum Mundi adhibuimus. Anno eorum Mundi, adhibeatur Radix periodica, quæ ſemper eſt 691. & dabitur annus Periodi Julianæ, qui eorum anno Mundi 3229. in eâ Periodo, correſpondet; annus ſcilicet 3920.

Annus Mũdi	3229.
Radix periodica.	691.
Annus Periodi, ei anno Mũdi correſpondens.	3920.

MEDII MOTUS COELESTES PLENILUNII Menſis Martii, Anni Mundi Scaligeriani-Calviſiani 3229. per ejus correſpondentem annum Periodi Julianæ 3920. extracti.

Eſt annus communis non biſextilis.

Periodi Julianæ	*Anni.*	*Epacta.*	*Latitudo* ☽	*Motus* ☉ *in æquinoct.*	
		Dies. Hor. /	Sig. Gr. /	Sig. Gr. /	
Annus Period. correſp.	3920.				
An. proximus minor.	3910.	8. 11. 30.	9. 14. 5.	8. 23. 48.	
Anni reſidui.	10.	19. 17. 41.	5. 22. 28.	11. 10. 7.	
Martius communis.		29. 11. 15.	1. 0. 40.	0. 29. 6.	
Summa Epactarum.		57. 16. 26.	8. 16. 40.	2. 12. 27.	*Motus Canonis diei 74.*
Numerus proximè major Canonis Lunæ plenæ, à quo ſumma Epactarum ſubducenda.		74. 19. 5.	1. 2. 53.	11. 15. 27.	*Plenilunio adhærentis. Summa motuum.*
		17. 3. 24. *Dies Martij cum horis & ſcrupul.*			

Exhi-

Exhibent ergo Motuum cœleſtium hæ generales & perpetuæ tabulæ, ad hunc Scaligero-Calviſianum Annũ Mundi 3229. Menſe Martio, Plenilunium, & quidem Eclipticum, die 17. Martii, hor 3. min. 24. quod eſt tempus medium, per proſtaphęreſes adhuc corrigendum. 17. Martii, eo anno, correſpondet in anno Aegyptio dies 9. Thot. Primus enim Thot, fixus erat eo anno, in 29. Martii, anni Juliani. Ita prodit tempus, à tempore Ptolemaico planè diverſum.

Annũ Mundi Scaligero-Calviſianum 3229. cui Eclipſin Lunæ primam Merodacianã aſſcribunt in ſuâ Temporum Diſpoſitione erroneâ, jungunt ſextæ ſuæ Calyppicæ, primam eorum erroneam Calyppicam præcedentis, anno ejus 65.

At in noſtrâ Paullianâ verâ Temporum Diſpoſitione, is eorum annus eſt Septimæ Calyppicę noſtrę, veram noſtram primam Calyppicam præcedentis, annus 67.

Sequitur comparatio Tabularum & Temporum.

Sed hîc, pro Scaligero & Calviſio, aliquis ex eorum fautoribus & aſſeclis, contra nos inſurgere poſſet, & nobis objicere: Quámvis ad eorum annos Mundi, ex Tabulis iſtis Prutenicis, Antonii Magini, & Nicolai Mulerii, generalibus & perpetuis, tempora Ptolemaicis congruentia non exhiberi poſſint: tamen ex Calviſii Tabulis ea ad amuſſim & planè eadem, quæ apud Scriptores reperiuntur, extrahi & edi poſſe.

COMPARATIO MOTVVM COELESTIVM, Temporum & Numerorum, qui ad Annos Mundi utriusq; Temporum Diſpoſitionis, in Eclipſi Lunæ Merodacianâ primâ, ex Tabulis Prutenicis, Magini, Mulerii, Motuum cœleſtium generalibus & perpetuis, extrahuntur, & proveniunt.

Calviſio-Scaligeriana Tempora & Motus.

Nova Paulliana Temporum Diſpoſitionis Tempora & Motus.

Annus Mundi 3229. eſt Calyppicæ Septimæ, primã veram Calyppicam præcedentis, annus 67.

Hic annus Mundi Scaligero-Calviſianus, ex dictis Tabulis generalibus & perpetuis, exhibet & edit Eclipſin Lunę, Tempore medio, Menſe martio, die 17. hor. 3. anni Juliani, correſpondente, eo anno, in anno Aegyptio, 27. menſis Phamenot die.

Eo anno, primus dies Thot junctus erat 9. Martii, anni Juliani.

Tempus iſtud ad Ptolemæanos numeros, non correſpondet, nec iis congruit.

Annus Mundi 3302. eſt Calyppicæ Sextæ, primam veram Calyppicam præcedentis, annus 64.

Hic annus novæ temporũ Diſpoſitionis Paullianæ, ex dictis Tabulis perpetuis & generalibus, exhibet & edit hãc Eclipſin Lunæ primam Merodacianam, tempore medio, Menſe Martio, die 19. hor. 6. min. 24. correſpondente, eo anno, 29. die Thot, Menſis Aegyptii.

Eo anno, primus dies Thot, & principium anni Aegyptii, junctum fuit 19. Februarii, anni Juliani.

Tempus Ptolemaicis, numeris planè congruit.

Hinc oritur quæſtio: An Tabulæ motuum cœleſtium Sethi Calviſii Lipſenſis, cũ ejus anno Mundi 3229. cui anno Tabulæ iſtæ Eclipſin aſſcribunt, Tabulis Prutenicis, Magini, & Mulerii, generalibus & perpetuis, cum eorum anno Mundi 3302. cui dictę Tabulæ eam Eclipſin attribuunt, ſint præferendæ; an hæ illis? Non credo, quemquam tam impotentis eſſe animi, & affectibus ſuis adeò mancipatum & addictum; ut non Tabulas Motuum cœleſtium generales & perpetuas, Prutenicas ſc. Magini, & quæ cum iis conſentiunt, Nicolai Mulerii, tabulas Friſicas Lunares & Solares, (ex quibus priores tot ſeculis ſunt approbatæ) & annos noſtros Mũdi Paullianos, à dictis Tabulis cõfirmatos & comprobatos, Tabulis Calviſianis, & annis Mundi Scaligero-Calviſianis, qui Tabulis Prutenicis Magini & Mulerii ſupræ

praſcriptis nō congruunt, longè præferat. Cauſa, ob quam Calviſianæ cœleſtium Motuum tabulæ particulares, tempora Scriptorum temporibus congruentia, & Motus cœleſtes veris non abſimiles, exhibeāt, ſuprà expoſita eſt: id beneficio Periodorum Calyppicarum fieri: quæ cùm omnes ſecundùm quid inter ſeſe, & ratione ſingulorum annorum, ſint ſimiles; Calviſium eà ſimilitudine ad ſuum compendium abuſum, talem Periodum Calyppicam ſibi elegiſſe, quæ erroneo ſuo anno Mundi, cui Eclipſin vel phænomenon aliquod attribuerit, commoda ſibi viſa fuit; eamque anno ſuo junxiſſe; & reliquas Periodos, & tabulas ſuas, ſecundùm eam Periodum ordinâſſe & diſpoſuiſſe; atque ita Mundo illà ſimilitudine illuſiſſe. Poſſet idem in omnibus aliis & ſequentibus Eclipſibus & Phænomenis demonſtrari: ſed nimiùm excreſceret hujus artificii Calviſiani deductio.

Sufficit, id in hac unicà Eclipſi demonſtrâſſe, & Calviſianas artes detexiſſe; ex quâ de aliis Lector judicium facilè ferre poterit.

Spero jam, ex ſupràſcriptis omnibus, ſatis perſpicuum eſſe, quo artificio Sethus Calviſius Lipſenſis, ad errores ſui magiſtri, in prioribus ſeculis admiſſos, ſub ſimulato prætextu conſenſus ejus annorum Mundi cum motibus cœleſtibus, tanquam pallio obtegere atque velare anniſus ſit. Ita artificium, uti exiſtimo, abundè detectum, & Eccleſiæ manifeſtatum eſt: quod erat faciendum.

DE UNIVERSA SCALIGERIANA TEMporum Diſpoſitione in genere: & de differentiâ & diſcrepantiâ ejus à noſtrâ Paullianâ *verâ.*

Omnes Chronologi, uno ſolo excepto, Epocham Chriſtianam civilem anno Nativitatis Chriſti jungunt, nec illam ab eo ſeparant: quem annum quisque ſibi proprium imaginatur, & ab aliis diverſum; eum ſc. ad quem imaginarius & fictitius ſuus annus primus Mundi eum ducit. Ità &

Scaliger, in principio, quo ſuam Temporis Compoſitionem primò compilavit, Epocham Chriſtianam vulgarem, anno ſuo Nativitatis Chriſti, quē is anno ſuo Mundi 3947. aſſcripſit, junxit. Nos, in noſtrâ Novâ Paullianâ Temporum Diſpoſitione, eundem annum Epochæ Chriſtianæ vulgaris, anno noſtro Mundi 4023. aſſignamus, Scaligeriano-Calviſiano anno Mundi 3947. Epochæ dictæ, 76. annis anteriorem: quod, ex ſubtractione illius anni à noſtro, differentia 76. demonſtrat. Hi 76. anni, complent unam Calyppicam Periodum: quâ initium Mundi Scaligeriano-Calviſianum, noſtro initio Mundi eſt poſterior; & noſter primus annus Mundi, tot annis primum annū Mundi Scaligeriano-Calviſianum præcedit, eoq; eſt prior. Ita eorum annus Mundi primus, cū noſtro anno Mundi, per 77. jungitur, & cum eo concurrit. Ut autem ſciri & cognoſci poſſit, in quibus temporum articulis & intervallis, in Scaligerianâ temporum Diſpoſitione, hi defectus horum 76. annorum irrepſerint, & admiſſi fuerint: hîc Lectori Schema comparationis, & noſtrorum, & Scáligeriano-Calviſianorum intervallorum, oculis inſpiciendum proponimus; cujus ordo infrà explicabitur.

SCHEMA

SCHEMA COMPARATIONIS INTERVALLORUM, EPOcharum Scaligero-Calviſianarum, & Paullianarum verarum noſtrarum: Ut exinde exceſſus & defectus Scaligero-Calviſiani apparere poſſint.

EPOCHÆ COMMUNES.	*Intervalla noſtra Paulliana vera.*	*Intervalla Scaligero-Calviſiana erronea.*	*Exceſſus Scaligero-Calviſiani.*	*Defectus Scaligero-Calviſiani.*
A` Januario primi anni Mundi conditi, incluſivè, Ad Januarium, in quo *Diluvium* cœpit, excluſivè,	1655	1656	1	
A` Januario anni, in quo *Diluvium* cœpit, incluſivè, Ad Januarium anni, in quo Abraham natus eſt, excluſivè,	353	292		61
A` Januario, in quo natus eſt Abraham, incluſivè, Ad Januarium anni, primæ ab eo acceptæ promiſſionis Euangelii, excluſivè,	70	75	5	
A` Januario, primæ ab eo acceptæ promiſſionis Euangelii, incluſivè, Ad Januarium anni Exitus ex Aegypto, excluſivè,	430	idem.	—	—
A` Januario anni Exitus ex Aegypto, incluſivè, Ad Januarium, in quo prima fundamenta Templi Salomonis jacta, excluſivè,	479	480	1	—

A' Januario anni, in quo prima fundamenta Templi Salomonis jacta, incluſivè, Ad Januarium Excidii Hieroſolymitani, excluſivè,	428	427		1
A' Januario Excidii Hieroſolymitani, incluſivè, Ad Januariū Expugnationis Babylonis per Cyrum, & Reditus populi excluſivè,	71	49		22
A' Januario anni expugnatæ Babylonis per Cyrum, & reditum populi, incluſivè, Ad Januarium anni Victorię Alexandri Magni Arbelianæ de Dario, excluſivè,	205	210	5	
A' Januario anni Victoriæ Arbelianæ Alexandri Magni de Dario, incluſivè, Ad Januariū anni 1. Epochæ Chriſtianę vulgaris, excluſivè,	331	327		4
Si annus primus Epochæ Chriſtianæ, qui in utraque Temporum Diſpoſitione excluſus eſt, utrique ſummæ adjiciatur: datur in noſtris numeris dicta Epocha, in anno Mundi 4023. in Scaligero-Calviſianis numeris, 3947. *Summa annor.*	4022	3946	12	88

DECLARATIO SCHEMATIS.

Epochæ ſunt communes utrique temporum Diſpoſitioni. Epochis proxima ſunt noſtra intervalla: Scaligeriano-Calviſiana iis aſſcripta ſunt versùs ſiniſtram. Illis, versùs eandem ſiniſtram, adhæret columna Exceſſuum, & plùs ultrà Defectuum. Colliguntur Scaligero-Calviſiani Exceſſus 12. Defectus 88, quod de totidem annis exceſſivis & defectivis intelligendum. Exceſſibus, quia pauciores numero, à Defectibus ſubductis; remanent anni defectivi 76. id eſt, una Calyppica: quot etiam habet differentia ſuprà data, quâ diſtat utraque Diſpoſitio, una ab alterâ; & quot annis noſter

primus

primus annus Mundi Scaligeriano-Calviſianum primum annum Mundi præcedit. Jam Exceſſibus à numeris cujusque intervalli Scaligero-Calviſiani, cui adhærent, reſectis; & defectibus iis intervallis, quibus adhærent, adjectis: Scaligeriano-Calviſiana temporum Diſpoſitio, ad formã noſtræ temporum Diſpoſitionis redigitur; & ejus numeri noſtris numeris correſpondentes & ſimiles erunt.

Exceſſus & defectus ſingulos hìc ſpeciatim demonſtrare & explicare, non eſt hujus loci. id alibi à nobis factum; nempe ſequenti libro 2. hujus Conſilii, ubi de Scopulis Chronologicis actum; & noſtrę Temporum Reſtitutionis Tractatu, Libro 8. Quò Lectorem remittimus.

Tandem Joſephus Scaliger, animadvertens & præſentiens, ſuum annum Mundi 3947. ob quaſdam Circumſtantias, in hiſtoriâ Romanâ obſervatas, Epochæ Chriſtianæ vulgari nõ quadrare; reſervatã illi anno Chriſti Nativitate, Epocham Chriſtianam vulgarem, ad tertium uſq; annum, in poſteriora promovit: & Cõſolatui Caji Cæſaris, nepotis ex Agrippâ & Juliâ filiâ, & L. Aemilii Paulli, (qui ejus Epochæ quidem verus annus eſt) rectè aſſcripſit: tamen, ob errorem in prioribus ſeculis admiſſum, eum Mundi annum 3950. facit; errores ita erroribus cumulando. Qui hac de re dubitat; is Chronologiã Sethi Calviſii, quę ad Hypotheſes Scaligerianas concinnata eſt, & momenta Scaligeriana ad amuſſim reprę́ſentat, aſſumat, & eam evolvat. ad aperturam libri, in ejus anno 3947. Mundi deprehendet, duobus ſequentibus annis, anno ſc. ejus Mundi 3948. & 3949. notam Nullitatis, o, o, hoc modo eſſe aſſcriptam: quâ denotatur, eos annos Scaligerum & Calviſium, neq; annis ante Chriſti nativitatem, neq; poſt Epocham Chriſtianam, annumeràſſe, nec iis annumerare potuiſſe. Quid, quæſo, hæc Scaligeri & Calviſii hallucinatio aliud eſt; quàm quòd liberè, & non coacti fateantur, ſuam temporis Diſpoſitionem perturbatam, incertam, & imperfectam eſſe: cùm in eã annos pati & tolerare cogãtur, qui nullis numeris poſſunt includi.

Hæc eſt illa temporum Diſpoſitio, quæ jam integro ferè ſeculo, pro lege & temporum normâ habita & exiſtimata fuit; ex quâ anni Mundi, omnibus Diariis & Calendariis hactenus præfixi, deſumti fuerunt, & adhuc deſumuntur. O` cæcitatem Mathematicorum! O` ignorantiam Populi!

Joſephus Scaliger, in diverſarum gentium, nationum, & populorum, Temporum reſolutione feliciſſimus; ſed in compoſitione infeliciſſimus. Interim non negamus, eum eſſe virum in omni literarum genere & ſcientiâ exercitatiſſimum, & excellentiſſimum; quin etiam auctorem noſtræ Temporum Cynoſuræ, Periodi ſcilicet Julianæ, omni honore & laude digniſſimum. At verò,

Non omnia poſſumus omnes.

CONSI-

CONSILII CHRONOLOGICI

LIBER SECVNDVS.

DE SCOPVLIS CHRONOLOGICIS.

D*EFECTIBUS Generalibus Chronologorum*, Libro præcedente primo expoſitis, atq; demonſtratis; reſtat,ut & tractatum, de *Defectibus Specialibus*, ex generalibus illis enatis,inſtituamus: quem, hoc lib.2. ſub metaphorâ *Scopulorum Chronologicorum*, hîc exhibemus atq; proponimus. Nauta, ſi navem ad ſcopulum quendam allidat, & naufragium patiatur,in arte ſuâ errorem committit. Quod idem hîc, de Nautis noſtris Chronologicis,intellectũ volumus. Sed, antequàm ad ipſam Scopulorum Chronologicorum explicationem accedamus; pauca quædam de annis Hebraicis & Julianis, ob primorum Scopulorum evidentiorem intellectum,hîc ſunt præmittenda.

DE ANNIS HEBRAICIS PRIMITIVIS,& Iulianis,dilucida explicatio,& inter ſeſe comparatio.

Magnum rei temporariæ momentum & lucem confert, exacta annorum Hebraicorum & Julianorum cognitio: quorum illi antiquiſſimi; hi cum illis, omnium perfectiſſimi. Uterq; Annus,in his convenitũ,quòd ad Solis curſum ſint ordinati, & quàm-proximè ad annum cœleſtem acce-

dãt. Annus Julianus cõmunis, uti & Hebraicus primitivus, (quod ex deſcriptione anni Diluvii demonſtrari poteſt) conſtat 365. diebus. Idem Julianus, quarto quôq; anno, propter biſſextilem diem, uno die plenior eſt. Eam intercalationem, primi homines peragebant & complebant, ſingulis centum & viginti annis, per Menſem abundantem, eo anno ultimo Menſi ſubjunctum, qui conſtabat 13. Lu-

Gen. cap. 6. verſ. 3. nationibus. Cujus rei veſtigium extat in termino 120. annorum, primo Mundo ad pœnitentiam à *Deo* præfixo. nam quadrantes dierum, ſupra annum communem in curſu Solis reſidui, tot annis, id eſt, 120. integrum menſem complent.

Capitibus autem, vel principiis, hi duo anni longè diſſident, & maximè variant. Scitum hoc eſt, & in confeſſo;

Caput & initium anni Hebraici. Primos homines annum à Novilunio, Aequinoctio autumnali proximo, ſemper auſpicatos fuiſſe: quod primis Mundi annis ſemper Novilunium Menſis Octobris fuit, eique conveniebat; quòd primo creationis anno, in 24. die Octobris, deprehenditur Aequinoctium autumnale, ex Hypotheſi, junctum 21. ejus menſis, fixum primo die creationis. Anno iſto, in quo Diluvium cœpit, novilunium primi Menſis adhæſit 26. diei Septembris. Sequentibus ſeculis, ob motum præceſſionis Aequinoctiorum, exinde ſemper id novilunium in anteriora fuit promotum: ut anni Hebraici primitivi initium, in principium Septembris (qui poſtea Septimus Menſis, & Menſis Ethanim, dictus fuit) inciderit, & Septembri Juliano correſponderit.

Caput & initium anni Juliani. Caput & initium anni Juliani, circa Solſtitium hybernum, in principio Quinti Menſis anni Hebraici, (qui idem & Januarius Anni Juliani eſt; ejusdem cum anno Hebraico denominationis in annorũ Mundi numeris) fixum eſt.

Ex quo intelligimus, caput & initium anni Hebraici, quatuor menſibus caput anni Juliani præcedere; & cum Septembri, & initio ejus Menſis, poſterioribus ſeculis concurrere: Annum autem quemcumque Hebraicum, cum

Auguſto

Auguſto menſe, ejusque menſis ultimo die, finiri. Caput vero anni Juliani, circa Solſtitium hybernum, in principio Januarii, vel quinti menſis Hebraici, ſemper fixum permanere; & cum ultimo Decembri, vel ultimo die quarti Menſis, finiri.

Ex quibus ſequentes Regulæ, inventioni utriusque anni inſervientes, enatæ ſunt. *Regulæ inventionis anni Hebraici & Juliani.*

1. Dato anno Hebraico primitivo, (ut eſt, exẽpli gratiâ, annus Exitûs, antiquus, non novus, ab Aequinoctio verno incipiens, 2509.) datur ſimul annus Julianus, ei correſpondens iisdem numeris, nempe 2509. hac tamen adjectâ conditione: quòd Julianus annus initium ſuum habeat cum quinto menſe Hebraico, id eſt, ſuo Januario; & in ultimis quatuor menſibus, nempe Septembri, Octobri, Novembri, & Decembri, anni Hebraici ſequentis, ut 2510. numeros accipiat.

2. Dato anno Juliano, (ut anno Mundi 2509.) datur ſimul annus Hebraicus antiquus vel primitivus, ei correſpondens iisdem numeris 2509. hac tamen adjectâ conditione: ut cum Septembri anni præcedentis Juliani, ejus anni Hebraici initium dinumeretur; ejusque anni Juliani in iſtis quatuor primis Menſibus, numeris inſigniatur. Ut in noſtro exemplo, anni Juliani 2509. anni 2508.

I. SCOPVLVS CHRONOLOGICUS, DILUVII.

IN hunc Scopulum omnes illi impingunt, qui ſcribũt & propugnant,annos 1656.à creato Mundo, ante initium Diluvii cõpletos elapſos eſſe; & Noham annos integros 600.ante introitum in arcam,& ante initium Diluvii,compleviſſe;& Diluviũ cœpiſſe anno Mundi 1657.ętatis Nohę anno 601. levi moti argumento: quòd cap.7.v.11.Geneſ. anno ſexcẽteſimo ætatis Nohæ,mentio Menſis & diei adjectaſit; (quo in loco initium Diluvii deſcribitur) qui menſis & dies, non de nominato ſexcenteſimo anno ætatis Nohæ, tanquam currente, poſſit intelligi; ſed de ſequente ſexcenteſimo-primo, tanquam de partibus ejus anni. Verba textus hæc ſunt. *Anno ſexcenteſimo vitæ Nohæ, Menſe ſecundo decimo-ſeptimo die hujus Menſis, hoc-ipſo die, diffiderunt ſe omnes fontes Abyſſi magnæ, & catarractæ cœli ſe apparuerũt.* Ita vertit Tremellius & Junius. Gallicæ verſionis, quæ omnium verſionum eſt accuratiſſima, Gallico textu in Latinam linguam translato, verba ita ſonant: *In anno ſexcenteſimo vitæ Nohæ, ſecundo Menſe, dicti menſis die, 17.&c.* Quis ſanæ mentis homo, annum ætatis Nohæ, ſexcenteſimũ annum completum hic invenit? Quis contrà, annum ætatis Nohæ currentem his verbis deſcribi, non agnoſcit? Sed fortè à verſionibus ad fontes Hebraicos provocabunt! At nemo, quod ſciam, hoc unquam prætendit, vel molitus eſt. Quis enim unquam dubitavit, Tremellii & Junii Bibliorum Latinam verſionem, fontes Hebraicos ad vivum repræſentare? Sed quæſtionem hãc, an in deſcriptione initii Diluvii

Diluvii, in dicto cap.7.verſ.11. Geneſ. annus completus ætatis Nohæ, vel ejus currens, deſignetur, ipſe Spiritus Sanctus per Moyſen decidit, cap.ſeq.8.verſ.13. his verbis: *Anno ſexcenteſimo*-primo *ætatis Nohæ, primo die primi Menſis, exſiccatæ ſunt aquæ ſuper terram.* Si in principio ſexcenteſimi-primi anni ætatis Nohæ terra exſiccata fuit: quomodo eodem ſexcenteſimo-primo ejus ætatis anno, poſt completos 600. annos ejusdem ætatis, ſecundi menſis die 17. potuit cœpiſſe Diluvium? cùm in dicto cap.8.verſ.13. ſcribatur, quòd ejusdem ſexcenteſimi-primi anni menſe primo, die primo, exſiccatæ ſint aquæ. Quàm ingens igitur hîc Scopulus latitat! O' infelix, malè-providus & incautus Navarcha, qui in hunc Scopulum incurrit! Veritas hæc eſt. Anno Hebraico antiquo vel primitivo, Mundi ſcilicet 1656. Sexcenteſimo anno ætatis Nohæ *currente*, & ante unum menſem, & 16. dies, cœpto; eo anno, Menſe ſecundo, die 17. pluviæ Diluvii cœperunt: qui fuit idem annus Julianus, poſt creatum Mundum, 1655. currens. Ejus anni 17. die Novembris, eo-ipſo die rupti ſunt fontes abyſſi magnæ, &c. Cùm is annus, ſc. Julianus, cœpiſſet quinto menſe Hebraico, præcedentis anni Hebraici 1655. ætatis Nohæ 599. & deſiiſſet in ultimo die quarti Menſis, ſequentis anni Hebraici 1656. inſequente principio ſequentis anni Juliani, iisdem numeris, nempe 1656. inſigniti: in quem annum Julianum, principium Diluvii non; ſed benè major pars ejus illuvionis, incidit.

Ad hûc ſcopulum naufragium fecit *Sethus Calviſius Lipſenſis*, Iſagoge ſuâ Chronologicâ, cap.33. & (ſi ipſi credimus) ejus etiam Magiſter, *Joſephus Scaliger*, cujus Hypotheſes in ſuâ Chronologiâ per omnia ſectatus eſt: ut in præfatione ſuâ ipſe ſcribit. Uno *Iohanne Temporario, Bleſenſi Gallo*, excepto; qui annum Diluvii Hebraicum rectè deſignavit, annum verò ejus correſpondentem Julianum non definivit: alii Chronologi ad unum omnes, Annum Diluvii ſim-

pliciter Anno Mundi 1656. attribuunt. Qui ſi eum annum de anno Hebraico intelligunt; benè ſe res habet: interim tamen initium certum Diluvii non deſignant. Atq; ita primus Scopulus Diluvii detectus eſt.

II. SCOPVLVS,
ARPHAXAT.

AD ſecundum Scopulum, Arphaxat, nave ſuâ allidunt, qui pertinaciter defendere annituntur, Arphaxatem, filium *Sem*, ſecundo anno poſt Diluvium currente natum eſſe: idque ex verbis cap. 11. verſ. 10. Geneſ. concludunt. Verba textûs hæc ſunt: *Sem natus erat centum annos, & genuit Arphaxat, biennio poſt Diluvium.* Ex his inferunt & concludunt, Arphaxatem, completo uno, & currente ſecundo anno, eſſe natum. Quis verò non intelligit, quando Scriptura, vel ſacra, vel alia, perhibet aliquid poſt biennium accidiſſe, vel factum; id poſt completum biennium, id eſt, tertio anno, eveniſſe vel factum eſſe? Id quod particula vel præpoſitio *Poſt* clarè deſignat. dicitur enim, *Biennio poſt diluvium.*

In hunc Scopulum, quàmvis non adeò magnum, cum ſuo Magiſtro *Ioſepho Scaligero*, incidit idem *Sethus Calviſius Lipſenſis:* dum in ſuâ Chronologiâ, in anno Mundi ſuo 1658. ita ſcribit; Arphaxat anno 602. ætatis Nohæ natum eſſe. ubi tamen ſe-ipſum contradictione implicat. In Iſagoge namque ſuâ, cap. 33. ſcripſit, Diluvium in annum Mundi 1657. & 601. ætatis Nohæ, incidiſſe. Hic aſſeverat, Arphaxatem anno 1658. & 602. ætatis Nohæ, natum eſſe; id eſt, primo anno poſt Diluvium. Ubi jam biennium illud, quod S. Scriptura habet? Certè hic Nauta non ſibi conſtat.

Reliqui

Reliqui Chronologi ſupradicti ferè omnes, nativitatem Arphaxati, Anno Mundi 1658, & ætatis Nohæ 602, aſcribunt: non tamen exprimunt, an eum annum currentem, an completum intelligant. Quocunque autem modo eum intelligant, unius anni jacturam faciunt. Nam, ſi Arphaxat biennio poſt Diluvium natus eſt; ut Scriptura dicit: natus is eſt anno Mundi Hebraico currente 1659. ætatis Nohæ 603, etiam currente. quæ eſt ipſa veritas, & vera & ſolida reſolutio ac detectio hujus ſecundi Scopuli, Arphaxat dicti. Sequitur tertius Scopulus.

III. SCOPVLVS, ABRAHAM.

HIc ſcopulus in Oceano Chronologico eſt omnium maximus, & ſupra omnes alios tantò magis formidabilis. In hunc ſcopulum impingunt omnes ii, qui ſcribunt, & Mundo perſuadere annituntur, Abrahamum anno ætatis patris Tharæ 70. natum eſſe. Quam ſententiam *Sethus Calviſius Lipſenſis*, in ſuâ Iſagoge Chronologicâ, octo argumentis & rationibus ſuffulcire nititur.

1. Adducitq; cap. 11. Geneſ. v. 27. ubi Moyſes ita ſcribit: *Thara erat annorum ſeptuaginta; & genuit Abram, Nachor, & Haran.*

2. Urget, quòd Abram primo loco ſcriptus ſit.

3. Contendit, non Euangeliſtæ alicui novi Teſtamenti, vel alii Scriptori librorum ſacrorum, curam deſcribendi generationes Patrum demandatam eſſe; ſed ſoli Moyſi: cujus liber 1. Geneſis, vera & ſola ſit ſedes generationum Patrum; non Acta Apoſtolorum.

4. Non videri veriſimile, *Deum* ortum vel nativitatem Abrahami, uſq; ad tempora Apoſtolorum, occultare & in obſcuro eſſe voluiſſe.

5. Stephanum Protomartyrem eo tẽpore, quo lapidibus obruendus, & morti proximus erat, aliud egiſſe, quàm ut Abrahami tempora computaret.

6. Eundem Stephanum ad captum vulgi ſeſe accommodâſſe. quod etiã Apoſtolus Paulus poſtea fecerit; cùm in articulo de Reſurrectione, contra Sadducæos, ad Phariſæos provocaret.

7. Si Abraham anno patris ſui Tharæ 130. natus eſſet; nunquam

nunquam miraculi loco duxiſſet, quòd ipſi centenario filius naſciturus eſſet.

8. Dicit idem Calviſius, ordinem Sabbatorum turbari. Hæc ſunt Navarchæ iſtius argumenta, quibus ſuum & ſociorum magnetem tueri & defendere ſatagit: quæ ſingula nobis examinanda, & diligenter perpendenda ſunt.

Ad 1. Textum ſcil. verſ. 27. cap. 11. Geneſ. quod attinet; ſciendum eſt, & diligenter conſiderandum: Cùm Spiritus Sanctus ortum Majorum Abrahami, in eodem capite, in præcedentibus verſiculis, his verbis deſcripſiſſet; *Arphaxat autem, cùm vixiſſet triginta-quinque annos, genuit Schalah. & Arphaxat poſtquàm genuiſſet Schalah, vixit 403. annos; & genuit filios & filias, &c. Et Schalah vixit 30. annos, & genuit Heber: & poſtquàm progenuiſſet Heber, vixit 403. annos; & genuit filios & filias, &c.* his iisdem verbis, omnes ſequentium deſcendentium ortus, majorum ſc. Abrahami, deſcribi. In ſolâ Abrahami nativitatis deſcriptione, hâc formulam fuiſſe immutatam. Si enim ſcriptum eſſet, ut in prioribus generationibus factum; *Thara vixit annos ſeptuaginta, & genuit Abram: & poſtquam genuiſſet Abram, vixit 135. annos; & progenuit filios & filias:* res expedita eſſet. Sed cùm formula prima mutetur; & tres filii confuſè, ſine diſtinctione temporis, uni anno aſſcribantur, & in unum annum, ſc. 70. Tharæ, conjiciantur: quis inficiabitur, verſum illum 27. cap. 11. Geneſ. eſſe obſcurum? Num illi tres, Abram, Nachor, & Haran, uno anno Tharæ ſint nati; expreſsè ſanè non dicitur. Ergo, verſiculus iſte obſcurus cùm ſit; alii textus S. Scripturæ conquirendi ſunt, quibus hæc obſcuritas illuſtretur & declaretur. Illi autē ſunt, primùm verſ. 4. cap. 7. Actorum: ubi habetur, *Abrahamum ex Haran, vel ex Charris Meſopotamiæ, versùs Canaan migrâſſe, cùm pater ejus Thara in Haran eſſet mortuus; & veniſſe in Canaan.* Deinde, cap. 12. Geneſ. verſ. 4. expreſsè ſcribitur, *Abrahamum, cùm ex Haran versùs Canaan proficiſceretur, fuiſſe annorum 75.* Geneſis autem cap. 11. verſ. 32. legitur, *Tharam mortuum*

fuiſſe anno ætatis ſuæ 205. Subtrahatur jam ætas Abrahami, ſcil. 75. annorum, cùm pater moreretur, & ille ex Haran diſcederet, à totâ vitâ patris Tharæ, 205. annorum: emergit annus 130. ætatis Tharæ, quo Abraham natus eſt. Per hos conquiſitos locos Sacræ Scripturæ, allegatus verſiculus 27. cap. 11. Geneſ. ita declaratur, ut appareat eum hunc intellectum habere; Tharam fuiſſe annorum 70. cùm primò cœpiſſet procreare liberos; inter quos Abraham erat ex poſterioribus. Atq; hæc ad 1. argumentum.

2. Noſter nauta *Calviſius* inſiſtit Ordini & urget; Abra-
2. hamum tamen primo loco eſſe ſcriptum: ergo etiam primogenitum. O' ſtramineum argumentum! Parata eſt reſponſio: ab ordine Scripturæ Sacræ, ad primo genituram carnis, non valere, neq; procedere argumentum. Sacræ Scripturæ hoc uſitatum, Semen benedictionis, ex quo Meſſias naſciturus erat, ſemper primo loco dignari; quamvis ſecundùm carnem ultimo, vel ſecundo loco, natum ſit. Exempla poſſunt adduci plurima. Filii Nohæ, cap. 6. verſ. 10. & cap. 7. verſ. 13. & cap. 10. in pr. hoc ordine recenſentur: *Filii Nohæ ſunt, Sem, Cham, & Iaphet.* Hîc ultimo loco nominatus, primogenitus Nohæ ſcribitur expreſſis verbis, Geneſ. cap. 10. verſ. 21. Et 1. Chronicor. cap. 1. verſ. 28. Iſaac Iſmaëli præponitur. Et in Epiſtolâ Pauli ad Hebræos, cap. 11. verſ. 20. Jacob Eſavo. Et Levit. cap. 34. verſ. 20. & præcedente 19. Juda reliquis fratribus præponitur. Et Geneſ. 48. cap. verſ. 20. Ephraim Manaſſi prænumeratur. Quare & non Abraham, pater omniũ credentium, ſuis fratribus præponeretur? Hæc ad ſecundum argumentum reſpondere viſum.

3. & 4. argumenta ejusdem ſunt farinæ. Qui ſunt illi
3. 4. noſtri nautæ, qui Spiritui Sancto præſcribere non verentur, & per quem ætates Patrum nobis exhibere & præſcribere; & quamdiu unius vel alterius Patriarcharum generationem occultare, & nos celare debeat? Quod ſi id ejus divinæ voluntati ita placuerit: quis ipſius factum ſyndicabit?

bit? Quis vias ejus unquam perſcrutatus eſt? Rom. cap. 11.verſ.33. Quare Spiritui Sancto liberum non eſſet, quo ſeculo, & quo libro, & per quem Scriptorem, vellet Patrum generationes Eccleſiæ ſuç proponere & manifeſtare? O' infelices, quò vos præcipitatis cum iſtis veſtris argumentis?

In 5. & 6. Stylum ſuum contra primum veritatis teſtem protomartyrem Stephanum dirigit horum argumentorum præcipuus auctor & inventor *Sethus Calviſius*. Cujus Diſcipulis & aſſeclis, ſi is non ampliùs eſt in vivis, hanc reſponſionem domum remitto: aliis ejusdem naufragii ſociis nihil imputo. Certè Calviſius in virum ſanctum injurius eſt & iniquus, quòd ejus teſtimonium rejiciat; quaſi in luctâ cum morte, in quâ tum erat, ſibi non conſtiterit, & vacillârit; & quòd ad auram plebis ſe accommodârit: & ut huic ſuo argumento colorem obducat, alleget orationem Pauli Apoſtoli, in quâ hic cõtra Sadducæos Phariſæis ſeſe accommodaverit; ut contra Sadducæos eos concitaret. Actor. cap. 23. Si contra Stephanum, tanquã hominem, inſurgeret hic Nauta: parum eſſet. Aſt, cùm Lucas ſcribat, Actor. 6. verſ. 10. & cap. 7. v. 55. Spiritum Sanctum per Stephanum locutũ eſſe: vereor ut blaſphemus ſit in Spiritum Sanctum; & (quod ſummè abominandum) antequàm errorem ſuum agnoſcat, potiùs antinomiam in Sacris literis admittere non vereatur; & Spiritum Sanctum, cujus inſtinctu Moyſes Geneſin cõſcripſit, Spiritui Sancto, qui per os Stephani locutus eſt, opponat. Quid autẽ ſacrilegium eſſet; ſi hoc nõ eſt? cùm commodâ interpretatione uterq; textus conciliari poſſit: ut ſuprà oſtenſum eſt aliquo modo; & infrà pleniùs demonſtrabitur. Hæc ad 5. & 6. argumenta nobis dicenda fuerunt. 5. 6.

7. Allegat diffidentiam Abrahami, de ſuis corporis viribus, dicens: Si Abraham anno 130. ſui patris Tharæ natus fuiſſet; non pro miraculo duxiſſet procreationem filii, anno ſuæ ætatis centeſimo. Reſponſio eſt in promptu: 7.

Abrahamum non tàm de ſui corporis viribus, quàm de effœtæ ſuæ conjugis Saræ nonagenariæ, cujus corpus jam emortuum erat, viribus dubitaſſe. Cùm Abraham, poſt mortem Saræ, & natum Iſaacum, non dubitaverit, in ſecundis nuptiis, Kethuram juvenculam ſibi matrimonio jungere. Atque ita ſeptimo etiam argumento eſt ſatisfactum, illudq́; everſum.

8. 8. & ultimò, prætendunt noſtri Nautæ: ſi veritati accedant, & Abrahamum anno 130. patris natum credāt, Sabbatorū ordinem confuſum iri. O vanum timorem! Quid fictitia eorum Sabbata, tantúne illis ſunt momenti, ut ob ea conſenſus S. Scripturæ ſit turbandus? Hic Lectorem, ad Tractatûs noſtræ Temporū Reſtitutionis Libri 3. caput 6. & ad hujus Conſilii libri 1. ſingulare 9. & 10. noſtræ novæ Temporum Diſpoſitionis, remittimus: ubi evidentiſſimè demonſtratum, in noſtrâ novâ Temporum Diſpoſitione Paullianâ, Sabbata & Jubilæa naturalia, inde à condito Mundo deducta, in Sabbata & Jubilæa Moſaica legalia ſimul coincidere, eaq́; quaſi digito commonſtrare. Hoccíne eſt Sabbata turbare, an confirmare?

Hæ igitur ſunt noſtræ reſponſiones, ad Achillea illa Calviſiana, pro anno nativitatis Abrahami, 70. ætatis Tharæ patris, argumenta. Socii naufragii Calviſiani, & qui in eundem hunc Scopulum impingunt cum ipſo, principaliores ſunt: ejus Magiſter *Ioſephus Scaliger*, vir aliás, ob multarum literarum ſcientiam, omni honore digniſſimus; qui, in ſuo Emendationis temporum Tractatu, in ipsâ Temporum Compoſitione, ortum Abrahami ad annum ætatis Tharæ 70. refert. Item Auctor Temporum Diſpoſitionis, quisquis ille fuit, quæ *Tabulis Reinholdi Prutenicis* ſubjuncta eſt: *Iohannes Funccius*, Boruſſus; *David Chytræus*, Roſtochienſis Theologus; *Abrahamus Bucholzerus*, Sileſius; *David Origanus*, Francofordi ad Oderam; & complures alii, qui Scaligeri magnetem ſecuti ſunt.

Veritas hæc eſt, Tharam Patriarchā, anno ſeptuageſimo ætatis

ætatis, primò cœpiſſe liberos procreare. Gen. cap. 11. v. 27. ex quibus Abraham fuit ultimus, anno ætatis dicti ſui patris Tharæ 130. prognatus: qui tempore obitûs patris Tharæ egit annum ætatis 75. Actor. cap. 7. verſ. 4. & Geneſ. cap. 12. verſ. 4. & Geneſ. cap. 11. verſ. 32. Quòd autem is inter filios Tharæ primo loco à Moyſe commemoratur; id non ratione primogenituræ carnis factum: ſed hanc prærogativam obtinuit ratione electionis; quòd *Deus* cum ex reliquis fratribus elegerit, dignumq; judicaverit, ex quo Chriſtus ſecundùm carnem naſceretur. Quâ de re ſuprà, in refutatione ſecundi argumenti, ſimilia exempla ex Sacris adducta ſunt.

Poſſet etiam & aliud argumentum, pro minoritate ætatis Abrahami inter fratres, ex ætate Saræ, in medium proferri. Si namq; Abraham primogenitus, & Haran ejus frater, Saræ pater, ad minimum tribus annis eo minor fuerit: quomodo is filiam procreare potuit, Abrahamo, majori fratri, decem ſolummodò annis juniorem marito; quo ætatis Haranis patris anno ea concepta eſſe potuit? Hanc, de nativitate Abrahami, anno patris Tharæ ætatis 130. ſententiam amplexi ſunt, & hunc ſcopulum prudenter evitarunt, infrà-ſcripti Eccleſiæ Doctores & Chronologi. *D. Martinus Lutherus:* cujus integram Temporis Diſpoſitionem quidem non vidimus: in ſuâ tamen expoſitione in Geneſin, non diffitetur, Abrahamum inter fratres minimum natu eſſe. Ex quo colligi poteſt, illum ejus ortum in annum 130. patris Tharæ, cum S. Auguſtino, conferre. *Ioannes Calvinus*, Theologus Genevenſis: *Theodorus Beza* Vezelius: *Emanuel Tremellius* & *Franciſcus Iunius: Matthæus Beroaldus*, & *Ioannes Temporarius* Blæſenſis, Galli: omnes *Eccleſiæ Gallicæ*, *Anglicæ*, *Scoticæ*, & (ni fallor) *Belgicæ: Hugo Bruchtonius* Anglus: *Conradus Pellicanus*, Theologus Tigurinus: *D. David Pareus* Palatinus: & *Eccleſia Palatinatûs.* Atq; ita tertius etiam hic Scopulus, omnium Scopulorum immaniſſimus, detectus & explicatus eſt.

IV. SCOPVLVS, PROMISSIONIS.

HIc Scopulus eſt duplex. Ad primum, allidunt omnes illi, qui ſuis Scriptis contendunt & defendunt, *Deum* Abrahamo in Charan comparuiſſe, anno ſuæ ætatis 75. & ibidem ei primam Euangelii promiſſionem, de benedicto ſemine, dediſſe. Et ab hoc ejus 75. ætatis anno, illi annos 430. inchoãt, inter primam promiſſionem Euangelii Abrahamo datam, & Legis promulgationẽ in Sinai factam; quorum Paulus Apoſtolus commeminit in Epiſtolâ ad Galatas, capite 3. verſ. 17. Pro intentione ſuâ fundandâ, adducunt primos verſus capitis 12. Geneſ. ubi in principio capitis habetur; quòd *Deus apparuerit Abrahamo, & ei mandârit, ut exiret ex terrâ ſuâ, ex cognatione ſuâ, & ex domo patris ſui, &c. & ſimul ei dederit primam Euangelii promiſſionem.* Et omnia iſta illi conjungunt, quæ à principio capitis uſq; ad verſiculum 4. primo ejus membro ſimul incluſo, continentur: cumque in ſecundo membro quarti verſ. primùm fiat mentio loci Charanis, & temporis, id eſt, 75. anni ætatis Abrahami: exinde inferunt, hanc unicam apparitionem, & quidem Charane, anno ætatis Abrahami 75. factam eſſe.

Hæc eſt Nautarum illorũ ratiocinatio. Reſponſio contrà hæc eſt: eos in ſuâ iſtâ ratiocinatione, cõmittere fallaciam compoſitionis & diviſionis. Conjungunt & connectunt ea, quæ ab invicem disjungenda & longè diſtinguenda erant. Verba textûs, in principio 12. cap. Geneſ. hæc ſunt: *Dixerat enim Iehova Abramo; abi è terrâ tuâ, & à cognatione tuâ, atque à familiâ patris tui, in eam terram,* *quam*

quam oſtendam tibi. Et efficiam te patrem gentis magnæ; ac benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum: adeoq; jam eſto benedictioni. Nam benedicam iis, qui tibi benedicent; & qui tibi maledixerit, eum execrabor: & benedictæ in te erunt omnes familiæ terræ. Deinde profectus eſt Abram, ſicut edixerat ei Iehova: & Lot cum eo profectus eſt. Erat autem Abram natus ſeptuaginta-quinq; annos, cùm proficiſceretur Charane. Hactenus verba textûs quatuor primorum verſiculorum, ſecundùm diſtributionem textûs antiquiorem. Notandum autem, Tremellium & Junium, qui etiam cum nautis noſtris in hunc eundem Promiſſionis ſcopulum impingũt; ut primam Euangelii promiſſionem, Abrahamo factam, anno ejus ætatis 75. attribuerent, illiq; loco Charani aſſcriberẽt in quarto verſiculo, (quem ipſi primum faciunt) in ſuâ verſione latinâ, inter verba *Abram* & *ſicuti*, interpoſuiſſe vocem *Charane*, contra fidem Hebraici textûs. quod & ipſi non diffitentur: cùm verbum illud, *Charane*, minuſculis characteribus exprimant; neque audeant characteribus textûs id exprimere, cùm in Hebraico textu non reperiatur. Itaq; ſine textûs Hebraici depravatione, nunquam ex Hebraicis fontibus hanc ſuã ſententiam obtinebunt. Quòd-ſi connexionẽ hiſtoriç attentiùs cõſideremus; inde à verſ. 31. capitis 11. Geneſeos, uſq; ad ſecundum membrum quarti verſiculi ſequẽtis 12. capitis, deſcribi animadvertemus primam profectionem, ex Ure Chaldæorum in Charan; interpoſitâ ſaltem mentione obitûs Tharæ, tanquam in parentheſi: atq; in principio cap. 12. enarrari cauſam hujus primæ profectionis ex Ure Chaldæorũ; nempe Mandatũ *Dei*, quod ante eam profectionem accepit in Ure Chaldçorum, priusquàm veniret in Charan. uti expreſsè habetur in Actis Apoſtolorũ, cap. 7. verſ. 2. *Deus ille gloriæ viſus eſt patri noſtro Abrahamo, cùm eſſet in Meſopotamiâ, priusquàm habitâſſet Charris, &c.* Certè hoc mandatum non accepit demùm Charris, anno ætatis 75. cum jam primam profectionem perfeciſſet. Ita verba illa prima quarti verſ. cap. 12. Geneſis.

Deinde profectus eſt Abram,ſicut edixerat ei Iehova; & Lot cum eo profectus eſt: hæc (dico) verba de primâ profectione Abrahami, ex Ure Chaldæorum, intelligenda ſunt. Idque maximè apparet ex cap. 15. verſ. 7. Geneſ. ex his verbis: *Ego ſum Iehova, qui eduxi te ex Ure Chaldæorum, &c.* non dicit; qui te eduxi ex Charane.

Deinde, nemo negabit, apparitionem Dei eo in loco Abrahamo eſſe factum, ex quo jubetur exire: qui locus deſcribitur in primo verſ. cap. 12. Geneſ. quòd *Deus* juſſerit eum exire ex terrâ ſuâ, ex cognatione ſuâ, ex familiâ patris ſui, &c. Quæ deſcriptio loci, non convenit alteri loco, quàm Uri Chaldæorum: certè non Charani, ubi ipſe cum patre, & familiâ ſuâ totâ, peregrinus erat. Pòſt, in ejusdem quarti verſ. 12. cap. ſecundo membro ſequitur: *Erat autem Abraham ſeptuaginta-quinque annos natus, cùm proficiſceretur Charane.* Hic deſcribitur ſecunda profectio, ex Charane: quam diverſam profectionem à priore eſſe, particula adverſativa *Autem* deſignat. Quòd alii hîc duplicem profectionem in Canaan fingunt & comminiſcuntur: cùm id nullo textu demonſtrari poſſit; figmentum manet, & ſeipſum refellit ita, ut nullâ refutatione dignum ſit.

Poteſt & aliâ via ex ſacris textibus demonſtrari, Abrahamum non Charane, anno ætatis 75. ſed Ure Chaldæorum, anno ætatis 70. primam Euangelii promiſſionem accepiſſe; hac ratione. Ad Galatas, cap. 3. verſ. 17. definitur à Spiritu Sancto, per Apoſtolum, intervallum temporis, quod inter primam Euangelii promiſſionem Abrahamo datam, & inter promulgationem Legis, interceſſit, annorum 430. eſſe. Quod aliâ ratione haberi non poteſt; quàm ſi prima promiſſio illa, in annum ætatis Abrahami 70. & Ure Chaldæorum factam, conferatur. Nemo negabit, Servitutem ſeminis Abrahami 400. annorum, Geneſ. cap. 15. prædictam, in exortu Iſaaci, anno centeſimo Abrahami, habuiſſe initium; & in anno exitûs ex Aegypto, quo Lex promulgata fuit, finiiſſe. Jam deſunt adhuc, ad complendos 430.

anni

anni 30. qui ita habentur; ſi in annis Abrahami, ab anno centeſimo, per 30. annos retrogrediamur, 30. autem à 100. demptis, reſtat annus ætatis Abrahami 70. Sin tantùm uſque ad annum 75. retrocedatur: diſtantia tota tantùm erit 425. annorum; contra textum Spiritus Sancti, Gal. 3.

Tandem, ut hunc primum Scopulum abſolvamus; conſtat ex 12. cap. Exodi, verſ. 40. peregrinationem & incolatum ipſius Abrahami (ſecundùm ſaniorem intellectum Eccleſiæ) & Poſterorum ejus, definiri ſpatio annorũ 430. in terrâ alienâ, & non-ſuâ. Quod-ſi hi anni 430. à peregrinatione & profectione ex Charan, & ab anno ætatis Abrahami 75. tantùm dinumerentur: in ætate Abrahami, uſque ad exortum Iſaaci, reperiuntur tantùm 25. anni; qui 400. annis ſervitutis Abrahami additi, conficient ſummam tantùm 425. annorum. Ita in utroque computo, ſive de præcedentiâ Euangelicæ promiſſionis, quâ ea Legem præcedat; ſive de annis peregrinationis agatur: in ſummâ 430. annorum, ſemper deerunt 5. anni.

Atque hæc de primo membro principalis noſtri Scopuli Promiſſionis. Sequitur jam ſecundum. In hunc particularem Scopulum incurrunt iſti, qui primam promiſſionem Euangelii, Abrahamo datam, aſſcribunt apparitioni, cujus in 15. cap. Geneſ. fit mentio; & eam 85. anno ejus ætatis jungunt, hoc infirmo & debili argumento innitentes: quòd ibi legatur, & ſcriptum reperiatur; *hoc-ipſo die Deus pepigit cum Abrahamo fœdus.* Et inter cætera maximè urgent verbum *fœderis*; cùm Apoſtolus Paulus, in deſcriptione primæ promiſſionis Euangelii, Abrahamo datæ, in dictâ Epiſt. ad Galatas, cap. 3. eodem verbo utatur; idque fœdus appellet græco vocabulo διαθήκην.

Antequàm reſpondeamus; primùm expendenda & conſideranda eſt hiſtoria dicti cap. 15. Geneſeos. Eo capite Abraham conqueritur apud *Deum*, ſe hærede naturali deſtitui; &, poſt obitum ſuum, Servum ſuum Syrum hæreditatem occupaturum, & ſucceſſorem ſibi futurum.

Adversùs hanc querelam, Deus ipſi opponit promiſſionem, de futuro hærede ex ſuis lumbis, & ex ſuo ſemine; quod ad multa millia ſe multiplicaturum, ipſi pollicetur. id ſemen, in terrâ non-ſuâ, peregrinum quidem futurum, & 400. annis ſerviturum aliis: ſed tandem tamen illi ſemini, poſſeſſionem totius hujus terræ, in quâ jam Abrahamus habitet, ſe daturum. Et in ſignum firmitudinis, & confirmationem, Lampas accenſa & fornax fumans tranſiit per partes ſacrificii diſpoſiti. additurque, eo ipſo die *Deum* pepigiſſe fœdus cum Abrahamo, dicendo: *Ego dabo hanc terram ſemini tuo, ab Aegypto, uſq; ad magnum flumen Euphratis.* Conſtat itaque, per totum caput, inter Deum & Abrahamum, tantùm tractatum fuiſſe de ſucceſſore in temporalibus: qui ei ex ſuo ſemine illi promittitur, cum ſpe ſucceſſionis, vel poſſeſſionis totius iſtius Regionis. De promiſſione Euangelii, & de Semine benedicto, ne jota quidem in eo capite toto. Ita collabaſcit fundamentum totius argumenti noſtrorum Nautarum.

Porrò, hi duo Scopuli evitantur; ſi veritati locus detur. Ea eſt: Abrahamum non in Charane, ſed Ure Chaldæorum, anno ſuæ ætatis 70. primam Euangelii promiſſionem, de benedicto ſemine, accepiſſe. Id quòd ſuprà, ex annis peregrinationis Abrahami & Seminis ejus, & præcedentiæ Euangelicæ primæ promiſſionis, demonſtratum eſt: quæ duo Epochæ, ſimul exitum ex Aegypto, & promulgationem Legis, 430. annis præcedunt; & unum principium habent, in anno ætatis Abrahami 70. & in profectione ex Ur Chaldæorum. Earum repetitio ne hîc ſupervacanea ſit: Lectorem ad ſuperiora remittimus.

In primum illum Scopulum Promiſſionis, navibus ſuis alliſi ſunt omnes ferè Chronologi, aliique Scriptores, qui ad tempora ordinanda unquam animum adjecerũt; quos omnes hîc enumerare, nimis longum foret: *Eccleſiis Gallicis* ſolummodò exceptis; quæ jam indè à ſexageſimo-

quarto

quarto anno præteriti ſeculi, in ſuis Bibliis, veritatis magnetem ſecutæ ſunt. Harum veſtigiis inſtitit noviſſimè *Iohannes Temporarius* Blæſenſis, & *Iohannes-Iacobus Hermannus*, Theologus Herbornenſis, in Appendice Bibliorum Herbornenſium: quem anno 1603. Pforzhemii, cùm is verbi Divini miniſter eſſet in Eccleſiâ Turlacenſi, ipſe de his,& aliis Scopulis Chronologicis,præmonui.

In ſecundum Scopulum promiſſionis infeliciter incidit vir quidam, alioquin doctiſſimus, Amicus quondam meus: cujus nomini & famæ, quia jam piè defunctus eſt, in præſenti parco; quique ſi vixiſſet, me monitore, fortè hunc Scopulum lubens agnoviſſet, atque evitâſſet.

Atque hoc modo duplex etiam hic Scopulus Promiſſionis detectus eſt.

V. SCOPVLVS, AEGYPTIACUS.

AD hunc Scopulum periclitantur omnes illi, qui moram Jacobæorum in Aegypto ultra 210. annos extendunt. Unus infelix nauta, *Abrahamus Friſius* Luſatus, plenis velis in hunc Scopulum invehit; dum argumentis nullius ponderis evincere, & nobis perſuadere annititur, Iſraëlitas integris 430. annis in Aegypto commoratos eſſe: eò quòd litera, in textu Exodi cap. 12. verſ. 40. id inferre videatur. Emmanuel Tremellius & Franciſcus Junius, in accuratâ ſuâ verſione Bibliorum Latinâ, eum verſiculum ita verterunt: *Incolatus* (ſub nomine Incolatûs, peregrinatio intelligitur) *Iſraëlitarum, qui commorati ſunt in Aegypto, fuit annorum 430.* Ut incolatus, vel peregrinatio, non de poſteris Jacobi ſolùm; ſed etiam de peregrinatione ipſius Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, qui omnes incolæ & peregrini in terrâ non-ſuâ, ſed alienâ, fuerunt, ſimul intelligatur. Ita Abraham in Aegyptum deſcendit, & aliquamdiu ibi commoratus eſt. Ut hujus peregrinationis initium figatur, in primo anno, quo, ex mandato Dei, Ure Chaldæorum exceſſerit; & indè principium ejus deſumatur. Ita hunc verſiculum Eccleſia, & omnes ejus Doctores, & Patres antiquiores omni tempore, interpretati ſunt; allegantes auctoritatem ſeptuaginta Interpretum, qui hunc textum ita reddiderunt: *Tempus, quo filii Iſraëlis habitarunt in Aegypto, & in terrâ Canaan, fuit annorum 430.* Quia, ſine hac interpretatione, plurimis aliis textibus Sacræ Scripturæ vis inferretur: & præcipuè iis, qui ætates Moyſis, & Majorum ejus, nobis proferunt & edunt, ut Exodi cap. 6. v. 18.

Cahato,

Cahato, avo Moyſis, tribuuntur anni 130. quibus tota ejus vita definitur. Exodi cap. eodem, verſ. 20. Amrami, patris Moyſis, totum vitæ curriculum deſcribitur annis 137. Exodi cap. 7. verſ. 7. Moyſi, cùm ille populum Iſraëliticum ex Aegypto educeret, aſſcribuntur uſque in id tempus 80. anni. Hi anni omnes, etiamſi connexivè ſumerentur, & in unam ſummam conjicerentur; non tamen excederent ſummam 350. annorum: qui adhuc longè ab annis 430. & quidem ad 80. annos ab hoc numero abſunt. Eò etiam prolabitur infelix noſter nauta Luſatus: ut confictis & levibus argumentis probare, & nobis perſuadere annitatur, Cahatum, avum Moyſis, in Aegypto natum eſſe. Cùm Geneſ. cap. 46. verſ. 11. Cahat, filius Levi, ſuo nomine, & expreſſis verbis, inter perſonas & 66. animas, quæ cũ Jacobo in Aegyptum deſcenderint, connumeretur. Ergo Cahat non ſolummodò in Canaan natus fuit; ſed & aliquamdiu in Canaan cum patre vixit, antequàm cũ eo in Aegyptum veniret. Nec poteſt demonſtrari ex ſacris, Amramum, patrem Moyſis, quamvis in Aegypto natus ſit, tamen ultimo anno patris ſui Cahati ibi natũ eſſe. Potuit enim aliquamdiu in Aegypto cum patre vixiſſe. Simili modo non conſtat, Moyſen ultimo anno patris Amrami natum eſſe: ſed etiam aliquot ille annis, ſine dubio, cum patre vixit. Ita anni filiorum, quibus cum parentibus ſuis vixerunt, minuerent hunc numerum 350. annorum; aliâs bis numerarentur. Ita hos 350. annos moræ non poterit demonſtrare nobis noſter nauta Luſatus: multò minùs 430.

Sed quid infelicem hunc nautam multùm moramur? Ad alios cordatiores potiùs nos convertamus. Nemo enim, quod ſciam, Luſati magnetem hîc ſequitur; ſociumq; is in naufragio ſuo nullum habet. Omnes alii nautæ, qui ad hunc Scopulum periclitati ſunt, tantùm quinq; annos abundantes habent. Moram enim Iſraëlitarum in Aegypto 215. annis definiunt: ut hac ratione 5. annos defectûs, qui in aſſignatione erroneá primæ Promiſſionis euange-

licæ, Abrahamo datæ, in quarto præcedẽti Scopulo omiſſi, illis deſunt, ſuppleant: ſicq́; annos 430. ad Galat. cap. 3. & Exodi cap. 12. verſ. 40. compleant, eosque in ſuis rationibus aſſequantur; & priorem errorem hic 5. annis reſarciant. Sed ſine ullo fundamento, quod nullo textu ſacrarum literarum commonſtrare poſſunt, ipſi nudè ita aſſerunt; idq́; ſibi dari contendunt. Quod ſi è cõtrario demonſtrationem ex ſacris literis, noſtrorum 210. annorum moræ Iſraëlitarum, quis à nobis repoſcat; parata eſt ei demonſtratio. Suprà enim in præcedenti Scopulo quarto, ex Epiſtolâ Pauli Apoſtoli ad Galatas, cap. 3. demonſtratum eſt, Abrahamum primam Euangelii promiſſionem, 430. annis ante exitum ex Aegypto, & promulgationem Legis in Sinai, accepiſſe, in Ure Chaldæorum; cùm indè exiret, anno ætatis ſuæ 70. Jam ex eo tempore, uſque ad exortum Iſaaci, & annum ætatis Abrahami centeſimum, numerantur anni 30. Ab exortu Iſaaci, uſque ad exortum Jacobi, ſunt anni 60. Indè uſque ad annum ætatis Jacobi, quo is deſcendit in Aegyptum, & ſe ſtitit coram Pharaone, anni 130. Hi anni ætatum Patriarcharum, in unam ſummã conjecti, conficiunt 220. annos: qui à 430. annis præcedentiæ promiſſionis Euangelicę, quâ illa Legem præceſſit, ſubtracti, relinquunt in reſiduo tempus moræ Iſraëlitarum in Aegypto, videlicet 210. annos; quos & nos huic moræ aſſignamus.

Geneſ. cap. 21. verſ. 5. Geneſ cap. 25. verſ. 26. Geneſ. cap. 46. verſ. 9.

Poteſt & idem tempus moræ, 210. annorum, ex tempore peregrinationis Abrahami & Poſterorum ejus, quæ Exodi cap. 12. verſ. 40. ſecundùm receptum intellectum, definitur annorum 430. comprobari. Initium horum 430. annorum peregrinationis, præcedente Scopulo quarto expoſitũ, eſt fixum in ipsâ primâ profectione ex Ure Chaldæorum, & anno ætatis Abrahami 70. A' quo anno, uſque ad natum Iſaacum, quo anno Abraham centeſimum ætatis annum agebat, ſunt anni 30. His juncti anni Iſaaci, uſq; ad natum Jacobum, ſunt anni 60. Quibus poſtremò adjiciantur

ciantur anni 130. qùos ille tranſegerat, cùm in Aegyptum deſcenderet. Numeris omnium trium Patriarcharum aggregatis, provenit eadē ſumma 220. annorum: qui ab annis totius peregrinationis Abrahami, & Poſterorum ejus, nempe à 430. (Exod. 12. c. v. 40.) ablati, in reſiduo oſtendunt idem tempus moræ, videlicet 210. annorum.

In hunc Scopulum quinque abundantium annorum, incurrunt pleriq; omnes Chronologi, qui unquam de temporibus ſcripſerunt; in eo tamen collaudandi, quòd verſiculum 40. Exodi 12. nobiſcum eodem ſenſu intelligant contra Luſatum; & communem Eccleſiæ interpretationem nobiscum amplectantur. Solæ hunc Scopulum cautè evitarunt *Eccleſiæ Gallicæ*, cum *Iohanne Temporario* Blæſenſi Gallo. Reliqui Scriptores (quod ſummè mirandum) omnes ad hunc Scopulum naufragium paſſi ſunt. Veritas autem eſt: Jacobæos, vel Iſraëlitas, tantùm 210. annis in Aegypto commoratos eſſe; non pluribus, nec paucioribus. Atq; ita etiam biceps hic Scopulus detectus eſt.

VI. SCO-

VI. SCOPVLVS,
TEMPLI.

IN hunc Scopulum incurrũt,& ad eũ allidunt omnes illi, qui numeros illos 480. ab exitu ex Aegypto, & quarto Regni Salomonis, 1 Regum cap.6.in principio commemoratos,quique fundamentis templi aſſignantur, pro annis completis & jam exactis interpretantur; tanquam anno ſequente 481. & 5. Salomonis currente, fundamenta Templi jacta fuiſſent. Sententiæ & aſſertionis ſuæ nullum aliud producunt fundamentum, quàm cap.7.verſ.11. Geneſeos, ubi ferè ſimilibus verbis initium Diluvii deſcribitur.

Sed nos contrà dicimus: quemadmodum ibi in Scopulum Diluvii impegerunt, nec ex eo textu Nohæ ſexcenteſimum annum completum obtinuerunt, vel evicerunt; (uti ſuprà ex Scopulo 1. Diluvii patuit) ita neque hîc, 480. annos poſt Exitum ex Aegypto, & quatuor annos Regni Salomonis completos, obtinebunt aut evincent. Textus lib. 1.Reg.cap.6. in principio ita habet: *Deinde fuit quadringenteſimo octuageſimo anno ab egreſſu Iſraëlitarum ex terrâ Aegypti; anno quarto, Menſe Zivo, (is Menſis erat ſecundus) Regni Schelomonis; ut ædificare inciperet domum Iehovæ, &c.* Si quid certo anno & menſe factum ſcribatur,& tempus in Ablativo ſingulari nudè & ſimpliciter conceptum ſit: quis homo ſanæ mentis, Annum & Menſem currentem deſignari ibi non animadvertat? Sin autem tempori verbum aliquod eſſet adjectum, ex quo tempus completum poſſet intelligi; (ut, annno & menſe tali exacto, completo, vel elapſo) res aliter ſeſe haberet. Quòd-ſi ſimpliciter ſit ſcriptum, eo & eo anno & menſe, abſque ulla adjectione vel notâ

notà temporis completi; annus utique & menſis currens denotatur. Sed hic Scopulus tanti non eſt; ut in ejus detectione tot verba impendamus.

Veritas hæc eſt: Templi Salomonis fundamenta jacta eſſe, poſt Exitum ex Aegypto anno 480. & Salomonis regni quarto currente, Menſe ſecundo: cùm jam cõpleti eſſent, à dicto Exitu ex Aegypto, anni 479. & ex annis Regni Salomonis 3. & jam curreret, à dicto exitu, 480. & quartus ex Regno Salomonis, & ejus anni ſecundus Menſis.

Ad hunc Scopulum, naufragium paſſi ſunt inſequentes Chronologi: Auctor Temporum diſpoſitionis, quæ *Tabulis Prutenicis* ſubjuncta eſt; *Abraham Bucholzerus*, Sileſius; *Ioſephus Scaliger*, & ejus amanuẽſis, *Sethus Calviſius* Lipsẽſis; *Hugo Bruchtonius* Anglus; & pleriq; alii Chronologi. Eundem Scopulum contrà ſolerter evitarunt: *Iohannes Funccius* Boruſſus; *Matthæus Beroaldus*, & *Iohannes Temporarius*, Galli; *D. David Pareus* Theologus Palatinus; & Auctor Appendicis Chronologicæ Bibliorum Herbornenſium, ex meâ admonitione, ut ſuprà in Scopulo quarto monuimus. Atq; ita etiam ſextus Scopulus detectus, & Eccleſiæ manifeſtatus eſt.

L

VII. SCOPVLVS, EXCIDII.

AD hunc Scopulum allidunt ſuis navibus omnes illi, qui ſtantis Templi Salomonis tempus, à ſuis fundamentis, uſque ad ejus concremationem, & excidium Urbis, & everſionem Politiæ Judaicæ, paucioribus vel pluribus annis quàm 428. definiunt. Cùm in libris Regū, & Chronicorum, anni Regum currentes, & completi, & anni Parentū, quibus illi cum filiis regnârunt, & quibus filii cum Parentibus gubernacula regni tenuerunt, inter ſe-ſe mixti ſint; anni etiam vicariatûs filiorum interdum Patris regni annis adjiciātur: Nullibi latior apertus eſt campus Chronologis laſciviendi, & numeris ludendi, quàm in hoc intervallo temporis; ubi ingens porta ipſis patet, defectus ſuos & exceſſus, in prioribus ſeculis admiſſos, reparandi; & tempora, prout illis commodum & opportunnm viſum fuerit, vel contrahendi, vel extendendi. Spiritus Sanctus, ut, pro infinitâ ſuâ ſapientiâ, huic confuſioni obviàm iret, & remedium commodum admoveret; annos Regum Judæ, tàm in libris Regum, quàm Chronicorum, ad annos Regum Iſraëlitarum alligavit, & annos Regum utriusque regni invicem connexuit: ut ex comparatione illâ, anni completi, qui ſoli in computationem veniunt, à currentibus & filiorum & parentum annis, qui concurrerunt, diſtingui poſſint. Qui igitur veri anni completi ſunt, ex prædictâ comparatione dantur tales.

ANNI

ANNI VERI COMPLETI REGUM *Judæ, qui in computationem veniunt, ex comparatione annorum Regum Iſraëlis.*

Salomo, poſt jacta fundamenta Templi, eo anno ſimul incluſo, regnavit annos 37. completos. 1 Reg. cap. 11 verſ. 43.

Rehabeam, Rex Judæ, cœpit regnare anno 1. Jeroboami, Regis Iſraëlis: & regnavit 17. annos completos. 1 Reg. cap. 14. verſ. 21.

Abia, Rex Judæ, cœpit regnare anno 18. Jeroboami, Regis Iſraëlis: & regnavit 2. annos completos. 1 Reg. cap. 15. in pr.

Aſſa, Rex Judæ, regnare cœpit anno 20. Jeroboami, Regis Iſraëlis: & regnavit 40. annos completos. 1 Reg. cap. 15. verſ. 9.

Joſaphat, Rex Judæ, regnare cœpit anno 4. Achabi, Regis Iſraëlis: & regnavit 22. annos completos. 1 Reg. cap. 22. verſ. 41.

Joram, Rex Juda, regnare cœpit, patre adhuc vivente, anno 5. Jorami, Regis Iſraëlis, filii Achabi: qui jam aliquot annis antè Patris Prorex cùm fuiſſet, regnavit annos 7. completos. 2 Reg. cap. 8. verſ. 16.

Ahaſias, Rex Judæ, cœpit regnare anno 12. Jorami, Regis Iſraëlis: & regnavit annum 1. 2 Reg. cap. 8. verſ 25.

Athalia, Regina Judæ, mater Ahaſiæ, regnare cœpit anno 1. Jehu, Regis Iſraëlis: & regnavit 6. annos completos. 2 Chron. cap. 22. verſ. 12.

Joas, Rex Judæ, cœpit regnare anno 7. Jehu, Regis Iſraëlis: & regnavit annos 38. completos. 2 Reg. cap. 12. in pr.

Amazias, Rex Judæ, cœpit regnare anno 2. Joæ, Regis Iſraëlis: & regnavit annos 29. completos. 2 Reg. cap. 14. in pr.

Interregnum per 11. annos. Nam Amazias Rex mortuus eſt anno regni ſui 29. & anno 15. Jeroboami, Regis Iſraëlis: nec legitur in Sacris de ullo alio Rege in regno Judæ, qui ei ſucceſſerit, uſque ad Azariam. 2 Reg. cap. eod. verſ. 12.

Azarias, qui & *Uzias*, Rex Judę, cœpit regnare anno 27. Jeroboami, Regis Iſraëlis: & regnavit annos 52. completos. 2 Reg. cap. 15. verſ. 1. & 2.

Jotham, Rex Judæ, cœpit regnare anno 2. Pekah, Regis Iſraëlis: & regnavit 15. annos completos. 2 Reg. cap. 15. verſ. 32.

2 Reg. cap. 16. in pr. *Ahas*, Rex Judæ, cœpit regnare anno 17. Pekah, Regis Iſraëlis: & regnavit annos 15.completos.

2 Reg. cap. 18. in pr. *Ezechias*, Rex Judæ, cœpit regnare anno 3.Oſeæ, Regis Iſraëlis: (ſed non ab hoc anno, verùm ſequente quarto Oſeæ, anni Ezechiæ, obſeſſæ item & captæ Samariæ, dinumerantur) regnavit annos 28.completos. Vivente patre, Eod. cap. verſ. 9. & 10. antequàm regnū ſuſciperet, per 3.annos, ejus prorex fuit: à quo Sabbatum illud, 15. ejus anno, numeratur.

2 Reg. cap. 21. verſ. 1. in pr. *Manaſſes*, Rex Judæ, cum patre cœpit regnare; & ejus annus 29. fuit primus Manaſſis: & regnavit annos 54.completos. Ultimus annus cum anno primo filii concurrit.

2 Reg. cap. 21 verſ. 19. *Ammon*, Rex Judę, ultimo anno cum patre regnare cœpit: & regnavit annos 2.completos.

2 Reg. cap. 22. verſ. 1. *Joſias*, Rex Judæ, poſt obitum patris cœpit regnare: & regnavit annos 31.completos.

2 Reg. cap. 33. verſ. 34. *Joachas*, Rex Judæ, per 3. Menſes.

Eod. cap. verſ. 36. & cap. 34. v. 6. *Eliakim*, (qui & *Joakim*) Rex Judæ, regnavit annos 11.

Joachim, (qui & *Jechonias*) regnavit 3.Menſes, deportatus Babylonem.

Eod. cap. verſ. 18. *Zedekias*, conſtitutus Rex Judæ à Nabuchdonoſore, regnavit 10. annos completos: in 11. ejus incidit excidium Urbis & Templi.

Omnes anni cōpleti omnium Regum Judæ, in unā ſummam collecti, dant 428. annos ſtātis Templi Salomonici.

Quòd, in numeris noſtris, interdū pauciores, quàm in textu ſacro, reperiantur anni: ne mireris, benevole Lector. Ejus rei cauſa eſt: quòd in textu ſacro anni vicariatûs filiorum, quibus, vivis adhuc Parentibus, regnum adminiſtrarunt, filiis interdum aſſcribuntur; qui in noſtris rationibus ab iis ſeparati ſunt. Deinde, quòd aliquando anni ultimi patrum in primos annos filiorum inciderint; & ſic bis in textu aliquando numerentur, in annis ſcilicet parentum & filiorum. Ut autem certum tempus haberi poſſit; intervallum temporis certò definiatur, neceſſe eſt: ut omnes anni ſint completi, & ſibi-ipſis invicem immediatè cohærentes.

rentes. Id quod, in hac deſignatione annorum Regum Judæ, ſtudioſè obſervavimus.

Ad hunc Scopulum fortunæ vim experti & paſſi ſunt, hi infrà-ſcripti nautæ.

David Pareus, qui tempus ſtantis Templi, ad ejus uſque everſionem, determinat 412. annis.

Genebrardus Pariſienſis: qui tempus ſtantis Templi, ab ejus fundamentis, uſque ad excidium ejusdem, definit annis 419 $\frac{1}{2}$.

Michaël Beutherus: qui id determinat annis 422.

Reinholdus, auctor Tabularum Prutenicarum, habet annos 423.

Johannes Funccius id definit annis 424.

Matthæus Beroaldus id extendit ad annos 426.

Schubertus, *Joſephus Scaliger*, *Sethus Calviſius*, & *Hugo Bruchtonius*, quàm proximè ad ſcopum accedunt; & idem tempus ſtantis Templi annis 427. definiunt.

David Chytræus, & *Abraham Bucholzerus*, limitem planè transſcendunt; & tempus illud extendunt ad annos 431.

Bibliander & annos pervenit 432.

Henricus Pantaleon ad annos 451.

D. Martinus Lutherus ad annos uſque 460. proceſſit.

Scopulum hunc cautè evitarunt; *Gerhardus Mercator*, qui nobiſcum id tempus definit 428. annis. Idem facit *Johannes Temporarius*. Biblia quoque Herbornenſia nobiscum conſentiunt. Sed qui annum excidii, & undecimum Zedechiæ Regis ultimi, numeris ſuis incluſerunt, (quem nos excluſimus) unũ annum ampliùs habent: Annos itèm Regum Judæorum paulò aliter, ac nos, recenſent.

Veritas, & verus Magnes in hoc Scopulo ille eſt: ut ab anno 4. Salomonis, Regis Judæ, & jactorum fundamentorum Templi incluſivè, ad Excidium excluſivè, computentur anni 428. quibus Templum ſtetit. Atque ita ſeptimus etiam hic Scopulus detectus & explicatus eſt.

IIX. SCOPVLVS, DEPORTATIONIS.

POſt tertium Scopulum Abrahami, in toto Chronologico Oceano, non eſt Scopulus magis formidabilis & periculoſus, quàm hic octavus Deportationis: quia tranquillo mari tectus latitat; & magneticâ ſuâ vi omnes naves ferro munitas ad ſe attrahit. In hunc incidunt omnes illi, qui principium univerſalis Populi Judaici Deportationis, ſeu Babylonicæ captivitatis, & initium 70. annorum, ei à Deo per Jeremiam Prophetam præfinitorum, in deportatione Jechoniæ Regis & ſociorum, figunt & conſtituunt. Hujus ſuæ aſſertionis, 10. producunt argumenta, quibus eam, tãquam roſtris ferreis proras navium, munire ſatagunt.

1. 1. A' numero & qualitate deportatorum, ejusmodi argumentum effingunt. Ab illâ Deportatione, quæ numero & qualitate perſonarum aliis deportationibus prævalet, easque ſuperat, principium 70. annorum, à Jeremia Propheta ei captivitati præfinitorum, eſt dinumerandum. At Jechoniæ Regis, & deportatorum ſociorum, eſt talis. Ergo ab eâ principium 70. annorum eſt dinumerandum.

Minorem probant ex 2. lib. Reg. cap. 24. verſ. 14. & 16. ubi urgent verba; *deportavit totam Jeruſalem.*

Reſpondeo: eſt fallacia ſecundùm non-cauſam ut cauſam. Nam numerus, quantitas vel qualitas perſonarum deportatarum, non eſt forma ſpecifica Deportationis principalis; in qua initium 70. annorum, à Jeremia Prophetâ præfinitorum, ſit firmandum: ſed ad eam conſtituen-

ſtituendam, aliæ requiruntur circumſtantiæ; de quibus inferiùs in reſolutione hujus Scopuli tractabitur. Hic obiter monendum eſt; in ſacris numerum pluralem raró attendi.

2. Ita argumentantur. In principio deportationis eorum, principium univerſalis deportationis populi Judaici, & initium 70. annorum, à Jeremiâ Prophetâ Captivitati Babylonicæ præfinitorum, eſt figendum; ad quos Jeremias Propheta oraculum, de iſtis 70. annis, literis perſcripſit. Atqui ad Regem Jechoniam & ſocios, jam Babylonem deportatos, Jeremias Propheta id Oraculum, de 70. annis, Hieroſolymis Babylonem literis perſcripſit. Ergo ab eorum Deportationis principio, ſcilicet Regis Jechoniæ & ſociorum, univerſalis deportationis initium, & ſimul principium 70. annorum ſæpiùs commemoratorum, eſt auſpicandum. 2.

Reſpondeo: à diverſis nihil infertur. Diverſa autem ſunt, principium 70. annorum Deportationis; & publicatio ſeu annuntiatio gratioſæ viſitationis, poſt 70. annos, Hieroſolymæ, anno 4. Joacimi, vel Eliakimi, Regis Judæ, patris Jechoniæ, & primo Nabuchodonoſoris, Regis Babyloniæ, à Jeremiâ Prophetâ toti Populo Judaico propoſita & promulgata, Jeremiæ cap. 25. Ubi in principio capitis notandum, quòd ibi ſcriptum ſit: *Verbum, quod fuit ad Jeremiam, contra totum Populum Judæ anno 4. Joacimi, & primo Nabuchdonoſoris.* Et eodem cap. verſ. 2. *Quod elocutus eſt Jeremias Propheta, apud totum Populum Judæ, & apud omnes habitatores Jeruſchalaimorum, &c.* Subſequitur verſ. 11. & 12. ejusdem capitis, oraculum ipſum, de viſitatione poſt 70. annos. Hæc publicatio maximè differt, & diverſa eſt ab illâ Epiſtolâ conſolatoriâ, quam Jeremias Propheta ad Jechoniam, & quosdam privatos cum eo Babylonem deportatos, Hieroſolymâ Babylonem perſcripſit. Illa, totum Populum concernit: hac, Propheta Regem & paucos deportatos conſolatus eſt. Et quamvis oraculi de 70. annis

mentio

mentio in iis literis ſit facta: exinde tamen non ſequitur, quod noſtri Nautæ inde inferre volunt. Publicatio oraculi annos quatuor præceſſit allegatam Epiſtolam conſolatoriam. Ita ergo hoc argumento nihil promovent noſtri Nautæ. De vero autem principio 70. prædictorum annorum, infrà pleniús.

3. 3. Ita inferunt. A' quo principio Ezechiel Propheta annos Babylonicæ captivitatis dinumerat; ab eo anni 70. ejusdem captivitatis, à Jeremiâ Prophetâ præfiniti, ſunt dinumerandi. At Ezechiel Propheta dinumerat annos captivitatis Babylonicæ, à deportatione & captivitate Jechoniæ Regis & ſociorum. Ergo à Deportatione & captivitate Jechoniæ & ſociorum, captivitas Babylonica, & ejus anni 70. ſunt dinumerandi.

Reſpondeo: eſt, ut in ſuperiore 1. argumento, Fallacia ſecundùm non-cauſam, ut cauſam. Non enim eſt cauſa principii 70. annorum, quòd Ezechiel Propheta alicunde annos ſuæ captivitatis, vel captivitatis Jechoniæ Regis & ſociorum, dinumerat. Ezechieli, quámvis & ipſe Propheta eſſet, myſterium tamen oraculi, de 70. annis duraturæ captivitatis Babylonicæ, non concreditum erat: ſed ſoli Jeremiæ Prophetæ. Quia Prophetæ ſeparata habuerunt miniſteria: quod maximè ex Danielis cap. 9. verſ. 2. apparet; ubi Daniel, quámvis & ipſe Propheta, tamen ex libris Jeremiæ Prophetæ, de 70. annis, & de fine deſolationis Hieroſolymitanæ, anquirit. Si, tanquam Propheta, ea per ſe ſciviſſet: non opus habuiſſet ad libros Jeremiæ recurrere. Poteſt etiam hoc dici, Ezechielem non cum Iechoniâ captum; ſed cum Joacimo, patre illius, aliquanto temporis intervallo ante captivitatem Jechoniæ Regis & ſociorum: ita ut, ubi annos ſuæ transmigrationis dinumerat, (uti cap. 40. in principio) intelligat numeros ſuos, non de Jechoniæ Regis; ſed de ſuâ transmigratione. Atque ita omnes ejus numeri ſunt intelligendi. Verùm ſunt etiam 4. termini, in hoc tertio Nautarum noſtrorum argumento.

1. ter-

1. terminus, Ezechiel Propheta; 2. Dinumeratio annorum Ezechielis; 3. Principium 70.annorum; 4. Initium captivitatis Jechoniæ Regis. Deinde, ex nullo prophetiæ Ezechielis loco poteſt evinci vel demonſtrari, Ezechielem Prophetam ullibi aſſeruiſſe, vel in eâ ſententiâ fuiſſe, quod initium 70.annorum, Deportationi Jechoniæ Regis & ſociorum adhæreat. Non igitur initium 70. annorum in Ezechiele, ſed in fontibus Jeremiæ Prophetæ, inveſtigandum venit. Atque ita Nautæ noſtri nihil hoc argumento proficiunt, vel probant.

4. Ex annis 390. peccatorum domûs Iſraëlis, Ezechielis cap. 4. tale argumentum conſarcinant noſtri Nautæ. Illud eſt verum principium 70.annorum captivitatis, quod cum annis 390. peccatorum Domûs Iſraëlis, quibus 56. anni Sabbatici neglecti continentur, convenit. At terminus 70.annorum captivitatis Babylonicæ, in deportatione Jechoniæ Regis firmatus & fixus, cum dictis annis 390. peccatorum domûs Iſraëlis convenit. Ergo terminus 70. annorum captivitatis Babylonicæ, in Jechoniæ captivitate firmatus & fixus, verum eſt principium 70.annorum captivitatis Babylonicæ. 4.

Minorem probant. A' Jechoniæ Regis deportatione, uſque ad ultimam deportationem, Jeremiæ cap. 52. verſ. 3. ſcil. anno Nabuchdonoſoris 23. factam, ſunt anni 14. qui dempti à 70. annis, in reſiduo relinquunt 56. quot anni Sabbatici inſunt 390. annis peccatorum domûs Iſraëlis neglecti: & dicti anni peccatorum, tot annos Sabbaticos, ſc. 56. conficiunt.

Reſpondeo: à diverſis nihil infertur. Diverſa autem ſunt, anni 390. peccatorũ domus Iſraëlis, & anni 70. quibus elapſis, domui Judæ & Benjamin liberatio ex captivitate Babylonica promittitur. Prior numerus, omnes tribus in genere domûs Iſraëlis concernit: quas omnes in ultimo excidio Hieroſolymitano, anno 19. Nabuchdonoſoris, & 11. anno Sedechiæ, ultimi Regis Judæ, *Deus* à facie ſuâ

amovit, poſt annos 390. In noſtris rationibus, & noſtra Temporum diſpoſitione, illi 390. anni peccatorum totius domûs Iſraëlis, principium habent in primo anno Jeroboami, qui peccare fecit Iſraëlem. Ita 390. anni à dicto primo anno dinumerati, finiuntur præciſè & ad amuſſim in ultimo excidio & deportatione univerſali totius Populi: ubi 70. anni gratioſæ viſitationis, & liberationis ex eadem captivitate, incipiunt. Ita poſterior numerus, 70. annorū, à priore 390. peccatorum domus Iſraëlis, planè diverſus & longè ſeparatus eſt. Ille 390. annorum rejectionem omnium tribuum & poſterorum Jacob importat, & ſecum trahit. Poſterior numerus 70. annorum, Judæis, qui in ultimo Excidio Hieroſolymitano Babylonem deportati fuerant, terminum gratioſæ viſitationi & liberationis offert, & oſtendit.

Ita igitur retorqueo Nautarum hoc argumentum in illos ipſos, hoc modo; 390. anni peccatorum domûs Iſraëlis, indè à primo anno Jeroboami Regis, qui peccare fecit Iſraëlem, dinumerati, tanquam digito oſtendunt, fine ſuo, Excidium Hieroſolymitanum, & generalem Deportationem Judæorum in Babel, verum principium 70. annorum ejus captivitatis eſſe: Non Deportationem Jechoniæ Regis & ſociorum, quæ à primo anno Jeroboami Regis tantùm 380. annis diſtat; ſicque ad decennium, annos 390. non attingit. Excidium autem, & ultima deportatio, hos 390. annos planè explent & attingunt.

5. 5. Ex novo Teſtamento ejusmodi nobis producunt argumentum; præcipuè ex cap. 1. Euangeliſtæ Matthæi, verſ. 11. Cuicunque Regi Matthæus Euangeliſta captivitatem Babylonicam aſſcribit; ab ejus deportatione & captivitate, initium 70. annorum Captivitatis Babylonicæ, à Jeremiâ Prophetâ prædictorum, eſt auſpicandum. At Matthæus, dicto loco, Captivitatem Babylonicam aſſcribit Jechoniæ Regi, his expreſſis verbis: *Joſchia genuit Jechaniam, & fratres ejus, in exilio Babylonico. Poſt exilium autem*

Jechania

Jechania genuit Selathielem,&c. Ergo à Jechoniâ Rege & ſociorum, eorumq; deportatione & captivitate, iſti 70. anni Captivitatis Babylonicę, à Jeremiâ Prophetâ prædicti, ſunt auſpicandi & exordiendi.

Reſpondeo: Ab illis, quæ in captivitate Babylonicâ facta ſunt & acciderunt, ad ejus principium indè firmandum & conſtituendum, non valet conſequentia. Diverſa enim ſunt, in captivitate Babylonicâ aliquid fieri, vel factum eſſe; & captivitatis Babylonicæ principium. Eſtque etiam probè notandum, Matthæum Euangeliſtam, ut Generationes in certas Decimas quartas claſſes redigeret, nomina quorundam Regum omiſiſſe. Jechoniam dicit filium Joſiæ; (omiſſo Joacimo patre) cum tamen ejus nepos fuerit. Item, Joſiam genuiſſe Jechoniam, tempore exilii Babylonici: cùm tamen conſtet, Jechoniam anno ætatis ſuæ 18. à Nabuchdonoſore Babylonem deportatum eſſe; 2. Reg. cap. 24. verſ. 8. & Joſiam longè ante exilium Babylonicum mortuum eſſe. Quis ergo tum in ipſo exilio Babylonico primo natum dicet? Ita Hiſtoria Captivitatis Babylonicæ, ex libris Regum, Chronicorum, Eſdræ & Nehemiæ, item ex Prophetâ Jeremiâ eſt petenda & addiſcenda; & non ex Euangeliſtâ Matthæo. Ipſi Euangeliſtæ, non hiſtoriam captivitatis Babylonicæ; ſed Chriſti Genealogiam deſcribere & enarrare, propoſitum erat. Tantò minùs principium 70. annorum captivitatis Babylonicæ, ex eo definiendum eſt. Euangeliſta hoc tantùm voluit innuere, Jechoniam in tempora exilii vel captivitatis Babylonicæ incidiſſe. Ita Matthæus Euangeliſta, & argumentum ex eo ductum, Nautis noſtris nihil ſuffragatur.

Sequentia argumenta, non tam ad firmandam Nautarum ſententiam, de principio 70. annorum captivitatis Babylonicæ in deportatione Jechoniæ Regis; quàm ad impugnandam veram ſententiam, de principio dictorum

70.annorum, in ipſo excidio Hieroſolymitano figendo, comparata ſunt: quæ tamen non majoris ſunt pretii, quam ſuperiora.

6. 6. Ex allegato 29. capite Jeremiæ Prophetæ, verſ. 16. ita argumentantur. Terminus promiſſæ liberationis ex captivitate Babylonicâ, majori parti obedientis Populi præfinitus, retardaretur, & longiùs differretur, propter minorem partē Populi inobedientis, Hieroſolymæ uſq; ad ultimum excidium pertinaciter demorātis: ſi à dicto excidiō demum 70. illi anni liberationis ſic eſſent dinumerandi, ut in eo excidio principium illorum annorum figatur. Quod juſtitiæ Dei repugnaret: ut propter impios & inobedientes paucos, Liberationem piorum, & majoris partis obedientis Populi, qui, Deo ita mandante, in voluntarium exilium Nabuchdonoſoris ſeſe dedidit, prorogaret. At, ſi principium 70. dictorum annorum in excidio Hieroſolymitano figeretur; dicta liberatio piorum longiùs differretur; atque ita Juſtitiæ divinæ repugnaret. Id igitur principium 70. annorum, non in excidio Hieroſolymitano, ſed in Deportatione Jechoniæ Regis, figendum & firmādum.

Reſpondeo: Major eſt manifeſtè falſa, & blaſphema in *Deum*; quæ Dei liberrimam voluntatem certis cancellis includere non veretur: cujus tamen viæ ſunt imperſcrutabiles. Dicit ſcriptura de Deo: *veſtræ via non ſunt meæ viæ; nec meæ cogitationes ſunt veſtræ cogitationes*. Eſai. 55. verſ. 8. Opera proin Dei non ſecundùm Juſtitiam humanam ſunt exigenda: de quâ materiâ infrà, in octavo Scopulo, etiam quædam attingemus. Minor repugnat expreſsè Sacræ Scripturæ. Conſtat enim 70. iſtos annos liberationis à captivitate Babylonicâ, neque majori, neq; minori parti Populi, vel obedientis, vel inobedientis; ſed univerſo Populo Judaico indifferenter eſſe propoſitos: uti ſuprà in argumento 1. & 2. demonſtratum eſt. Ex his igitur jam manifeſtum fit, hoc argumentum nihil pro ſententiâ noſtrorum Nautarum facere.

7. Con-

7. Contra principium 70.annorum captivitatis Babylonicæ,in excidio Hieroſolymitano figendum, hoc quinetiam argumento inſurgunt noſtri Nautæ. Res inanimatæ, in quarum interitu interitus Reip.non conſiſtit,quæ etiam non poſſunt peccare; in earum interitu, terminus 70. annorum liberationis ex captivitate Babylonicâ ridiculè figitur. At verò Urbs Hieroſolyma,Templum, ædificia, & terra Judaica,ſunt res inanimatæ. Ergo principium 70.annorum ſæpiùs dictorum, in excidio Urbis,Templi, ædificiorũ,& devaſtatione Regionis Judaicæ,ridiculè & fruſtrà figitur & firmatur. Et per conſequens, initium horum 70. annorum,ab excidio harum rerum inanimatarum non eſt exordiendum. 7.

Reſpondeo: totum argumentum laborat fallaciâ ſecundùm non-cauſam ut cauſam. Quia Urbes, Templa & ædificia,non exciduntur, nec provinciæ devaſtantur propterea, quòd in illis conſiſtat incolumitas Reip. vel quòd ipſæ peccarint: ſed propter inhabitantium contra *Deum* inobedientiam & rebellionem. Quid enim frequentius in ſacris, quàm comminationes contra urbes, ædificia, & integras provincias, de earũ devaſtatione & deſolatione, ipſis propter peccata Populi immittendâ.

Exemplo ſunt; primus Mundus,Urbes Sodoma & Gomorrha, & aliæ, ipſa Judæa. Et quoties tota terra Iſraëlis, jam per Midianitas, jam per Moabitas, jam per Philiſtæos, Syros, aliasque gentes, fuit vaſtata: quando Iſraëlitæ ipſi transgreſſionibus & peccatis ſuis iram Dei cõtra ſeſe concitarunt? Ita nautas noſtros etiam hoc argumentum nihil relevat; neque illud veræ ſententiæ contrariatur.

8. Inſtant; Juſtitiæ divinæ non eſſe conſentaneum, ut pii & obedientes diuturniore captivitate, propter paucos quosdam inobedientes,qui Hieroſolymis obſtinatè commorati fuerunt, premerentur: ſic, ut plùs quàm ad 80. annos dicta captivitas Babylonica ipſis prolongaretur. Id quod fieret; ſi 70.anni primùm ab excidio Hieroſolymita- 8.

no dinumerarentur; & non à deportione Jechoniæ.

Reſpondeo: Argumentum hoc non niſi in eo fundari an Deus juſtè egerit, quòd 70. annorum principium in excidio Hieroſolymitano firmaverit? Quod infrà, in deductione veritatis, & quomodo hic Scopulus evitetur, fuſiùs demonſtrabitur. Quicquid Deus agit, non propterea juſtum eſt, quia Juſtitiæ humanæ legibus conſentaneum eſt: ſed propterea juſtum eſt, quia Deus id agit, qui eſt ipſa Juſtitia. Nec inſolens eſt vel novum, Pios in hac vitâ ærumnis & calamitatibus magis & diutiùs premi, quàm Impios; qui in hac vitâ proſperiori fortunâ utuntur, æternę damnationi & gravioribus pœnis reſervati. Atq; ita nihil hoc argumento Nautæ noſtri promovent.

9. 9. Tale urgent argumentum. Quibus aliàs, ſecundùm verba *Jehovæ*, gladio, peſte, fame, & perpetuo exilio pereundum erat; ab illorũ deportatione, promiſſio Jeremiæ Prophetæ, de liberatione poſt 70. annos, (cùm ad illos non pertineat) initium dictorum 70. annorum nõ eſt dinumerandum: cùm nullâ liberatione illi indigeant. At omnibus illis, qui tempore excidii in urbe Hieroſolymitanâ fuerunt inventi, ſecundùm verba *Jehovæ*, gladio, peſte, fame, & perpetuo exilio, erat pereundum. Jeremiæ cap. 25. v. 9. & 11. & cap. 29. v. 17. adeoq; illis nihil profuit liberatio poſt 70. annos; nec ad illos oraculum illud de 70. annis liberationis pertinuit. Ergo, nõ ab illorũ deportatione 70. illi anni ſunt dinumerãdi; ſed à deportatione Jechon. Regis & ſociorũ.

Reſpondeo: hoc argumentum eâdem laborat fallaciâ ſecundùm non-cauſam ut cauſam. Promiſſio liberationis poſt 70. annos, non facta eſt eorum causâ, quibus gladio, peſte, fame, pereundum erat; ſed omnium eorum causâ, qui vel ex deportatis cum Jechoniâ Rege, vel ex iis qui in Excidio Hieroſolymitano, & poſt illud, poſt 70. annos ſuperſtites futuri erãt. Non enim omnes, qui in ipſo excidio, vel poſt illud, Babylonem deportati fuerunt, gladio, peſte, vel fame perierunt: ſed multi ſuperſtites fuerunt; quos

Præfe-

Præfectus Nabuchdonoſoris deportavit: ut habetur 2 Chronicor. cap. 36. verſ. 20. *Et deportavit, qui reliqui à gladio remanſerunt, Babylonem: ubi fuerunt illi, & filii illorum, ut ſervirent Nabuchdonoſori, & filiis illius, uſq; dum obtineret Monarchia Perſidis.* Et Jeremiæ cap. 29. verſ. 16. *Nam ſic dicit Jehova, de toto Populo, qui reſidet in civitate hac, & qui non egreſſi ſunt in deportatione vobiſcum.* Et verſ. 18. *Et exponam eos commotioni apud omnia regna terræ, & opprobrio apud omnes gentes, quò depulero eos.* Ergo non omnes, qui in urbe Hieroſolymâ tempore excidii inventi fuerũt, gladio, peſte, & fame perierunt. In ſummâ; Oraculum de 70. annis liberationis, pertinet univerſaliter ad totum Populum Judaicum. Et ita vacillat etiam hoc Nautarum noſtrorum argumentum 9.

10. & ultimo: Ex 27. capite, verſ. 7. Jeremię, tale conſuunt argumentum. Dicto loco Jeremię dicitur; *Omnes gentes ſerviẽt Nabuchdonoſori, & filiis ejus, & nepotibus.* Si autẽ initium 70. annorum ſervitutis Babylonicæ, ſiſteretur vel figeretur in excidio Hieroſolymitano, & extremâ deportatione; & non in præcedẽte Deportatione Jechoniæ Regis: ſervitus illa ſeſe extẽderet, & prorogaretur ultra Nepotes Nabuchdonoſoris; contrà ſuperiùs allegatũ textum. Ergo principium iſtorum 70. annorum non in ultimo excidio; ſed in deportatione Jechoniæ Regis eſt ſiſtendum & firmãdum; ne tẽpus illud ultra Nepotes Nabuchdonoſoris ſeſe protendat, vel ultra nos excurrat. 10.

Reſpondeo: Argumentũ malè fundatur in dicto cap. 27. v. 7. Jeremiæ Prophetæ. Namq; ibi nihil ſpeciatim de Judęis diſponitur; ſed eo in loco continetur cõminatio, de ſervitute omniũ gentium & regnorum: nec verbũ de Judęis inibi in ſpecie. Sin argumentũ ſuum velint fundare in cap. 25. Jerem. v. 11. à Jeremiâ ibi Rex Babyloniæ abſq; mentione filiorum & nepotum, nominatur abſolutè: & ſuprà in argumento 2. demõſtratum, oraculũ de 70. annis liberationis, in dicto cap. 25. Jeremiæ, ad univerſum Populũ Judaicum pertinere. Deinde, quid pluribus opus? Prophetiarũ optimus interpres eſt eventus, & adimpletio vel præſtatio earũ,

Servitus Babylonica, cū morte nepotis Nabuchdonoſoris, Belſazaris, à Cyro in occupatione Babylonis interfecti, finem ſuum habuit, anno 70. poſt excidium Hieroſolymitanum: ita ut finis ſervitutis Babylonicæ inciderit in principium Monarchiæ Perſicæ; uti expreſsè id habetur 2 Chronicor. cap. 36. verſ. 20. & 21. Et ne quem moretur hic commentum de Nabonide Medo, quem aliqui ex noſtris Nautis, ultimis Regibus Babylonicis, hîc immiſcent. Sciendum eſt, illud commentum non niſi fabulam eſſe. Quòd-ſi ſub ejus nomine Darium Medum intelligunt: monendus eſt Lector, hujus imperium cum primo anno Cyri concurrere. Ita ut Nautæ noſtri hoc etiam Decimo argumento nihil evicerint.

CONCLUSIO IIX. SCOPULI.

In hunc Scopulũ plenis velis ſe dederunt & naufragium paſſi ſunt, Joſephus Scaliger cum ſuo Diſcipulo vel amanuenſi Setho Calviſio Lipſenſi, Matthæus Beroaldus Gallus, Hugo Bruchtonius Anglus, David Pareus Palatinus, David Chytræus, & omnes ferè alii Chronologi, exceptis infrà nominatim ſcriptis. Vera directio magnetis, qua hic Scopulus evitetur, hęc eſt. Si principium captivitatis Babylonicæ Judæorum, & initium 70. annorum deportationis ejusdem gentis in Babylonem, à Jeremia Propheta definitorum, in ipſo Excidio urbis & devaſtatione ultimâ iſtius regionis, & 11. anno regis Judæ Zedekiæ, 19. anno Nabuchdonoſoris Monarchæ Babyloniæ, ejusq; anni Menſe 5. figatur. Hujus directionis ex Sacris hos adducimus textus. I. Jeremiæ cap. 25. verſ. 11. & 12. *Eritq; tota terra vaſtationi & deſolationi: &c. Deinde erit, completis 70. annis animadvertam in regem Babyloniæ, &c.* II. 2 Chronicorum cap. 36. verſ. 20. & 21. *Ad implendum verbum Iehovæ dictum ore Ieremiæ Prophetæ, donec acquieſcat terra Sabbatis ſuis, omnibus diebus deſolationis quievit, complendo 70. annos.* Terra non priùs quievit, & deſolatio non antè cœpit, quàm in ipſo Excidio Hieroſolymitanæ urbis & templi. III. Jeremias Propheta cap. 1. verſ. 3. confert initium transmigrationis Judæorum in eundem menſem 5. anni 11. Zedekiæ regis Judæ, in quem annum & menſem hiſtoria ſacra lib. 2. Reg. cap. 25. verſ. 8. excidium urbis & templi confert. IV. Jeremias cap. 52. in deſcriptione excidii urbis & templi, recenſet, quomodo capto Zedekiâ, principaliores populi Nebuzardan adduxiſſet ad regem Nebucadnezarem in Riblat: & ſubjungit verſ. 27. *Quos percutiens Rex Babyloniæ morte affecit in terrâ Chamathæ: ſic migravit Iehuda è terra ſua, &c.* Sic etiam 2 Reg. cap. ult. verſ. 24. V. Daniel Propheta cap. 9. verſ. 2. *Anno 1. ejus regni* (ſc. Darii filii Ahaſueri) *ego Daniel conſiderans ex libris numerum annorum,*

quibus fuerat verbũ Iehovæ ad Iirmeiam Prophetam, completus fore vaſtitates Ieruſchalaimorum, 70. annum eſſe. Jam manifeſtũ eſt, vaſtitates illas terræ Judaicæ non à deportatione Jechoniç, ſed ab ipſo excidio urbis & tẽpli, numerandas eſſe. Manifeſta hæc ſunt & certiora, quàm quæ in dubiũ vocari poſſint. VI. Zacharias Propheta cap. 1. v. 12. ait: *O` Iehova exercituum, quouſq; tu non miſeraturus es Ieruſchalaimorum, & Civitatum Iehudæ indignatus es jam 70. annis.* Ex hoc textu cõſtat, iram Dei & 70. annos nõ à deportatione Jechoniæ Regis, ſed in ipſo excidio tẽpli & urbis cœpiſſe. VII. Omnes comminationes à Deo per Prophetas, Eſajam, Amoſum, & Jeremiam, inde à tẽporibus Joſiæ regis, propter ingratitudinem & rebellionem indictas univerſales eſſe & copulativas in totum populũ. Jeremiæ cap. 13. verſ. 19. *Deportabitur Iudæa tota: deportabitur illa univerſaliter.* vel ut habet verſio Tremellii, *deportabitur civitas peccatorum.* Itẽ Eſajæ cap. 6. verſ. 11. cap. 10. verſ. 12. Jerem. cap. 4. v. 20. 23. & 27. cap. 6. verſ. 6. cap. 7. verſ. 34. cap. 10. verſ. 22. cap. 19. verſ. 3. 8. & 11. cap. 23. verſ. 29. cap. 25. verſ. 9. 11. 18. cap. 26. verſ. 6. cap. 44. verſ. 6. In Lamentationibus Jerem. cap. 1. verſ. 8. cap. 2. v. 2. Ezechiel cap. 12. verſ. 19. & 20. cap. 16. v. 42. Daniel cap. 9. verſ. 2. Zachar. cap. 1. verſ. 12.

Hunc Scopulum circumſpectè evitarunt, Auctor Temporum Diſpoſitionis Tabulis Prutenicis ſubjunctç Johannes Funccius, Abraham Bucholzerus, Johannes Temporarius Gallus, Johannes Jacobus Hermannus Profeſſor Herbornẽſis, in Editione Bibliorum Herbornenſium, & in Theſibus ſuis Chronologicis. Ita hic Scopulus Deportationis, qui mare Chronologicum hactenus infeſtum tenuit, plenè detectus & Eccleſiæ manifeſtatus eſt.

IX. SCO-

IX. SCOPVLVS, PERSICUS.

AD hunc nonum Scopulum allidunt omnes illi, qui Monarchiam Perſicam, ejusque Periodum, ab occupatione Babylonis, Cyri ejusq; Monarchiæ 1. anno, ad victoriã Alexandri Magni, contra Darium ultimum, ad Arbelam obtentã, ad pauciores, quàm 205. annos, reſtringunt; vel ultra eos annos extendunt. Hîc Nautæ noſtri mirè variant; & vix duo in unum conſentiunt numerum annorum; atque hac ſuâ hallucinatione propriam incertitudinem produnt. Aliqui eorum, præcipuè Theologi, nullos alios agnoſcunt Perſarum hæredes, quàm quos ſacræ ipſis ſuppeditãt paginæ, & qui in ſacris literis reperiuntur: quam ſuam aſſertionem etiam argumentis quibusdam ſuffulcire & ſtabilire conantur.

1. Dicunt, in Sacris continuã hiſtoriam, & temporum ſeriem, indè à Mundi & Adami creatione, uſque ad Chriſtum, ſine interruptione dari poſſe. Quòd ſi jam plures anni, & alii Reges, quàm ſacræ habent paginæ, in hiſtoriâ Perſicâ admitterentur: reipsâ hęc continuatio hiſtorię, & continua temporum ſeries in Sacris, in dubium vocaretur; imò planè negaretur. Imò contra dignitatem Scripturæ Sacrę id eſſe ajunt, eam ex humanâ communi hiſtoriâ, tanquam imperfectam, ſupplere velle: &, quò magis communẽ hiſtoriam odioſam reddant, eam per contemptum *prophanam* vocant.

Reſpondeo: eſt fallacia à dicto ſecundùm quid addictum ſimpliciter. Sacra Scriptura omnia illa continet, quæ ad ſalutem nobis ſunt neceſſaria: teſte Paulo, ad Timotheum Epiſtolâ 2, cap. 3. verſ. 15. & 16. Et in eo perfecta

illa eſt, & nullâ ſuppletione ex ullo alio Scriptore indiget. Quòd autem non omnes Reges Aſſyriæ, Aegypti, Syriæ, vel Perſiæ, habeat & enumeret: in eo ipſius perfectioni nihil decedit. Nec enim hiſtoria Perſica ex Sacrâ Scripturâ addiſcenda; nec propter Reges Perſiæ illa ſcripta eſt.

Secundò dico: Dent mihi iſti Theologi, in litteris Sacris, continuam hiſtoriam ab Adamo, & Mundi creatione, uſq; ad Chriſtum, poſt reditum ex Babylone. Hiſtoria certè ſacra continua hic deficit. In Eſdræ libris, non niſi hiſtoria eſt, eaque non completa, ſed diſcontinua, 84. annorum. Poſtea lacuna eſt 8. annorum, uſq; ad Nehemiam: qui in ſuo libro habet hiſtoriam 17. annorum. Indè, ad tempora Maccabæorum, deſunt rurſus 313. anni. Libri Maccabæorum ſuppeditāt nobis 9. annos tantúm. A' Maccabæis, uſq; ad Conſulatum Augusti Imperatoris XIII. & Plautii Sylvani, quo Chriſtus natus eſt, deeſt hiſtoria 159. annorũ. Quæ autem poſſit eſſe cauſa hujus defectûs in Hiſtoriâ ſacrâ; Theologos noſtros ad arcanum Dei cōſilium amandamus & remittimus.

Sed ſubolfacio, quò tendant noſtri Nautæ. Ad Hebdomadas Danielis illi provocabunt. Hebdomadas eas nos nō reſpuimus: modò nobis veram & certam alligationem ad Sacram Hiſtoriā exhibeant. Illi verò, pro unâ, quatuor diverſas nobis proponunt: cùm una vera & certa nobis ſufficeret. Sed quid hallucinatione illâ ſuâ aliud agunt, quàm ut incertitudinem datarũ alligationum ultrò agnoſcant; & fateantur, exhibitionem veræ alligationis ad hiſtoriam Sacram, continuam & non-interruptam, impoſſibilem eſſe? De quâ re, in Scopulo ſequente X. Danielis, nobis pluribus erit diſſerendum.

2. Nautæ noſtri contra Scriptores Hiſtoriæ communis non-ſacræ (quam ipſi, per contemptum, prophanam vocant) ita inſurgunt; illisque objiciunt perpetuum inter ſeſe diſſenſum, tàm in numero Regum, quàm annorum, quibus iſti regnarunt, Abſurdum ergo eſſe volunt, ex ejus-

modi

modi Scrptoribus, & hiſtoriâ lubricâ & incertâ, ſacram ſupplere.

Reſpondeo: eſt eadem fallacia, quæ in ſuperiore argumento, à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter. Quidam ſcriptores hiſtoriæ Perſicæ, compendioſiore methodo eam hiſtoriam deſcripſerunt; recēſentes tantùm legitimos Reges, omiſſis Tyrannis, qui poſt obitus legitimorum Regum, per vim, ad paucos annos vel menſes, regnū uſurparunt. Alii, pleniori ſtylo utentes, magis ſpecialiter eam hiſtoriam deſcripſerunt; ac Tyrannos, debitis in locis, Regibus junxerunt; cuique ſuos annos & menſes, quibus rerum potitus eſt, attribuētes. Ad annos quod attinet; priores illi Scriptores, annos & menſes prætermiſſorum Tyrannorum, legitimis Regibus aſſcripſerunt. Poſteriores, & Regibus, & Tyrannis, cuique ſuos annos & menſes ſpeciatim aſſignarunt. Non omittendum etiam; quoſdam Scriptores, annos Regum à tempore vicariatûs, quo ipſi, vivis Parentibus, at externis expeditionibus occupatis, regnū, tanquam Proreges, adminiſtrarunt, ordiri; & non à morte Parentum: ideoq; tot annos, quot filiis addunt, Parentibus ſubtrahere. Alii, præciſè à morte Parētum annos Regum auſpicantur. Ita inter Scriptores hujus hiſtoriæ, in numero Regum & Tyrannorum, & annis eorum, perpetuus conſenſus eſt: ut omnes Periodum Perſicam, non ſtrictiorem vel laxiorem faciant, quàm 205. annorum. Scriptores enim, quamvis diverſis methodis in hiſtoriâ hac deſcribendâ ſint uſi; tamen reipsâ, & numero Regum & Tyrannorum, & annorum quibus illi regno præfuerunt, vel id obtinuerunt, conveniunt. Hæc ſcil. eſt illa incertitudo & lubricitas, à Nautis noſtris tantopere decantata, & Scriptoribus illis objecta. Atq; hæc ſunt Nautarum duo argumenta: quibus non tam ſuam erroneam Periodum Perſicam, de quâ inter ipſos nondum convenit, (uti id infrà demonſtrabitur) ſtabiliant; quàm veram Periodum, annis 205. conſtantem, oppugnent.

Vera directio magnetis, ut hoc ſaxum evitetur, hæc eſt: ſi periodus Monarchiæ Perſicæ, à captâ per Cyrum Babylone, uſq; ad Alexandri victoriam Arbelianam, non ultra annos 205. extendatur; vel infra eos reſtringatur. Quæ Periodus primò demonſtratur ex Catalogo Regum Perſicorum, à ſcriptoribus nobis exhibito.

MONARCHAE PERSICI, POST expugnatam Babylonem per Cyrum.

Daniel.

Cyrus Perſa, cum Dario Medo, anno 1.

Cteſias, Herodotus, Iuſtinus, Euſebius, & Sulpitius.

poſt mortem Darii Medi, ſolus, annis *6*.
adminiſtrante, in ejus abſentiâ, regnum Cambyſe filio. Ubi notandum, quòd iſti anni, ab horum Scriptorum annis 23. quibus jam antè in Perſiâ regnavit, ſubtrahendi ſint.

Herodotus, Euſebius, & alii.

Cambyſes, qui & Artaxata, poſt mortem patris, annis 7.

Smerdes Magus, poſt mortem Cambyſis, menſ. 7.
qui annis Darii Hyſtaſpis includuntur.

Cteſias iidem qui ſuprà, & Ioſephus.

Darius Hyſtaſpis filius, incluſis Smerdis menſib. 7. annis 35.

Herodotus, Cteſias, Clemens Alex. Euſebius, Sulpitius, cum iisdem.

Xerxes, à patre vivente regno præfectus, poſt mortem patris, annis 21.

Artabanus, poſt occiſum Xerxem, regnū uſurpavit menſ. 17. qui Artaxerxis annis adjiciuntur.

Euſebius, Ioſephus.

Artaxerxes Longimanus, cum Menſibus Artabani, poſt mortem patris, detractis annis, quibus abſente patre regnum adminiſtravit, annis 39.

Cteſias, Megaſthenes, Clemens Alex. Sulpitius, Euſeb.

Idem aliquot annis, patre in Græciâ abſente, regnum adminiſtravit. Hinc variatio Scriptorum; qui tamen 4. annos non excedunt.

Cteſias, Sulpitius, & Euſebius.

Xerxes II. poſt mortem Artaxerxis, diebus 45.

Sogdonianus (qui & Secundianus) cum Xerxe II. annis 2.

Cteſias, Clemens Alex. Euſebius, Megaſthenes. Sulpitius, Euſeb. Clemens Alex.

Darius Nothus, (qui & Ochus) Sogdoniani frater, annis 19.

Artaxerxes Mnemon, annis 43.

Darius Ochus, (qui & Artaxerxes) annis 23.

Arſes, (qui & Arſanes) annis 3.

Darius

Darius Codomannus, ultimus Rex Perſarum, annis *6*. Diodorus Siculus.
Summa totius Periodi Perſicæ, anni 205.

Eadem Periodus Perſica ex Cœli motibus poteſt demonſtrari.

DEMONSTRATIO PERIODI PERSIcæ ex motibus cœli, & tribus Eclipſibus Lunæ.

Ptolemæus in ſuo Almageſto, lib. 5. cap. 14. notat Eclipſin Lunæ, in anno 5. Nabopolaſſaris, Regis Babylonii, anno Nabonaſſaris 127. Menſe Ather, die 27. correſpondente noſtro 22. Aprilis, anni Juliani. Incidit hæc Eclipſis in annum 1. Olympiadis *93*.

Tota antiquitas, Plinius, Diodorus Siculus, Thallus, Phlegon, Caſtor (quos omnes allegat Euſebius, Præparationis Euangelicæ lib. 10. cap. 3.) aſſignant primum Cyri annum in regno Perſico, anno 1. Olymp. 55. Indè, uſq; ad expugnationem Babylonis per Cyrum, quo anno Monarchia Perſica initium habuit, iidem Scriptores numerant annos 23.

Ex his conſtat, à dicta Eclipſi Lunari, 5. anno Nabopolaſſaris, uſq; ad Januarium anni 1. Cyri, in regno Perſico, numerari præcisè, annos 62. dies 213.

A' dicto Januario 1. anni Cyri, in regno Perſico, ad Januarium expugnationis Babylonis, & primum Cyri annum in Monarchiâ Perſicâ, anni 23. Incidit, calculo communi omnium Scriptorũ, hæc expugnatio Babylonis in annum 1. Olymp. *6*1. & annum Nabonaſſaris 212.

A' dicto Januario expugnationis Babylonis, & 1. anno Cyri in Monarchiâ Perſicâ, uſq; ad aliâ Eclipſin Lunę, quam Ptolemæus aſſcribit anno 7. Cambyſis, eamq; annotat in anno 225. Menſe Phamenot, die 17. correſpondente noſtro 1*6*. Julii, anni Juliani; (Ptolemæus, eodem lib. 5. cap. 14.) datur autem hæc Eclipſis in anno 1. Olymp. *64*. A' dicto inquam caſu Babylonis, ad hanc Eclipſin, numerantur anni 13. dies 1*96*.

Ab

Ab hac Eclipſi Lunari, anni 7. Cambyſis, uſq; ad Eclipſin aliam Lunæ, quam annotarunt Plutarchus & Curtius Junior, in anno 2. Olymp. 112. die 11. Epiphi, id eſt, 20. Septembris anni Juliani, Nabonaſſaris anno 417. intercedunt anni 191. dies 320.

Hæc Eclipſis præceſſit pugnam Alexandri Magni ad Arbelam, quâ Darius Codomannus victus eſt; & Monarchia Perſica finita, diebus poſt dictam Eclipſin 10.

Summa; à 1. anno Cyri in Monarchiâ Perſicâ, in motibus Cœli, colliguntur anni 205. dies 161.

Pleriq; ſanè Nautæ maris Chronologici, ad hunc Scopulum periclitati ſunt, & titubante magnete ad eum alliſi. id quod deſignatione & hallucinatione ſuâ, circa determinandam quantitatem Periodi Perſicæ, manifeſtè produnt.

Funccius eam definit	annis 208.
Mercator & *Bucholzerus* habent	annos 207.
Henricus Buntingus determinat eandem	annis 206.
Matthæus Beroaldus habet	annos 123.
Sethus Scaligeri amanuenſis,	annos 201.
Joſephus Scaliger,	annos 200.
Hugo Bruchtonius,	annos 120.
David Pareus,	annos 125.

Quis igitur concrederet his Nautis veram temporis diſpoſitionem?

Contrà verum magnetem ſecuti ſunt, & Scopulum hunc evitarunt; Auctor Temporum Diſpoſitionis *Tabulis Prutenicis* ſubjectæ, *Joannes Temporarius* Gallus, & Auctor Appendicis *Bibliorum Herbornenſium*. Ita & hic Scopulus nonus Perſicus detectus, & orbi Chriſtiano manifeſtatus eſt.

X. ET VLTIMVS SCOPULUS, DANIELIS.

HIc decimus & ultimus Scopulus, prægrandis eſt, & in diverſa *Saxa*, ſub undis latitantia, ſeſe extẽdit: quæ Oceanum Chronologicum valdè infeſtum reddunt.

In 1. Saxum incidunt omnes illi, qui initium Hebdomadum Danielis, cum Edicto Cyri Monarchæ, de reditu Judæorum ex Babylone, connectunt; & in eo Edicto principium dictarum Hebdomadum figunt & firmant. Hujusque ſuæ connexionis rationem ſequentibus probare ſatagunt argumentis.

1. Primùm producunt Danielis cap. 9. v. 25. & hunc verſiculum ad Edictum illud Cyri accommodare annitũtur. Dici autem vix poteſt, quàm miſerè eum verſiculum diverſis ſuis verſionibus & interpretationibus excrucient & agitent. Modò ita vertunt verba Hebraica: *Igitur cognoſcito, ab eductione Populi, &c.* Mox à dictâ verſione reſiliunt, & ita reddunt: *Ab egreſſu verbi de reducendo Populo, &c.* Mox aliã atque aliam proferunt interpretationem. Quâ ſuâ titubatione quid aliud agunt, quàm quòd lubricitatem & incertitudinem propriæ cauſæ produnt? 1.

Reſpondeo igitur: in Hebraico textu, de reducendo Populo, ne ſyllabam, nedum verbum ullum ineſſe. Verba namq; verſiculi iſtius, in fontibus ſuis nihil aliud deſignãt, quàm hoc: *Igitur cognoſcito & intelligito, ab enuntiatione verbi de reſtaurandis & ædificandis Ieruſchalaimis, &c.* uti Tremellius & Junius rectè, Hebraicis fontibus inſiſtentes, à principio verterunt. Aliæ verſiones habent: *Ab egreſſu, vel eductione verbi, de reædificandis Hieroſolymis, &c.* quæ in-

terpretatio non ita incongrua eſt. Sed neutra iſta Nautarum noſtrorum connexioni patrocinatur. Ubi enim, in Edicto Cyri, de reædificandâ urbe Hieroſolymâ, ulla ſpecialis mentio? quæ tamen fundamentum, in dicto verſ. cap. 9. Danielis eſt.

2. 2. Prætendunt: Continuam temporum ſeriem & hiſtoriam, ab Adamo ad Chriſtum, niſi hæc connexio initii Hebdomadum cum Edicto Cyri retineatur, non poſſe ex Sacris demonſtrari.

Reſpondeo: nihil detrahi S. Scripturæ, & ejus auctoritati; quamvis concedatur totũ argumentum, & ſtatuatur, in hiſtoriâ ſacrâ continuam annorum ſeriem uſq; ad Chriſtum non poſſe dari, ſed eam poſt reditũ ex Babylone deficere: præſertim tùm, cùm Perſæ rerum potiti ſunt. Nihilominùs illa ſufficiens eſt, & omnia continet, quæ nobis ad ſalutem ſunt neceſſaria. 2. ad Timoth. cap. 3. verſ. 15. 16. & 17.

3. 3. Inſtant: ſi hæc connexio principii Hebdomadum Danielis, cum Edicto Cyri, non acceptetur; ad hiſtoriam rerum Perſicarum neceſſariò eſſe recurrendum, & hiſtoriam Sacram ex eâ ſupplendam. quæ tamen hiſtoria cùm incerta & lubrica ſit, & in numero Regum, & annis quibus regnarunt, maximè variet: nihil certi ex ea haberi poſſe.

Hæc duo proximè præcedentia argumenta, jam ſuprà, in præcedente Scopulo IX. Perſico, propoſita & refutata ſunt: quò proindè Lectorem hîc remittimus.

4. 4. Noſtri nautæ ita argumentãtur: niſi connexio Hebdomadum cum Edicto Cyri recipiatur; & Daniel ad Edictum aliquod remotius, quod ipſe vitâ ſuâ aſſecutus non ſit, ab Angelo remiſſus fuerit: tum neque Angelum ſcopum ſuum, in conſolando Daniele, fuiſſe aſſecutũ, id quod non ſit ſtatuendum, vel cogitandum. Danielem enim, cùm de ædificandâ & reſtaurandâ Hieroſolymâ anxius eſſet, & quia adverſarii Populum reducem in ædificandâ urbe impedirent, preces ad Deum funderet, minimè ab Angelo

conſo-

conſolationem accepturum fuiſſe: ſi Angelus illum ad aliud Edictum, poſt annos demum 89. id eſt, anno 20. Artaxerxis Longimani, publicandum, remiſiſſet.

Reſpondeo: egreſſum verbi, ſine dubio, non de Edicto aliquo jam publicato, quale fuit Cyri Edictum de reditu Populi ex Babylone; ſed de aliquo in futurum adhuc publicando, intellexiſſe Angelum: ut patet ex mandati ejus verbis, quæ ſunt Imperativi modi, futuri temporis; *Cognoſcito & intelligito.* Ergo egreſſus verbi, non de Edicto Cyri eſt intelligendus.

Secundò dico: Primi Parentes, Adam & Eva, in Paradiſo; Abraham item, Moyſes, & David, in Dei promiſſionibus de benedicto Semine, hoc modo nullam conſolationem inveniſſent; cùm Chriſtus, poſt aliquot demum millia annorum, nullo ipſis certo tempore definito, fuiſſet exhibēdus. Ita autem videmus, conſolationem, quam primi Parentes, & omnes alii fideles, ex promiſſionibus divinis ſibi applicarunt, non in promptâ illarum & præſenti vel ſubitaneâ præſtatione conſtitiſſe; ſed in ipsâ veritate & certitudine earundem. Sic etiam Daniel abundè conſolationis ſenſit, poſtquàm ab Angelo intellexit, aliud Edictum adhuc publicatum iri, de urbe ſacrâ ejusque plateis & foſſis certò reſtaurandis ac reparandis: & ſimul intellexit determinationem temporis certi, quo per Chriſti paſſionem & mortem peccatum abolendum, & ſalus toti Populo humano conferenda foret: quamvis ipſum non latuerit, ſe adimpletionem utriusque promiſſionis illius vitâ ſuâ non aſſecuturum. Atque ita etiam nihil hoc argumento ſuo noſtri Nautæ profecēre.

5. Tali argumento falſam ſuam connexionem Hebdomadum Danielis, cum Cyri Edicto, ſtabilire annituntur. 5.
Duo tantùm in Sacris *Duces* Populi Judaici, indè à reditu ex Babylone, uſq; ad finem Monarchiæ Perſicæ, commemorantur; nempe Zorobabel, & Nehemias. Exindè con-

cludunt, illam connexionem Hebdomadum Danielis, & id principium illarum, magis convenire etiam toti hiſtoriæ Sacræ: ſiquidem ita arctior periodus Monarchiæ Perſicæ determinetur; quàm ſi laxior periodus detur. Quod autem Nehemias tempora Alexandri Magni attigerit, & ſic finem Monarchiæ Perſicæ, ex Joſepho, lib. 11. Antiquitat. cap. 8. probant: ubi is Jadduam, ſummum Sacerdotem, Alexandro obviàm proceſſiſſe, ſcribit. Cùm autem hujus Jadduæ meminerit Nehemias, libro ſuo cap. 12. verſ. 10. ex eo concludunt noſtri Nautæ, eum Joſephi Jadduam, Nehemiæ quoque Jadduam eſſe.

Reſpondeo: imbecille & infirmum argumentum ducicitur, à Jadduâ, qui in libro Nehemiæ commemoratur, ad Jadduam Joſephi. Ex ſacris quidem manifeſtum eſt, & extra dubium; Munus Sacerdotale, ut & nomina ipſa, à Parentibus in filios, & ab avis in nepotes, propagata & cõtinuata fuiſſe. Unde etiam probabile eſt, Jadduam Sacerdotem, qui tempora Alexandri attigerit, prioris Jadduæ, quem Nehemias commemorat, vel filium, vel nepotem fuiſſe. Ex nudo autem nomine Jadduæ, ſine adminiculo ullius textus ſacri, probari non poteſt, Nehemiam tempora Alexandri attigiſſe. Potuit Nehemias in captivitate Babylonicâ natus fuiſſe: quamvis enim, in reditu ex Babylone, Zorobabeli jungatur; nuſquam tamen legitur, Nehemiam Zorobabelem ætate æquâſſe. Itaq; nihil rari vel miri eſſet, ſi uſq; ad tempora Artaxerxis Longimani vitam produxiſſet, & uſq; ad ejus regni finem continuâſſet. ut ita hoc argumento, à paucitate Ducum Populi ducto, nihil promoveãt cauſam ſuam Nautæ noſtri.

6. 6. Pro ſtabiliendâ ſuâ falsâ connexione Hebdomadum Danielis, cum Edicto Cyri, iidem ejusmodi nobis proponunt argumentum. Illa connexio Hebdomadum maximè probanda & recipienda eſt, ex quâ 46. anni ædificati Templi, Joannis 2. cap. verſ. 20. commemorati, adſtipulante Oraculo Angelico, Dan. 9. cap. verſ. 25. poſſunt demonſtrari.

ſtrari. Idq; probant hoc modo. Dicto loco Danielis determinantur 7. Septimanæ, in quibus Templũ erat exædificandum; qui conficiunt 46. annos: & illæ 7. Hebdomades expreſsè à 62. reliquis Septimanis diſcernũtur. Deinde ajunt, 3. anno Cyri, jactis fundamentis Templi, ejus exædificationem, uſq; ad Darii Nothi annum ſecundũ, fuiſſe impeditam: Eſdræ cap. 4. verſ. 5. & anno ejusdem 6. corpus ædificii aliquo modo abſolutum; eodem lib. cap. 6. v. 15. ſed anno Artaxerxis Mnemonis 32. totum ædificiũ Templi, ab Eſdrâ & Nehemiâ Hieroſolymam redeuntibus, ad perfectionem fuiſſe perductum. Eſdræ cap. 7. in principio, & Nehemiæ cap. 2. verſ. 8. Inter annum autem ſecundum Darii Nothi, & 32. Artaxerxis Mnemonis, præcisè 46. annorum diſtantiam eſſe.

Reſpondeo: jejunum & puerile argumentum hoc eſſe. Nam primò, in cap. 9. Danielis, ne unicum jota de ædificando Templo exſtat: neq; 7. Septimanæ, Templi ratione, vel ejus causâ, à reliquis 62. Septimanis ſeparantur. Nec 7. Septimanæ 46. annos conficerent, qui apud Johannem Euangeliſtam leguntur: ſed 49. Ergo locus iſte, ex cap. Johan. 2. hîc allegatus, nihil ad hoc Nautarum argumentum facit. Taceo, quòd productos textus libri Eſdræ, contra conſenſum S. Scripturæ & Eccleſiæ, malè invertant: & pro Dario Hyſtaſpis, Darium Nothum; & pro Artaxerxe Longimano, Artaxerxem Mnemonem nobis ſupponãt. cùm ex circumſtantiis hiſtoriæ Eſdræ, iis locis manifeſtum ſit, eum de Dario Hyſtaſpis & Artaxerxe Longimano loqui; utpotè temporibus Cyri & Zorobabelis (cujus, capite 3. & 5. in eodem contextu, & eâdem hiſtoriâ, aliquoties meminit) proximioribus. Quod hîc prætendunt, eum Darium intelligendum, qui inter duos Artaxerxes ſit medius; elumbe argumentum eſt; cui inferiùs paulò, in quarto Saxo, reſpondebitur. Ita igitur hoc 6. argumento nihil evicerunt, pro ſtabiliendâ ſuâ connexione erroneâ; non magis, quàm quinq; præcedentibus.

Ad hujus igitur Scopuli primum Saxum alliſi ſunt; *Matthæus Beroaldus* Gallus, *Hugo Bruchtonius* Anglus, & *David Pareus*, Doctor Palatinus. Atq; hactenus de primo Saxo hujus X. Scopuli.

In II. Saxum hujus Scopuli plenis velis ferũtur omnes illi, qui principium Hebdomadum Danielis, ad annum ſecundũ Darii Achmenidis, filii Hyſtaſpis, alligant, in eoq; firmant; ſuamq; alligationem hoc argumento nobis perſuadere & probare annituntur: Danielem, cap. 9. verſ. 25. ab Angelo remitti ad egreſſum verbi de ædificando, &c. Egreſſum autem iſtius verbi, non de alio Edicto poſſe intelligi, quàm de eo, quod Darius Achmenidis, Hyſtaſpis filius, anno regni 2. promulgavit: quo mandavit exædificationem Templi, domûs Domini, & renovationem vel reſtitutionem ſacrificiorum.

Reſpondeo: in dicto verſiculo Angelus remittit Danielem ad enũtiationem verbi de ædificandis & reſtaurandis Hieroſolymis. De reditu Populi, vel ædificando Tẽplo, vel domo Domini, ne ſyllaba quidem vel verbum ullum. Edictũ Darii Hyſtaſpis, eſt tantùm renovatio Edicti Cyri: quod ex Eſdrâ, cap. 6. manifeſtum eſt. Ergo hic verſ. 25. cap. 9. Danielis de aliquo alio Edicto; non de hoc intelligẽdus. In eo tamen aſſentimur noſtris Nautis: quòd Edictũ hoc, de ædificando Templo, Dario Hyſtaſpis filio tribuãt; & nõ Dario Notho aſſcribant, ut quidam faciunt. Interim tamen hoc Edictum principio Hebdomadum Danielis non congruit.

In III. Saxum hujus ultimi Scopuli incurrunt omnes ii, qui enuntiationem verbi, vel ejus egreſſum, in Edicto Artaxerxis Longimani, anno regni ejus ſeptimo, Eſdræ ſacerdoti indulto, (Eſdræ cap. 7. verſ. 8.) figunt, & indè initium Hebdomadum Danielis dinumerant: idque his argumentis evincere annituntur. Ab eo Edicto initium Hebdomadum Danielis eſt deducendum, in quo hæc ſequentia mandantur & conceduntur: 1. Reductio Populi; 2. Reſtitutio & renovatio ſacrificiorum; 3. Suppeditatio

peditatio ſumptuum ad ſacrificia perficienda; 4. Vaſa ſacra ex theſauro regio; 5. Reſtauratio Politię Judaicæ,& ordinatio Judicum. Hæc autem omnia iſto Edicto cõprehenduntur, Eſdræ cap.7.& 8. Hic inquiunt & concludunt noſtri Nautę: cùm nullũ Edictum ſit magis plenum, vel pro Judæis magis favorabile, quàm hoc Artaxerxis anni 7. Ergo de hac enuntiatione verbi Angelum (Dan.9.) ſenſiſſe.

Reſpondeo: In dicto oraculo Angelico Danielis, nec de reductione agitur, quæ tempore Cyri peracta eſt, in reditu illo Populi Judaici univerſali: (nam Eſdras, tempore Artaxerxis Longimani, tantùm reliquias paucarũ familiarum reduxit; ut ex collatione numerorũ, à Zorobabele & Eſdrâ reductorum, manifeſtè apparebit) nec de Sacrificiis reſtituendis; ſed è contrario de iis abolendis: Dan.cap.9. verſ.25.& 27. nec de exhibitione Sacrorum inſtrumentorum; minùs de reſtauratione Politię Judaicæ: ſed contrà de diſſipatione civitatis, ejus vaſtitate & deſolatione inſecuturâ, poſt finem 70. hebdomadum, quædam commemorat Angelus. Verum quidẽ eſt, Nautas iſtos verſione propriâ, quam loco Vulgatæ ſupponunt, verba iſtius verſiculi ita reddidiſſe, ut ad Edictũ illud Artaxerxis anni 7. aliquo modo videãtur eſſe accommodata. Verùm hoc non eſt interpretari; ſed S.Scripturæ vim inferre. Tremellius & Junius, & quotquot veritatem fontium Hebraicorũ ſectati ſunt, ita vertũt: *Igitur cognoſcito & intelligito, ab enuntiatione verbi, de reſtituendis & ædificãdis Hieroſolymis, &c.* Hîc judicet Lector, quâ fronte & fide Nautæ iſti principium hebdomadũ Danielis, in hoc Edicto Artaxerxis anni 7. firmẽt & conſtituãt.

In hoc igitur Saxum invecti & damnum paſſi ſunt; *Iohannes Funccius* Boruſſus, *Abraham Bucholzerus* Sileſius, & alii.

Ad IV. Saxum hujus Scopuli ultimi periclitantur, & incurrunt omnes illi, qui egreſſum verbi (Danielis 9. verſic.25. de Edicto quodam Darii Nothi, Perſarum Regis, ſecundo ejus regni anno evulgato, intelligunt; & in eo Edicto principium 70. hebdomadum Danielis firmant

&

& conſtituunt. Hoc Saxum aliquo modo ſuperioribus primo & ſecundo ſimile eſt,& de utroque participat; in fine altiùs aliquo modo ſeſe effert: ita tamen, ut undis tectum maneat, quò faciliùs incautos Nautas decipiat. His verò argumentis erroneum ſuum principium Hebdomodum ſtabilire annituntur. I. Allegant nobis Darii annum ſecundum; Eſdræ cap.6. eundemque Darium Nothum eſſe, mordicùs defendunt & aſſeverant. II. Ut primum iſtud obtineant; dicunt, in oraculo Angelico, Dan. 9.verſ.25. fieri expreſſam mentionem verbi de ædificando: dicto autem cap.6. Eſdræ Edictum proponi de ædificandâ domo Domini. Undè inferunt, hoc Edictum oraculo Angelico convenire, & indè principium Hebdomadum exordiendum eſſe. III. Aſſeverant, Darium Eſdræ cap.6. alium eſſe non poſſe, quam Darium Nothum: quia nullus alius Darius inter duos Artaxerxes, qualem Eſdras dicto cap.6. deſcribit, reperiatur. IV. Urgent iſti Nautę: in cujus Regis Edicto repræſentantur 7. Septimanæ, à 62. Septimanis ſeparatæ, & ædificio Templi præfinitæ, Dan.9. verſ.25. correſpondentibus annis ædificationis Templi 46. in Euangeliſtâ Johanne cap.2. verſ.20. commemoratis; id eſſe verum illud Edictum, à quo Hebdomades Danielis exordiendæ. Ab Edicto autem & anno 2. Darii Nothi, quo Templi ædificium fuit reſtauratum, uſque ad annum 32. Artaxerxis Mnemonis, intercedunt præcisè 49. anni.

Hæc quatuor argumenta, in primo & ſecundo Saxo jam antè propoſita, & reſponſionibus noſtris jugulata ſunt. Eò Lectorem quoq; remittimus. Sed ne quid tamen ille deſideret ampliùs: hîc etiam ad I. & II. reſpondemus: Cap.6. Eſdræ, Darium jungi Cyro & Zorobabeli; uti ex cap. 3. & 6. Eſdræ manifeſtum eſt. id quod Darii Nothi tempori minimè convenit.

Atq; hîc ferè nihil habent, quod reſpondeant Nautæ; niſi quòd dicant, & mordicùs defendant, Darium Eſdræ eſſe Darium Nothum: eò quòd Darius ille Eſdræ, inter duos

duos Artaxerxes, qualis quidē ab Eſdrâ deſcribitur, reperiatur. Ad quod nos reſpondemus: etiam Darium Hyſtaſpis, inter Cambyſen, (qui & Artaxata nominatur, Eſdræ cap. 4. verſ. 7. & 11.) & Artaxerxem Longimanū, reperiri.

Ad 2. reſpondemus: in cap. 9. Dan. verſ. 25. de ædificandis Hieroſolymis quidē Angelum meminiſſe; at de ædificando templo verbum nullum: econtrà autem diſſipationem Sanctuarii expreſsè denuntiare, verſ. 26.

Ad 3. jam ſuprà reſponſum eſt ſatis.

Ad 4. reſpondemus etiam, ut in 2. argumento; nihil in oraculo Angelico de exædificando templo reperiri: & ſimul repetimus reſponſionem noſtram, quâ confecimus & jugulavimus Saxi primi 6. argumentum; quò Lectorem remittimus, odioſam repetitionem evitantes. Superioribus iſta tantùm addimus; ut in omnibus Lectori ſatisfiat. Dicimus igitur, à 6. anno Darii Hyſtaſpis, quo anno corpus Templi, & ædificiū ipſum quidem abſolutum & completum, uſque ad 6. annum regni Artaxerxis Longimani, ex quo is Rex à patre declaratus eſt, & quo Templum, liberalitate iſtius Regis ad perfectionem fuit perductum, additis neceſſariis ædificiis, cellis & porticibus, numerari præcisè 46. annos; qui in perficiendo Templo, & omnibus ejus ædificiis & pertinentiis, à 6. anno Darii Hyſtaſpis, uſq; ad 6. Artaxerxis Longimani, fuerunt inſumpti: prout Judæi Chriſto objiciunt, Johannis cap. 2. verſ. 20.

5. Si illis opponatur Propheta Zacharias, cap. 1. in principio, & verſ. 12. ubi, in precibus ſuis, 70. annorum captivitatis Babylonicæ adhuc meminit; &, ut Deum ad miſericordiam flectat, in memoriam revocat, tempus iræ ipſius 70. annorum captivitatis Babylonicæ jam eſſe elapſum. id quod de Dario Notho intelligi nō poteſt. Reſpondent noſtri nautæ: Zachariam ibi de aliis 70. annis, fortè impediti ædificii Templi, vel alterius calamitatis, loqui. 5.

6. Si illis tandem objiciatur Propheta Aggæus, cap. 2. verſ. 4. Populum Judaicum hac oratione alloquēs: *Quis in*

vobis eſt relictus, qui vidit domum iſtam in ſuâ gloriâ primâ? &c. Quod de tempore Darii Nothi non poteſt accipi; neque ei Regi congruit. Ad hunc Prophetæ locum dicunt, & eum ita interpretantur, ac ſi Prophetæ ſententia hæc eſſet: *Quis inter vos eſt, qui ſi domum in primâ ſuâ gloriâ vidiſſet, &c.* Non aliter ac Chriſtus dicit in parabolâ de Ovibus. Lucę cap. 15. verſ. 4. *Quis inter vos eſt, qui centum oves habet? &c.* Hoc ſenſu etiam Aggæum dixiſſe ajunt; ſi ex vobis adhuc ſuperſtes eſſet, qui primam domum in primâ ſuâ gloriâ vidiſſet: non quòd quiſquam eo tempore ſuperſtes fuerit. Quod etiam de tempore Darii Nothi dictum eſſe poſſit. Quis verò ſic non laudet eximiam hanc iſtorũ Nautarum Theologiam; quâ Sacram Scripturam in modũ naſi cerei, ad obtinendum ſuum confictum & erroneum principiũ hebdomadum Danielis, huc & illuc pro libitu inflectunt?

Reſponſ. ad locum Zachariæ. Ad 5. igitur, & reſponſionem Nautarum ad locũ Prophetæ Zachariæ, quod attinet; inſpiciantur revelationes univerſæ iſtius Prophetiæ: & manifeſtè apparebit, resque ipſa demonſtrabit, Zachariam Prophetam, tempore Darii Hyſtaſpis, temporibus Cyri & Zorobabelis proximo, cum Aggæo & Malachiâ Prophetis vixiſſe, & Populo Judaico concionatum fuiſſe.

Reſponſ. ad locum Aggæi. Ad 6. & ad reſponſionem Nautarum ad locum Aggæi Prophetæ, replicamus: verba ipſa ejus 4. verſiculi, cap. 2. apud dictum Prophetam, in fontibus, quos Tremellii & Junii verſio latina ad vivum repræſentat, hujusmodi eſſe: *Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloriâ ſuâ primâ? &c.* Nullibi verbum hîc ſubſtantivum Subjunctivi modi, in tempore Imperfecto, cum particulâ conditionali: *Si eſſet in vobis relictus, &c.* uti Nautæ iſti ſomniãt. Jam tempore Darii Nothi nullus potuit eſſe ſuperſtes vel relictus, qui vidiſſet domum primam; niſi qui ſuperâſſet annũ ætatis ducenteſimum. Nam Excidium Hieroſolymitanum, præceſſit annum 2. Darii Nothi, annis 185. Quid multis? Eccleſia omni tempore, Prophetarum Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ

Malachiæ tempora, ad tertii Regis in Monarchiâ Perſicâ tempora retulit, ſcil. Darii Hyſtaſpis; utpote fini 70. annorum captivitatis Babylonicæ, & reditui Judæorum ex eâdem, proximiora. Sed hoc feſtivum eſt, at nullâ reſponſione dignum; quòd Nautæ locum allegatum Aggæi Prophetæ, cap. 2. verſ. 4. in modum Parabolæ accipiunt, & eodem ſenſu verba illius interpretantur, ac ſi Chriſtus Lucæ 15. cap. dicat: *Quis inter vos eſt, qui centum oves habeat? &c.* eodem modo etiam Prophetā Aggæum dicto loco: *Quis in vobis eſt, qui hanc domum in primâ ſuâ gloriâ, &c.* Itaque reſponſiones noſtrorum Nautarum, ad locos Prophetarum ſuprà allegatorum, evaneſcunt, & in fumum abeunt.

6. & ultimò, ad tuendam ſuam falſam & erroneam alligationem principii Hebdomadum Danielis, cum verſ. 25. cap. 9. Danielis, in anno 2. Darii Nothi, tali utuntur argumento, & eo contra veram alligationem ita inſurgunt. Illa alligatio principii Hebdomadum Danielis eſt vera, cujus finis præciſè in devaſtationem & excidium ultimum, urbi Hieroſolymitanæ & Judaicæ Politiæ à Romanis ſub Tito Veſpaſiano illatum, exit & deſinit. Alligatio autem dictarum Hebdomadum, in anno 2. Darii Nothi fixa, finem ſuū ſortitur in dicto excidio, & devaſtatione ultimâ Urbis & Politiæ Hieroſolymitanæ. Ergo hæc alligatio Hebdomadum eſt vera, & omnibus aliis præferenda. 6.

Majorem fundant in verſ. 26. cap. 9. Danielis; in verbis, *Populum anteceſſoris venturum, &c.*

Minorem probant ex propriâ illorum Temporum diſpoſitione: atque ita petunt principium. de eorum enim temporum diſpoſitione diſputatur adhuc, veráne ſit, an falſa.

Reſpondeo igitur, negando Majorem. Imò ex oraculo Angelico demonſtratur contrarium; videlicet, medium ultimæ hebdomadis coincidere cum paſſione & morte Domini noſtri Jeſu Chriſti. In dicto enim cap. 9. Danielis, v. 26. 27. ſcriptum eſt: *Poſt ſeptimanas ſeptem & ſexaginta-*

duas, id eſt, poſt Hebdomadas 69.) *in medio ultima* (poſt annos ſcil. 486. & 6. menſes) *in medio inquam ultima ſeptimana, exſcindetur Chriſtus, &c. & eâ Septimanâ corroborabit multis fœdus, & abolebit juge vel ordinarium ſacrificium.* De quâ re infrà, in fine Hebdomadum, & de eorum exitu, pluribus differetur. Sufficit hîc, ex verbis Angeli apud Danielem demonſtrâſſe, finem Hebdomadum Danielis, uſq; ad ultimam devaſtationem Hieroſolymitanam, ſub Tito Veſpaſiano urbi & genti Judaicæ illatam, nō pervenire, neque eò uſque pertingere; ſed 3. anno poſt reſurrectionem & aſſcenſionem Chriſti in cœlum, dictas Hebdomadas finem ſuum conſecutas eſſe, ante caſum Judæorum, & expugnationē Urbis per Titum Veſpaſianum, triginta-duobus annis. Quamvis enim devaſtationis & prophanationis, in oraculo Angelico, quædam mentio injiciatur & fiat; non tamen ex textu ipſo demonſtrari poteſt, 70. hebdomamadas eò referendas eſſe, vel ad dictam devaſtationem extendi debere.

Atque hæc ſunt argumenta & rationes, quę Nautas iſtos in hoc 4. Saxum hujus ultimi Scopuli pertraxerūt, & ſeduxerunt. Ita autem ſeduci ſe paſſi ſunt; *Joſephus Scaliger*, vir alioqui in omni ſcientiarum genere exercitatiſſimus, & de bonis litteris optimè meritus, niſi quòd in Temporū compoſitione infeliciſſimus fuit; & qui ejus veſtigia ſecutus eſt, *Sethus Calviſius*, Muſicus Lipſenſis. Ubi ſilentio nō prætereundum; hanc alligationem principii Hebdomadum Danielis, ad 2. annum Darii Nothi, plerorumque omnium animis hodie ita infixam eſſe, ut in omnes ferè editiones Bibliorum diverſarum linguarum irrepſerit. Quàm autem ea ſit falſa & erronea, in detectione hujus Saxi ſufficienter (uti ſpero) demonſtratum eſt. Reſtat jam, ut veram directionem Magnetis, quâ ratione infeſtiſſimus hic decimus Scopulus, tot Saxis formidabilis, evitetur, Lectori exhibeamus.

DIRE-

DIRECTIO VERI MAGNETIS,
quâ ratione hic 10. Scopulus evitetur.

Hic X. Scopulus evitatur: Si principium Hebdomadum Danielis, in 20. anno *Artaxerxis Longimani*, ex quo is Rex à patre Xerxe nominatus fuit, firmetur & ſtabiliatur. Id quod ex ſubſequentibus argumentis manifeſtum erit, & per ea demonſtrabitur.

I. I. *Ex ipſo textu*, Dan.cap.9. verſ.24. & ſeqq. Fontes Hebraici, & verſiones, quæ ad dictos fontes quàm-proximè accedũt, (qualis eſt inter alias Latina Emanuelis Tremellii & Franciſci Junii, & ſimiles) hæc habent verba: *Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ſuper Populum tuum, & ſuper Civitatem ſanctam tuam, &c. Igitur cognoſcito & intelligito, ab enuntiatione verbi de reſtituendis & ædificandis Hieroſolymis, uſq; ad Chriſtum anteceſſorem, fore Septimanas ſeptem, deinde Septimanas ſexaginta duas: poſt quas exciſo Chriſto, cùm nihil erit ipſi; &c. Corroborabit quidem fœdus multis Septimanâ unâ: ſed in medio Septimanæ ipſius abolebit ſacrificiũ & munus, &c.* Ex quibus verbis aliud colligi non poteſt, quàm 70. hebdomades Danielis initium ſuum habituras ab eo Edicto, quo exædificatio Urbis, platearum & foſſarum, ſive reparatio rupturarum, mœniorum & portarum ejus, mandabitur. quale Edictum Artaxerxes Longimanus, anno regni ſui vigeſimo, ex quo Rex à patre Xerxe declaratus eſt, ad preces Nehemiæ, publicavit. Præcipuè enim Nehemias, de muro civitatis Hieroſolymitanæ diſrupto, & portis igne conſumtis & concrematis, apud Regem conqueſtus eſt. Nehemiæ cap.1. verſ.3. & cap.2. verſic. eodem. Itaque Rex ipſi Edictum, precibus ſuis conforme, conceſſit. Antecedentia Edicta omnia Judæis indulta, & in eorum favorem publicata, (ut Cyri, Darii Hyſtaſpis, Artaxerxis Longimani, anno ejus regni ſeptimo) fuerunt de reditu Judæorum in patriam libero; de ædificandâ domo Domini; de ſacrificiis reſtituendis; de Politiâ ipſorum reſtaurandâ.

De *Urbe* autem reædificandâ, de muris & portis reficiendis, in quo hoc ſpecialiter mandetur, nullum aliud invenitur, niſi hoc, anno 20. Artaxerxis publicatum. Ergo non ampliùs eſt dubitandum, quin Angelus apud Danielem de hoc Edicto ſenſerit; & initium 70. hebdomadum Danielis, in ipsâ publicatione hujus Edicti, firmandum; & 70. hebdomades annorum, id eſt, 490. anni iis æquipollentes, indè deducendi.

II. II. Omnium prophetiarum, ſub certo & præfinito tempore promiſſarum, & jam adimpletarum & præſtitarum, optimus interpres eſt *Eventus*, & exhibitio ipſa. Septuaginta hebdomades, in annos reſolutæ, conficiunt 490. annos: harumque hebdomadum finis præfinitus eſt, paucis annis poſt excisionē, hoc eſt, paſſionem & mortem Chriſti. Verba enim oraculi apud Danielem, dicto cap. 9. verſ. 25. expreſsè deſignant medium ultimæ hebdomadis: quod medium incidit in annum 487. ita ut 486. anni completi hoc medium præceſſerint. Jam notorium & extra omnem controverſiam eſt, Chriſtum, redemtorem noſtrum, mortem crucis ſubiiſſe anno Tiberii Imperatoris vigeſimo, S. Sulpitio Galbâ & L. Cornelio Sullâ Coſſ. A cujus anni Januario excluſivè, 69. Septimanæ & dimidia, id eſt, anni 486. & ſex menſes, retrò in præcedentia, per annos Imperatorum Romanorum, Regum Aegyptiorum, Macedonum, & Perſarum Monarcharum, numerati, & in anteriora revoluti, ſuum principium præcisè in anno vigeſimo Artaxerxis Longimani, Perſarum Monarchæ, ſortiuntur; & in eo anno, principium 70. hebdomadum Danielis, tanquam digito commonſtrant. Id quod ex ſequentibus argumentis evidentiùs adhuc elucefcet, ac pleniùs demonſtrabitur.

III. III. Ex hiſtoriâ communi, ſuperius principium Hebdomadum Danielis, in anno vigeſimo Artaxerxis Longimani, per convenientem diſtantiam 486. annorum, ab anno 20. Tiberii Imperatoris, & Conſulatu S. Galbæ & L. Sullæ, in

in Principum & Regum annis, qui ſibi invicem in diverſis regnis immediatè ſucceſſerunt, apparet. id quod in ſequenti Diagrammate, & Catalogo Regum & Principum, oculis inſpiciendum proponitur. Ubi hoc loco obſervandum; ab ultimo omnium hîc commemoratorum Principum ſurſum in anteriora aſſcendi; & initium cujusque numeri, eſſe ultimum diem ultimi anni; & finem omnium numerorum, deſinere in Januario 1. anni Principis ejus, cui numerus ille junctus eſt. Ut exempli gratiâ: octodecim anni Imperatoris Tiberii, ab ultimo die anni 19. ejus, vel Januario anni 20. excluſivè, initium ſumunt; deſinentes in primum diem Januarii, ejusdem Imperatoris Tiberii. Quadraginta-tres anni Auguſto Imperatori attributi, initium habent in ultimo ejus anni die, quo is mortuus eſt; & deſinunt in Januario ejus anni, quo, victâ Cleopatrâ & Antonio ad Actium, ſolus rerum potitus eſt, qui ejus primus annus in Imperio fuit. Idem de viginti & uno annis Cleopatræ eſt intelligendum: cujus numeri initium eſt in ultimo die ultimi anni, quo victa Cleopatra ad Actium, Auguſto Imperatori Regnum Aegypti cedere coacta fuit, & ſibi mortem conſcivit; deſinente eodem numero in Januario anni primi ſui, quo ea in regno Aegypti ſucceſſit. Ita in omnibus numeris, ab inferioribus ad ſuperiores fit progreſſus, uſque-quò ad Januarium anni vigeſimi Artaxerxis Longimani Perſæ perveniatur; & in eo principium, tam ſeptuaginta Hebdomadum Danielis, quàm annorum 486, à cruce Chriſti deductorum, demonſtretur.

DEMONSTRATIO, QUOD LXIX. HEBDOmades, & dimidia ultima, id eſt, anni CCCCLXXXVI, à morte & cruce Chriſti, in anteriora dinumerati, præcisè in annum XX. Artaxerxis Longimani, principio ſuo incidant; indeq; in poſteriora finiantur.

Imperatores Rom. An.

Tiberius Imperator, 19.
Auguſtus Imperator, 43.

Reges Ægyptii.

Cleopatra Regina Ægypti, 21.
Ptolemæus Auletes, Rex Ægypti, 31.
Ptol. Lathurus reſtitutus, 8.
Alexandra, Regina Ægypti, 11.
Ptol. Lathuri primi anni 14.
Ptol. Evergetes, Rex Ægypti, 29.
Ptol. Philometor Rex Ægypti, 36.
Ptol. Epiphanes, Rex Ægypti, 23.
Ptol. Philopator, Rex Ægypti, 16.
Ptol. Evergetes, Rex Ægypti, 27.
Ptol. Philadelphus, Rex Ægypti, 37.
Ptol. Lagus, Rex Ægypti, 38.

Macedoniæ Monarcha. An.

Alexander Magnus, victo Dario ad Arbelam, 7.
Interregnum poſt ejus obitum, 1.

Reges Perſici.

Darius Codomannus, Rex Perſarum, 6.
Arſes, Rex Perſarum, 3.
Ochus, Rex Perſarum, 23.
Artaxerxes Mnemon, Rex Perſarum, 43.
Darius Nothus, Rex Perſarum, 19.
Xerxes Junior, & Sogdonianus, 2.
Ab ultimo die ultimi anni Artaxerxis Longimani, Regis Perſici, ad Januarium anni ejus vigeſimi, 19.

Summa omnium annorum, collectorum indè à morte & cruce Chriſti, & Conſulatu Galbæ & Sullæ, & 20. anni Tiberii Imperatoris, excluſivè, annorum eſt 486.

Ita

Ita ex Annalibus Principum, Regum & Monarcharũ, in anteriora ſurſum aſſcendendo, à Galbæ & Sullæ Conſulatu, & 20. anno Imperatoris Tiberii, demonſtratum eſt, *69.* hebdomadas, cum dimidiâ ultimæ, quæ conficiunt præcisè 486. annos & *6.* menſes, cum ſuo principio communi, ad amuſſim incidere in annum vigeſimũ Artaxerxis Longimani, Monarchæ Perſarum; id quod erat demonſtrandum: atq; ita in eo anno 20. Artaxerxis Longimani principium 70. hebdomadum Danielis benè fixum eſſe.

IV. Hæc incidentia principii Hebdomadum Danielis, & initium 486. annorum indè à morte Chriſti, & anno 20. Tiberii, & Conſulatu Sergii Sulpitii Galbæ & Cornelii Sullæ, in anteriora computatorum, in annum 20. Artaxerxis Longimani, ex quo à patre Rex declaratus eſt; etiam ex *Cæli motibus* demonſtratur, per conſignationem ſequentium motuum cœleſtium, à probatiſſimis Scriptoribus obſervatorum. IV.

Hîc quia ſimiliter ab inferioribus ad ſuperiora aſſcenditur, anni Principum intelliguntur, à Januario ejusdem anni excluſivè, ad Januarium 1. anni incluſivè. Sic anni 19. Tiberii, initium habent à Januario anni ejus 20. excluſivè, ad Januarium ejus 1. anni incluſivè; ubi hic numerus deſinit. Ita anni 43. Auguſti, initium habent ab ultimo die ultimi anni Auguſti, & Januario 1. anni Tiberii incluſivè: & deſinũt in Januario anni victoriæ Auguſti Imperatoris Actiacæ; quo anno Auguſtus, victo Antonio, ſolus rerum potitus eſt, & qui ejus in Imperio primus fuit incluſivè. Ita anni 299. & dies 102. initium habent à Januario dictæ victoriæ anni, quo Auguſtus Imperator rerum ad Actium potitus eſt, excluſivè: & deſinunt in ipſo die Eclipſeos Lunæ, quæ decem dies Victoriam Alexandri Magni Arbelianam præceſſit. Tempora, quæ ab Eclipſi incipiunt, vel in Eclipſi deſinunt, ab ipſis diebus, in quos Eclipſes inciderunt, incipiunt vel deſinunt. Ita 100. anni, & 149. dies, initium in ipſa ſupradictâ Eclipſi Alexandrinâ Arbelianâ,

ejusq; die,ſortiuntur; & deſinunt in ipſo die Eclipſeos Solis Peloponnenſiacæ, quæ primo ejus belli anno viſa fuit. Tandē,24. anni,& dies 215. initiū habent in ipſo die dictæ Peloponnēſiacæ Eclipſeos; & finiūtur in Januario 20.anni Artaxerxis Longimani, Monarchæ Perſici,incluſivè.

Itaq; ex his motibus cœleſtibus, in anteriora revolutis, patet, indè à cruce & morte Chriſti, quæ in Conſulatum S.Sulpitii Galbæ & L.Cornelii Sullæ, & vigeſimum Tiberii Imperatoris annum incidit; & à medio ultimæ hebdomadis Danielis, numerum 486.annorum, qui 69 $\frac{1}{2}$ hebdomadas repræſentant, in anno vigeſimo Artaxerxis Longimani,Perſici Monarchæ,principio ſuo fundatum; adeoque initium 70. hebdomadum Danielis, in eo 20.anno ejus Monarchæ ritè conſtitutum & firmatum eſſe.

CONSIGNATIO IPSORUM MOtuum Cœleſtium.

	Anni.	*Dies.*
A' Januario vigeſimi anni Tiberii Imperatoris, excluſivè, ad Januarium ejusdem Imperatoris primi anni incluſivè,	19.	
A' Januario primi anni ejusdem Imperatoris Tiberii excluſivè, ad Januarium pugnæ Actiacę,qui fuit primus annus Auguſti Imperatoris,incluſivè,	43.	
A' Januario anni dictæ pugnæ Actiacæ, & primi anni Auguſti Imperatoris, ad victoriæ Alexandrinæ Arbelianæ Eclipſin ☽ incluſivè,	299.	102.
A' dictâ Eclipſi Alexandrinâ Arbelianâ, quæ pugnam 10.diebus præceſſit,excluſivè, ad Eclipſin Solis anni primi Belli Peloponneſiaci,	100.	149.

A' dictâ

A' dictâ Eclipſi Peloponneſiacâ, primi anni
ejus Belli,
ad Januarium vigeſimi anni Artaxerxis Longimani, Regis Perſiæ, incluſivè, 24. 215.

Summa annorum, à Chriſti Cruce & morte, & à Conſulatu Galbæ, & vigeſimo anno Tiberii Imperatoru, uſq; ad 20. annum Artaxerxis Longimani Perſæ, eſt annorum 486. dierum 71.

Nota. Annum vigeſimum Artaxerxis Longimani, Regis Perſici, præceſſit Eclipſis Solis, annis 26. diebus 271. quæ exterruit patrem Xerxem, cùm ex Sardibus cum exercitu versùs Græciam moveret.

V. Idem principium Hebdomadum Danielis, in dicto anno 20. Monarchæ Perſici Artaxerxis Longimani; & incidentia 486, annorum à morte Chriſti, in eundem annum poteſt etiam demonſtrari ex rationibus Olympiadum, & annis Iphiti, hoc modo. V.

Chriſtus pro peccatis noſtris crucifixus & mortuus eſt, Olympiade 203. ejus Olympiadis anno 1. qui anni reſoluti in annos Iphiti, conficiunt 808.

Vigeſimus annus Monarchæ Perſici Artaxerxis Longimani, ex quo à patre Rex declaratus eſt, jungitur Olympiadis 80. anno 2. Ita præceſſerunt anni reſoluti, vel Iphiti,

322. | 808. anni Iphiti, & crucis Chriſti.
| 322. vigeſimi anni Artaxerxis Longimani.
| 486. Diſtantia utriuſq; Epochæ.

VI. Et ex annis Urbis Romæ conditæ hoc modo. VI.

Chriſtus pro peccatis noſtris in cruce oblatus in Sacrificium, Anno Urbis conditæ 784.
Vigeſimus annus Artaxerxis
Longimani jungitur anno 298.
486. Diſtantia.

VII. Ultimò hæc incidentia 69, & dimidiæ Septimanæ, & annorum 486. demõſtratur etiã ex annis Nabonaſſaris: VII.

quòd principio ſuo radicentur in anno vigeſimo Artaxerxis Longimani, Monarchæ Perſici ſæpè dicti.
Chriſtus in arâ crucis oblatus, anno Nabonaſſaris

779.
293. vigeſimus annus Artaxerxis, in annis Nabonaſſaris.
486. Diſtantia inter hos duos terminos.

Ergo hactenus ſeptem argumentis demonſtravimus, initium Hebdomadum Danielis, & annos 486. qui repræſentant 69. hebdomades & dimidiam, radicari & principium ſuum habere in 20. anno Artaxerxis Longimani.

Porrò, qui in hũc Scopulum X. & ultimum Danielis incurrerint, in detectione cujusque Saxi hujus Scopuli indicatum & commonſtratum eſt. Eundem contrà Scopulum evitarunt *Eccleſiæ Gallicæ*; quæ alligationem ſuprà-dictam principii Hebdomadarum Danielis, ad annum 20. Artaxerxis Longimani, jam-pridem in Bibliis ſuis, anno Epochæ Chriſtianæ 1563. editis, profeſſæ ſunt. Quam eandem alligationem reaſſumpſit *Johannes Temporarius*, Blæſenſis Gallus, & in ſuis demonſtrationibus Chronologicis ſecutus eſt. Idem, me monente, fecit *Johannes Jacobus Hermannus*, Profeſſor Herbornẽſis, in Appendice Bibliorum Herbornenſium. Itaque detectus etiam eſt hîc decimus & ultimus Scopulus; atque totus adeò tractatus de Scopulis Chronologicis abſolutus eſt. His tu, benevole Lector, ad Dei gloriam utere-fruere: cui ſoli ſit honos & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.